Ad. 2 Gpl. n. 19

X · ~~I~~

VI ~~VII~~

~~16~~

44


HHH. V. ~~3~~ 12.

DE ANTIQVITATIBVS LVSITANIÆ LIBRI QVATTVOR

A L. Andrea Resendio inchoati, a Iacobo Mendez de Vasconcellos absoluti: & quintus liber de Municipij Eborensis antiquitate ab eodem conscriptus.

Cum alijs opusculis, versibus, & soluta oratione ab eodem Iacobo Mendez de Vasconcellos, Michaele Cabedio, & Antonio Cabedio elaboratis.

Quæ omnia collegit, emendauit, ac Typis summa industria commisit Doctor Gondisaluus Mendez de Vasconcellos, & Cabedo Lusitanus.







ROMÆ,
Apud Bernardum Basam. M. D. XCVII.

SVPERIORVM PERMISSV.

ILL.^MO ET REVER.^MO

CARD. PETRO ALDOBRANDINO

D. Gondisaluus Mendez de Vasconcellos, & Cabedo P. F. E.



ONVMENTA *quædam ingenij, quæ Michael Cabedius pater meus, alijq. consanguinei lucubrarunt, vnaq. opus L. Andreæ Resendij de Antiquitatibus Lusitaniæ accuratius corrigere, & in hac vrbe Romana felicioribus typis mandare constituens, te potissimum delegi, Illustrissime, & Reuerendissime* ALDOBRANDINE, *cui ea omnia*

nia dicarem, quo quidem me cum alia plurima incitarunt, quæ, ne vsitatos epistolæ terminos egrediar, tacitus prætereo, tum hoc certe, quod vere dicam, neminem fuisse, cui potiori iure id tribui a quoquam posset, quàm tibi vni, qui omnium animos ita concilias, immo ita allicis, vt nemo sit, qui omnia sua tibi dedicanda merito non existimet. At mihi vel hæc ipsa, quæ ceteris communis, præcipua quodammodo & propria causa est; vt qui, dum agentis Maiestatis catholicæ pro rebus Lusitanicis in hac curia Romana munere fungor, de his tecum pro munere meo sæpe sæpius colloquens, in te si publica spectem, dexteritatem in negotijs agendis, ac prudentiam,

& illam difficillimam societatem grauitatis cum humanitate, si vero priuata, peculiarem erga me beneuolentiam sim expertus: adeo vt non solum sperem hanc mei instituti rationem in his Opusculis tuo clarißimo nomini offerendis, ab omnibus approbandam esse, quòd in ea grati animi significationem ostensurus sim; sed maxime laudandam, quòd ex eadem clypeum velut adamantinum mihi, & libris ac rebus meis murum æneum comparaturus essem. Accipe igitur, Illustrißime ac Reuerendiss. ALDOBRANDINE *lucubrationes has, in quibus Colonias et Musas Italas in Lusitaniam inuectas videbis; audies nomina oppidorum, Montium, & fluminum*

illius

illius prouinciæ; leges bella inter ipsos Regni fines olim suscepta: nam recentia, quæ Lusitani nostri gesserunt, dum pro religione Christiana contra Turcas, Mauros, & gentes Idololatras, Edomitis tumidi Oceani fluctibus, ac ventis, Aphricæ, & Orientis, plagas penetrarunt, ex alijs cognosces. Intelliges tamen in his omnibus plus fuisse, quod parca Calami vis omisit, quàm quod expreßit. Cuius rei nimirum causam fuisse arbitror, quòd Lusitani semper virtutem suam factis potius, quàm verbis: & armis, quàm scriptis ostendere, ac præseferre maluerint. Vale. Datum Romæ quarto idus Nouembris. M. D. XCVI.

TACITO CORDE MENS BENE
Conſcia conſeruat patientiam.




Abſit decus per dedecus acquirere.


Ego Franciſcus Perez Collado Doctor Theologus perlegi hunc librum, iuſſu Reuerendiſsimi patris Magiſtri ſacri Palatij: et in eo nihil reperi fidei vel bonis moribus aduerſum: atque ita iudico poſſe typis mandari. in quorum fidem hic ſubſcripſi, die 13. Decembris M. D. XCVI.

Franciſcus Perez Collado, qui ſupra.

POTENTISSIMO,
ac inuictissimo Hispaniarum Regi Philippo huius nominis secundo.

Iacobus Mœnetius Vasconcellus perpetuam fœlicitatem exoptat.





VM omnes animi tui cogitationes eo tendant Rex inuictissime, vt non solum ditionis tuæ regna, quæ latissime patent, sed vniuersam Christianam Remp. omnibus modis iuuare, tueri, ac propagare valeas: nihil prætermittas quod ad communem eius salutem, incolumitatem, ornamentumq. pertinere posse videatur. Nam Catholicæ fidei, & orthodoxæ religionis curam præcipue geris: leges, legumq. salutaria præcepta ab omnibus obseruari, diligentissime curas, res bellicas, & militarem disciplinam in optimum statum redigere non cessas. Ad hæc etiam litterarum studia, & omnium bonarum artium peritiam foues, diligis, & in dies magis, ac magis reflorescere cupis. Id ego re ipsa nuper sum expertus, cum mihi per litteras significasti, vt tibi exponerem in quo statu esset opus illud antiquitatum, quod ab Andrea Resendio inchoa-

*tum ipse recognoscendum, absoluendumq. su-
sceperam. Feci itaque statim, quod imperasti,
& vt plenius, & ab ipsa origine rem omnem
cognoscere posses, misi ad te exemplar episto-
læ, quam ad pijssimum Regem Henricum ante
aliquot annos scripseram, in qua satis diffuse
eas causas exposui, quibus existimo, quoniam
ex eadem epistola, quæ in huius libri initio ap-
posita est, omnes id facile cognoscere poterunt.
Neque enim conuenit eadem sæpius inculcare,
apud te præsertim, cuius tempori ab omnibus
parcendum iudico, nisi in publica commoda
peccare velint. Vnum hoc tantum addam, me
hac tam prouecta ætate, ac tam multis ægri-
tudinibus iam obnoxia hunc laborem haud qua-
quam suscepturum fuisse, nisi singularis quædam
mea erga maiestatem tuam obseruantia, & in-
credibile tibi obsequendi studium id facere coe-
gissent. Quod cum ita sit merito tibi hoc opus
dedicari, ac sub tui augustissimi nominis auspi-
cijs in publicum prodire debet: vt quicunque
illud legerint si quid in eo vtilitatis, aut hone-
stæ voluptatis inesse putabunt, id omne tibi
acceptum referant: Accipe igitur rex inuictis-
sime Lusitaniam tuam, ex noua, & recenti
veterem, atque antiquam factam: & quemad-
modum eam, quæ hodie te regnante floret, ac
fortunis omnibus abundat, amas, & peculiari
quadam beneuolentia prosequeris, sic etiam eius
antiquitatem, & vetusta monimenta e tene-*

 bris,

bris, & vt dicam, ex ipsius æui faucibus eruta pro tua vere regia animi magnitudine, & beneficentia, tuere, dilige, atque amplectere. Sic enim fiet, vt ea quæ restant, si hæc tibi placuisse intellexero quàm primum in lucem exeant, & diffusius, & accuratius elaborata. Deus Opt. Max. te nobis Rex inuictissime, & vniuersæ Christianæ Reip. quàm diutissime saluum, & incolumen seruet. Eboræ Kal. Decembris. Anno salutis. M. D. XCII.

ALFONSO S. R. E. CARD. Emmanuelis Regis filio,

L. Andr. Resendius S. P. D.

ILLI qui vetusta hæc saxa, quæ in veteribus Romanorum Colonijs, inueniuntur litteris notata, admirantur, cupideue requirunt, mordentur abunde: nec solum iam ab ineruditis istis, crassisq. hominibus, sed interdum etiam à doctis ad prime viris. Ab illis quidem, quoniam quæ non norunt ipsi, summa improbant confidentia, & ne scitu quæque dignissima, male ignorare videantur, hinc latebram, & perfugium sibi ignorantiæ petunt quasi gentilium nugas, vt pios decet, fortiter spernant. Cur autem doctis, non video, nisi otiosis facetiari sic libet, in alienam

diligentiam. Facete illi quidem, & nimis ridicula oratione iocantur, tamen vtinam quam falso, tam vere hoc ab illis fieret. Quoniam vero neminem me plus vno, horum lædit dicacitas, accipe Princeps pijssime, quę pro causa mea, & eorũ, qui in ea mecum sunt opinione, dicenda habeam. Primum omnium, si teste Fabio, scribendi ratio, quàm Græci orthographiam vocant, iuncta cum loquendo est, & nos Romane loqui, & scribere volumus, sicut eloquentiam ex doctissimis libris, ita ortographiam ex marmoribus his petendam, apud illum peruincemus, qui rem paulo æquius, animo aduerterit. Mali custodes orthographiæ sunt libri, quisque librarius suo more scribit, sua nititur opinione, mutat, inuertit, corrigit, vt lubet. Nec si Ciceronis manum, aut Vergilij præ se liber ferat, pensi quidquam habuerit. Mitto quod Gellius palam testatur scio los in Sallustio, & alijs, meras fecisse nugas, illuc eo. Vnde corrupta deflemus immortalium auctorum monimenta, quid? cum codicem vetustum quempiam in manus adsumimus, nonne longe aliam scribendi cernimus rationem, quam ea est, qua passim nunc docti pariter vtuntur, & indocti? At saxa, quod semel insculptum est, aut incorruptum seruant, aut simul cum litteris pereunt. Saxa inquam, quæ eruditum illud seculum legenda reliquit. Nec enim ego aut prisca nimis, aut recentia, hoc est post Gothicã inluuionem incisa, sequenda censeo. Nec si interdum barbarismum inuenero in saxo, aut marmorarij ignauia, aut dormitantia, id defendam, sed quod perpetuum magis, magisq. vsitatum videro, id sequar. Nec adeo morosus sum, vt quoniam

niam

niam femel, iterumue, fcriptum inueneriml.
VCSOR, VIGSIT, PLEPS, COIVGI.
quæ prifca funt, ftatim ita deinceps fecero. Adhibenda prudentia eft, & quod eruditiori feculo placuit, quodq. conftanter inuenitur, id imitandum. Altera deinde accedit vtilitas, nec minima, Videlicet, quod fæpe ibi legimus nomina vrbium, quarum mentio in libris eft, quæ nunc forte ignorantur. Quod cum cofmographiæ conducat multum, atque adeo latine fcripturis maxime, tum vero illud iucundiffimum, quod quæ ad hiftoriam attinent, & dicendi fuppellectilem, patriæq. ornatum, nonnunquam adferunt. Errore ante hoc Badioza, pax effe Iulia credebatur: Medobriga, Cetobriga, Salacia, omnino ignoratæ. Aquarum flauiatum ne mentio quidem vlla erat. De Augufti turre, & fluuio Sarte apud Pomponium, aliter a commentarijs deliratum, auctorq. ipfe fumma iniuria laceratus magis quam emendatus. Quæ omnia noftra diligentia vt a fitu informi adferuit, ita aliquando ab iniuria hallucinantium vindicabit. Sexcenta fuppetunt exempla, quæ ne longior fim, omitto. Mihi fic videtur: cui aliud arridet, per me quidem licet illi fine hac morofa cura, profundum ftertere. Ego iuffis tuis parui, mi Princeps, & cupio totam perluftrare Lufitaniam, veteresq. colonias denuo rediuiuas mundo facere. Sed nihil eg egium moliuntur, quos familiaris r s æquo maligni or domi premit. Quæ per occafionem oblata funt peregrinanti, damus. Daturi, quæ poft hac tempus adferet. Vale, Eboræ calendis Octobribus. M. D. XXXIII.

SAPIENTISSIMO, & pijssimo Lusitaniæ Regi, Henrico huius nominis primo.

Iacobus Mœnetius Vasconcellus perp. fel. exoptat.



EDDITAE sunt mihi litteræ tuæ præstantissime Rex, ac non solum potentia, sed etiam incredibili virtutis, & sapientiæ splendore admirabilis: in quibus mecum agis de scriptis L. Andreæ Resendij: quæ morte præuentus, inchoata reliquit, & mihi recognoscenda, atque in lucem edenda tradi iussisti. Quod onus vt scis, tamquam impar humeris meis, cum recusarem, ingenij tenuitatem agnoscens, non tam imperij iure (quod facere poteras) quàm benigno, ac blando orationis genere (quæ tua est singularis humanitas) eo me adegisti, vt fere inuitus, & renitens munus illud susceperim, quod non sine magnis difficultatibus, me obire posse intelligebam. Tanta est enim ad tua iussa capessenda animi mei alacritas, tam constans tibi obtemperandi voluntas, vt nihil sit tam arduum, tamq. difficile, quod aggredi dubitem, dummodo tibi morem gerere videar. Antequam vero eam mihi prouinciã subeundam esse, mecum omnino constituissem: occurrit animo non defuturos, qui me tanquam hominem facilem, & parum de existimatione mea sollicitum reprehenderent, quod cum maximo

ximo in republica munere functus essem, & in omni litterarum genere, ipse ex me aliquid moliri, & efficere possim, alienis scriptis operam impendere, & in ea facultate versari sustineam, quæ vt vulgus hominum existimat, indigna est viro iuris prudentiæ studijs addicto, & in gubernaculis reip. tandiu versato. Sed tantum apud me habuit ponderis, incredibilis quædam mea ergà te obseruantia, vt etiam cum aliqua honoris mei iactura, tibi parere, non dubitauerim. Equidem eos vehementer decipi, & errare semper existimaui, qui putant seuerioris litteraturæ studiosos, haud magni facere debere humaniorum litterarum cogitationē, sine qua ipsi fateantur necesse est, se minus idoneos inueniri, ad percipiendas, atque excolendas cæteras disciplinas. Nec ferendus est nostro hoc æuo, quo iā exulare cœpit Getica, ac rudis imperitia, Theologus, aut iuris consultus, seu medicus insignis, qui non simul bonarum litterarum cultum, & mediocrem vsum sibi comparauerit, sed de hac re alio forsitan loco, & opportunius, & copiosius dicendi sese offeret occasio. Nunc vero ea prætermissa, tibi antiquitatum rationem reddere, & quo in statu sint ea scripta, de quibus certior à me fieri desideras, exponere, aggrediar. Antiqua Romanorum monumenta, quæ apud Lusitanos extāt, primus Andreas Resendius inuestigare cœpit, idq. cum per quinquaginta ferme annos, quoad per alias occupationes licuit; diligenter fecisset (quod ex ipsius litteris constat) nunquam tamen de ea re, ex professo, & serio scribere cogitauit, nisi quadriennio fere ante obitus sui diem: proponens animo hoc antiquitatum opus, decem

 libris

libris comprehendere, quorum quatuor tantum absolutos reliquit, eosq. tot lituris plenos, tantisq. in margine scholijs, asteriscis, obeliscisq. notatos, & expunctos, vt inextricabile quodammihi suscipiendum fuerit negotium, dum eos à maculis tersos, & in ordinem redactos, nitori suo restituere laboro. Cui difficultati, alia non impar, sed fortasse maior successit: dum antiquas inscriptiones varijs in schedis penitus dispersas, atque confusas, in vnum codicem, ordine alphabetico iuxta oppidorum, & vrbium nomina, in quibus repertæ sunt, transcribi, atque exarari curauimus. Quod neque breui tempore, nec sine maximo labore fieri poterat: tum propter amanuensium paucitatem, qui in hac vrbe, aut nulli sunt, aut minus idonei: tum etiam quia necesse erat, vt illis scribentibus perpetuo ipse adessem, qui alioqui varijs occupationibus distractus, nō nisi succisiuis horis huic studio vacare poterā. Neque eas ob causas Resendius reprehendi debet, imo, vt ego iudico, maior laude dignus est est censendus. Quod enim attinet ad lituras, & expunctiones, indicium est hominis circunspecti, ac diligentis, & qui non cursim, & ex tēpore, sed adhibita matura deliberatione, scribere solitus esset. Quod valde necessarium est his, qui præclarum aliquod opus moliuntur, quod in lucem prodire, & omnium iudicio submitti debeat: iuxta Horatianum illud, nonumq. prematur in annum. Et de Virgilio memoriæ proditū est, solitum eum crebro gloriari se partus suos lambere. quibus verbis pudoris, & modestiæ plenis, significabat, se in componendis carminibus, minus ingenio, quam limæ indulsisse. Inscriptiones

nes autem adeò dispersas, & inuolutas reliquisse illum coniicio, vel quia ad eas transcribendas, & in ordinem redigendas, tempus non suppetebat homini in omni litterarum genere perpetuo versanti, vel quia propter exactam antiquitatum notitiam, incredibilemq. memoriam, archetypis illis schedis solum contentus erat, quæ ad ipsum vndique mittebantur, quamuis sæpius perperam scriptis & deprauatis. Erat enim illi facile, & obuium, propter assiduum vsum inscriptionum, quoties opus habebat, etiam mutilatis illis, & imperfectis titulis, atque epitaphijs, commode, & vtiliter vti. Quod mihi, & cuiuis alij difficillimum fuisset, propter nimiæ confusionis perplexitatem Quare visum est in primis necessarium, totam illam antiquarum inscriptionum farraginem, quo dictum est ordine in methodũ, & voluminis formam redigere.

Ex qua diligentia illud etiam scire, atque deprehendere contigit, quantam videlicet, quamq. copiosam supellectilem Andreas Resendius reliquisset, ad hanc historiam absoluendam, atque ad optatum finem perducendam. Quæ etsi digna est maximo pretio, ac laude propter eius viri solidam, & insignem eruditionem, minor tamen spe, quàm antiquitatum studiosi de eo conceperant.

Quotus enim quisque est, qui non putaret, in eius schedis, ea omnia inueniri posse, quæ ad hãc re si pertinent suis locis annotata, disposita, atque ex icte, & suo ordine digesta: sed longe aliter sese res habet. Exceptis enim veterum Romanorum inscriptionibus nullam circa singulas vrbium, & oppidorũ narrationes (quod erat huius ope-

ris præcipuã munus,&institutum (præter paucu
las annotatiunculas reperiri cōtigit. Quòd si alia
fortasse scripsit, ea in manus meas minime perue
nerunt. Nec abnuo potuisse supprimi, aut aliquo
casu corrumpi Quo enim tempore, tuo iussu, mi
hi eius scripta tradita sunt, iam illorum manus
pertransierant, qui bonorum inuentarium, iure
magistratus confici, atque conscribi curauerant.

Verisimile autem mihi fit. Illum memoria fre
tum singulari, & exactissima cognitione rerum
omnium, quas litteris mandabat, minime curasse,
earum veluti deliniamenta, & præludia prius
deprompta habere, sed memoriter, ita vt quęque
res in mentem venerat, hos quatuor libros absol-
uisse. Vnde accidit, vt tot lituris, ac salebris refer-
ti ad nos peruenerint. Quæ vero his libris conti-
nentur, in summa hæc sunt.

Primo libro etymologiam nominis Lusitanię,
& quis fuerit eius author, quæue origo, exponit,
terminos deinde, & confinia huius prouinciæ,
quæ ei veteres Geographi assignarunt, declarat,
obiter tangens difficiles aliquot, & subobscuras
quæstiunculas, à recentioribus vario, ac diuerso
sensu intellectas, dum Plinium, Strabonem, Pto-
lomæum, cæterosq. Geographicæ scientiæ aucto
res interpretatur. Agit etiam in hoc ipso libro
de diuersis gentibus, populis, nationibus, quę sub
Romano Imperio Lusitaniam incolebant: vt po-
te de Turdetanis, de Celticis, de Turdulis, de
Vettonibus, de Barbarijs, de Pæsuris, seu Pesuri-
bus, de Turdulis veteribus, de Ciscudanis, de
Transcudanis, de Tamacanis, & de, peculiariter
& proprie, Lusitanis Et quales olim fuerint Lusi
tanorum mores. Addita deinde copiosa, & ele-
gan-

ganti deſcriptione omnium montium, qui vt pręcipui, & eminentiores, huic prouinciæ ab antiquis ſcriptoribus aſſignantur, librum hunc primum abſoluit.

In ſecundo fluuiorum nomina, tam antiqua, quàm noua, ac vulgaria enarrat. Ac dum agit de flumine Ana, diuerticulum quoddam non inamœnum interſerit de piſce Aſturione, quem vulgo Suillum, ſeu *Solho* dicimus, referens varias neotericorum opiniones, circa nomen quo antiqui auctores, tam Græci, quàm Latini id piſcis genus appellarunt.

Liber tertius hunc habet titulum, videlicet. Quinam olim in Luſitania rerum potiti ſint. Et diffuſam narrationem continet, ad Græcas, & Romanas hiſtorias ſpectantem, circa res geſtas, quæ ad hanc prouinciam pertinere videntur, & ad duces in re militari claros, quos olim habuit. Additum eſt etiam nonnihil de Gothorum, ſeu Getarum gente. Adiecto deinde quodam de vijs militaribus compendio, huic libro finẽ imponit.

In quarto de vrbibus, & oppidis agere incipit: cuius prima hæc ſunt verba. Vrbes nunc aggrediar non minimam intentionis meæ partem, deinde nonnullas enarrat, partim antiqua nomina, partim vero vulgaria apponens, vbi vetera deficiunt. Ac quindecim, aut ad ſummum ſexdecim deſcribit oppida, adhibitiſq. antiquis inſcriptionibus, quas in illis repertas habuit: hunc quartum librum, & vltimũ eorum, quos ſcripſerat, abſoluit.

Librum quintum ſcribere cœpit, in foliolo quodam, vbi viginti tantum lineæ ſcriptæ extãt: in hunc modum. Ab Ebora patria mea librum

hunc

hunc auspicabor, sed ita vt succintus modo loquar, quando quidem historiolam de eius antiquitate Lusitana lingua pridem edidi, & multa in apologetico ad Franciscum Nonium Pacensem, non pauca ad Kebedium Toletanū de eadē re conscripsi. Ex quibus verbis, atque etiā ex scribendi formula, quā in superiori libro vsus est, in enarrandis vrbibus, licet facile conijcere, illum in animo habuisse, solas Romanorum inscriptiones cuilibet oppido, cui conuenire videbantur adiungere, exposita paucis verbis super qualibet earum opinione sua, nihilq. præterea addere, quod ad ipsarum vrbium conditores, & res gestas, recentiorumq. temporum historiam pertineret. Vnde facile adducor, vt credam, nihil eum amplius annotatum, aut præmeditatum habuisse circa oppida. Si enim aliquid huiusmodi litteris mandasset, vix fieri poterat, quin inter eius scripta, & schedas appareret. Ex quibus liquido constat, quam modicum est, quod reliquit, collatum cum his, quæ scribere in animo habuit. Proposuerat enim de omnibus Lusitaniæ oppidis sigillatim agere.

Videns autem ipse Resendius, quam difficile, & arduam prouinciam suscepisset, quantumque homines ab eo expectarent, tanquam reformidans posteritatis iudicium, nō semel in his libris testatur, & edicit, se non omnes huius prouinciæ antiquitates sed eas tantum, quas labore suo, ac studio reperire potuisset, scribendas suscepisse. Admonens harum rerum studiosos, vt reliquas ipsi, sua industria, ac diligentia inuestigare nitantur. Cuius ego consilium sequutus; opus ab eo inchoatum dum tuis iussis pareo, ad exitū perducere

cere sum aggressus, partim illius schedis, partim nouis inscriptionibus, quas ipse reperi, adiutus.

Quatuor autem libri ab eo absoluti & a me recogniti, confestim si ita tibi visum fuerit, in lucem edi, atque diuulgari poterunt, dummodo expensas in eam rem necessarias e regio ærario cóferri iubeas. Deus Opt. Max. te nobis præstantissime rex incolumem seruet, atque tueatur. Eboræ 15. die Ianuarij. M. D. XXX.

CARMINA IACOBI Mœnetij Vasconcelli, in laudem Lucij Andreæ Resendij.

Lusitania Resendium alloquitur.



Ex Macedum clari proles generosa Philippi,
Cum terras Asiæ quateret victricibus armis,
Dirutaq. antiqua lustrans vestigia Troiæ,
Potaret Simoentis aquas, Xantiq. liquorem,
Constitit ad tumulum Sigæo in littore, magni
Aeacidæ, tali compellans voce sepultum.
O fœlix nimium iuuenis, cui contigit altum
Mæonide plectrum, quo se tua gloria cælo
Attollens viget æternos mansura per annos.
Sic ego felicem Resendi maxime nostræ
Gentis honos, dicam nunc me, nimiumq. beatum,

Quod

Quod tua me populis decorarint scripta uetustis,
Et decus antiqua repetens ab origine nostrum,
Erueris monimenta meas testantia laudes.
Macte animi non tu vanos mihi fingis honores,
Aut mea fucatis auges praeconia verbis:
Sed veram historiae seriemq. fidemq. sequutus,
Abdita Romanis, annalibus, abdita Grais
Pandis, & in lucem multis incognita profers,
Lysiadum narras insignia facta meorum,
Magnanimosq. duces, olim quos Romula virtus
Vt bello inuictos, sic fidos pace probauit.
Ipsa igitur clarum ventura in secula nomen
Consequar, atque aeuo per te celebranda futuro
Semper ero, dum nostra Tagus per rura meabit
Aurifer, & rapido descendet in aequora cursu,
Dumq. meo fessos merget Sol littore currus.

BARTHOLOMÆO FRIÆ Albernotio iurisperito doctissimo.

L. Andreas Resendius. S. P. D.



Vantum Albernoti ex aduentu ad me tuo, percepi voluptatis, si contulero cum dolore, negati tibi in vrbem nostram ingressus, ab isto, qui pro absente prouinciæ huius Transtaganæ præside, vicarium gerebat magistratum, absque dubio posterum, hoc prius illud, longo post se interuallo relinquet. Nam sicut ex altero, mihi honor a te habitus multum me extulisset, ita alterum, eo vsque

vſque depreſſi,adueçitq. pudore, vt quanquam diſſimulaui,acerbius in vita, nihil vnquam me pertuliſſe,audeam affirmare. Auxit dolorẽ hunc, poſt villaticam illam, & quaſi furtiuam vnius diei collocutionem, ſ arſa per vrbem repulſæ fama,admirante populo,mihi homini nec ignoto,neque ciuibus meis non caro, denegatam recipiendi tanti hoſpitis facultatem: ſpecioſo iſto auertendæ peſtilentiæ, quam ab Hiſpali metuebamus,prætextu:cum tamen de eo metu ſecuros nos redderet,maximum inter Hiſpalim & Talaueriam vnde veniebas,terrarum interſtitium. Optimates autem, & ex decurionibus triumuiri,ac meliorum litterarum amatores, quorum non eſt exigua, neque contemnenda apud nos copia,vna cum ſuperueniente Roderico Vernandio Caſtaneda prouinciæ præſide, quem vobis iuris conſultis permittentibus correctorem appellamus,viro pereru dito, ac nobili,& ingenij maxime comis,atque humani,indignitatem rei, non modo ægerrime ferebant, verum dictis etiã inſectabantur, exiſtimantes ad honorem vrbis, intromitti virum talem, pertinuiſſe: Nam ſi nihil aliud hic eſſet, tibi quid ſpectare conlibuiſſet,cum tamen ſint nonnulla, certo ſexto a receſſu tuo die,puella ſeptemdecim annorum,Publia Hortenſia à Caſtro,ſtudijs Ariſtotelicis nõ vulgariter inſtructa,publice diſputans, multis doctis viris, quæ propoſuerat conuellentibus, cum ſumma dexteritate, nec minore lepore,argumentationum cauillationes eluderet, tanta animum tuum perfudiſſet iucunditate, vt ſpectaculum pulchrius,tu te non vidiſſe, ſi adfuiſſes vtique faterere, & vrbem, quæ eam habeat puellam,

omitto formam intra modum venustam, dignã, non negasses, ad quam sola ea gratia deuenires. Sed bonus illis præsidis vicarius, vt ista potuit inturbare, ita euadere non potuit, quin durissimi oris,& ingenij perseueri, ne dicam agrestis, pœnas daret, vsque ad conuicia barbaræ inciuilitatis denotatus,& ego me illi, hisce commemorandis, vt meritus est, gratiam habuisse, nolui præterire. Cæterum redeo ad te, cui pro singulari tua humanitate, debere me intelligo: sed quid litterato homini,& in re ampla constituto, reddam, præter litterarium munus, equidem non video. Ita ergo faciam,& antiquitatum Lusitaniæ nostræ, cum veteribus inscriptionibus, quibus delectari te animaduerti, scribam commentarium, rem a studiosis apud nos antiquitatis, a me diu desideratam, expectatamque, sed hactenus dilatã, quia peragranda vniuersa erat prius, ei qui de vniuersa scripturarum, se polliceatur. Quod efficere neque priuatis intra tenuitatem opibus, ipse potui, neque mihi contigit, qui sua quantacumque opulentia, animum perdifficile opus molientem, erigeret,& incitaret. Nota igitur, ac comperta mihi scribam,& patefacta curiosis via, alijs supplenda cætera, post me relinquam.



DE

DE ANTIQVITATIBVS LVSITANIAE

Liber Primus.



RINCIPIO vt de nomine Lusitaniæ aliquid dicamus, nomen illi dedisse Lusum Liberi patris, ac Lysam cum eo bacchantem asserit Plinius: cuius verba nonnulli diuerso sensu intellexere, dum aliqui Lusum, atque Lysam Bacchi fuisse comites credunt, a quorum altero Lusitania vocata sit, ab altero vero Lysitania: vtroque enim modo appellari solet. Alij Lusum, non hominem, sed ludum potius, seu lusionem interpretantur. Qui parum aduertisse videntur, non potuisse eo tempore a Latina voce, fortassis nondum audita, prouinciam denominari: denominata est autem Lusitania ex ipso Bacchi æuo, si Varroni, quem Plinius citat, fidem adhibeamus.

Nec desunt qui pro Lysa Lyssam reponant, idest bacchantium rabiem, atque furorem. Sed cum per diuersas prouincias Mænades bacchatæ sint, cur hoc nomen hic

potius, quàm alibi, tanquam rabici monumentum sit impositum non video. Adde quòd si ab illa insolenti, & absurda vocula prouinciam dictam esse admittamus, non Lysitaniam, sed Lyssitaniam eam nominari oporteret. Verum cessant ista omnia, si veterem lectionem non abdicemus, & Lusum, ac Lysam homines fuisse intelligamus, & a Luso quidem Lusitaniam, a Lysa vero Lysitaniam esse vocatam, ægre non admittamus. Certe Lusum hominem fuisse suppostitius Berosi auctor intellexit, quem in Hiberia, Ascaridis nescio cuius Babyloniorum regis tempore, regnasse perhibet, sub quo vitis apud Græcos inuenta sit: inuentam autem aiunt a Dionysio. Concurrunt igitur Dionysius vitis inuentor, & Lusus, vt appareat ex ratione temporis, Lusum ad Dionysium, idest Liberum patrem potuisse pertinere.

Si vero qua necessitudine illi coniunctus fuerit, forte dubitetur, ego ex loquendi formula, filium fuisse puto. Nec vero alienum videri debet, Dionysium vtique hominem filium genuisse perhiberi, cum ei quoque Aristæum olei inuentorem filium Græci tribuāt, vt in quadam contra Verrem oratione affirmat Cicero. Quamquam ipse, non ac Lysam, sed aut Lysam legendum puto, vt idem fuerit Lusus qui Lysus is qui cum Libero patre bacchari sit solitus. Nam a Græco

lyo,

lyo, vnde ipse etiam Bacchus Lysius cognominatus est, & eius sacerdotes Lysij, homo ille Lysus dici potuit, qui Latina consuetudine in Lusum mutatus sit. Et sane magis videtur consentaneum, vt ab vno potius prouincia nomen acceperit, quàm a diuersis. Quia etiam si Lysam legere magis libeat, modo particulam ac, in aut commutemus; idem efficietur, vt videlicet vel a Luso Lusitania, vel a Lysa Lysitania fuerit nominata. Lusitaniæ nomine Latini libri pleni sunt, & Græcorum nonnulli, inter quos Ptolemæus, atque Stephanus. Lysitaniæ vocabulo vtuntur Dion, Strabo, Athenæus ex Polybio. Neque id Latinis est insolitum: nam & in pandectis, sub titulo decensibus, verba sunt notissima Pauli iurisconsulti: In Lysitania Pacenses, & Emeritẽses iuris Italici sunt. Eboræ quoque in ædibus magistri equitum lapis est cum hac inscriptione.

LABERIAE. L. F.
GALLAE FLAMI-
NICAE. MVNIC
EBORENSIS. FLA-
MINICAE. PRO-
VINCIAE LYSITA-
NIAE.

Ideſt.

LAberiæ Lucij filiæ Gallæ flaminicæ municipij Eborenſis flaminicæ prouinciæ Lyſitaniæ. de qua inſcriptione in libello, quem de Eborenſium antiquitate vulgari lingua iampridem ſcripſimus, multa a nobis dicta ſunt.

Luſitaniæ vero populi etſi in multas ſpeciatim gentes diuiſi ſunt, tamen vniuerſi ac generatim Luſitani appellantur. Stephanus autem in libro de vrbibus, fretus Artemidori teſtimonio, Luſitanos etiam Belitanos vocari tradit. Sed cum cauſam ipſe minime aſſignet, nec apud alios ſcriptores reperire liceat vllam eius nominis mentionem, ego veriſimili coniectura ductus, exiſtimo a Belijs populis, vel ab oppido Bethicæ, cui nomen Belon, ſeu a Lethe flumine, quod alio nomine Beliona dici ait Strabo, Luſitanos potuiſſe Belitanos vocari: niſi Stephanum Belitanos, quicunque illi fuerint, a Luſitanis originem ducere intellexiſſe credamus: quod Græca phraſis magis ſignificare videtur, quæ ſic habet: Belitani ijdem ſunt cum Luſitanis, iuxta Artemidorum in tertio geographiæ libro.

Enumerat etiam Plinius Bellitanos populos non procul a Cæſarauguſta, quos a Luſitanis originem traxiſſe ſuſpicari poſſumus,

& ita Stephani verba intelligi debere. Superest, vt obiter admoneam lectorem, fuisse & Lusonum gentem, quæ, vt Strabo ait, ad fontes Tagi olim pertineret, & in Arcadia Lusos oppidum, in cuius ruinis Mepsæ suo tempore extarent, collocasse Pausaniam libro octauo, vbi Clitoriorum fines describit. Sed hæc de nomine satis.

LVSITANIAE TERMINI.

CEterum Lusitaniæ, vt nonnullarum aliarũ prouinciarũ, terminos apud auctores, præsertim Græcos variasse cõperimus. Strabo enim a Tago ad Artabros, qui iuxta promontorium Celticum sunt, Lusitaniam protendit. Tagi verò regio, inquit, ad aquilonem spectans Lusitania est, inter Hispanos gens amplissima, & annis plurimis Romanorum armis oppugnata. Huius regionis latus australe Tagus cingit, ab occasu vero, & septentrione Oceanus, ab aurora Carpetani, Vettones, Vaccæi, & Callaici, satis notæ gentes. Et paulo post, Minium amnem omnes Lusitaniæ fluuios, dicit, magnitudine superare. Artabros etiam Lusitaniæ postremos ad septentrionem, & occasum vocat. Regionem vero, quæ inter Tagum & Anam est, a Lusitania excludit. Vnde & Barbarium promontorium super Lusitanos esse commemo-

rat, vbi de ſtanni fodinis loquitur. Carpetanos etiam, Vettones, Vaccæos, ac Callaicos cum ab aurora dicat Luſitaniam cingere, extra Luſitaniam eos proculdubio eſſe oſtendit. Quamquam, vt ibidem ait, nonnulli & hos Luſitanos vocent. De Vettonibus poſtea. Satis modo ſit, iſtos nonnullos, qui nulli iam ſunt, Strabonem non probare, ſed pro non Luſitanis Carpetanos, Vettones, Vaccæos, & Callaicos habere. Ad hæc de Tagi agens origine, eumq. ex Celtiberis per Vettones, Carpetanos, & Luſitanos in æquinoctialem labi occaſum dicens, manifeſte a Luſitanis ſeparat non modo Vaccæos, & Callaicos, ſed etiam Vettones. De Vaccæis quidem dubium nullum eſt. de Callaicis, & Carpetanis dubitabit aliquis. Sed meminerit, Strabonem Luſitaniã ad Artabros vſque extendiſſe, tametſi non diſſimulat ſuo tempore multos Luſitanorum Callaicos iam vocari.

Ita igitur intellecta Strabonis Luſitania, Callæci, qui ipſo auctore nouiſſimi montana habitant, Vaccæis vicini, & Aſturum nonnulli, quos omnes ob vicinitatem Callaicos appellat, ab aurora Luſitanis fiunt. Sed Carpetani, quos poſt Oretanos ad Aquilonem declinare commemorat, quid ad Luſitaniam attineant non video; niſi dicamus Strabonem eos per defluentem Tagum ab Oriente ver-

ſus

ſus Occaſum vſque ad Luſitaniã protraxiſſe. Similiter & Vettones, & Vaccæos, quemadmodum & Turdulos inter Anam, & Tagum, in quibus Emeritam locat. quæ regio illi Luſitania non eſt, cum primum Auſtrale eius latus Tago determinat.

Alibi tamen, hoc eſt ſub finem tertij libri, cum Hiſpanias ab alijs in partes duas, ab alijs in quinque fuiſſe diuiſas dicit, earumq. alias plebi, Senatuiq. attributas oſtendit, alias Romano duci: & quidem Bæticam plebi attributam, ad quam prætor mitteretur, qui legatum haberet, & quæſtorem, reliquam omnem Cæſaris eſſe, qui duos mitteret legatos, prætorium, & conſularem. E quibus prætorius legatum haberet ſecum, qui Luſitanis ius diceret, qui Bæticæ adiacẽtes vſque ad amnem Durium, & eius oſtium extenderentur. Subdit veros Luſitaniæ terminos, Luſitaniam dicens eam regionem appellari, proprio in eum diem nomine in qua regione ſita ſit Auguſta Emerita. Reliquam autem maximam Iberiæ partem (iuuemus enim interpretes, qui Græca minus commode verterunt) eſſe eam, quæ duci conſulari ſubderetur, non indignum exercitum habenti, tribus inſtructum ordinibus, ac legatis tribus. Quorum vnus duos ſecum ordines ducens, tractũ vltra Durium ad Arctos ſeruaret vniuerſum, quem tractum, inquit, prius Luſi-

tanos quidam appellabant, alij vero modo Callaicos vocant. Hi itaque iuxta Strabonem Lusitaniæ fuere termini.

Ptolemæus Latinis geographis côuenientius Lusitaniæ australe latus Ana distermi-nat, septentrionale Durio. Quæ autem a Durio ad Minium est regio Callaicorum Bracarorum, Tarraconensi prouinciæ contribuit, quemadmodum & Plinius. Differt etiam a Strabone, quòd Vettones ab orientali parte adscribit Lusitaniæ:& sane ita sunt. sed an tam late paterent, vt intra se Salmanticam includerent, postea expendemus. At Latinorum multo constantior, & indubitata magis est ratio. Pomponius scriptor non modo diligens ac disertus, sed etiam vt pote Hispanus, domesticarum rerum peritissimus, breuiter, & eleganter tres, quæ tunc erant, Hispaniæ prouincias diuisit. Tribus autem, inquit, est distincta nominibus, parsq. eius Tarraconensis, pars Bætica, pars Lusitania vocatur. Tarraconensis altero capite Gallias, altero Bęticam, Lusitaniamque contingens, mari latera obijcit; nostro, qua meridiem, qua septentrionem spectat, Oceano. Illas fluuius Anas separat. & lib. tertio, de flexu terræ inter Tagum & Durium cum agit, ita scribit: In eoq. sunt Turduli veteres, Turdulorumque oppida. Amnes autem Munda in medium fere vltimi promon-

torij latus effluens, & radices eiusdem abluens Durius. In tria enim promontoria dispersam Lusitaniam dixerat. Plinius similiter libro tertio, capite primo. Vlterior videlicet Hispania in duas per longitudinem prouincias diuiditur. Si quidem Bæticæ latere septentrionali prætenditur Lusitania, amne Ana discreta. & lib. 4. cap. 21. a Durio Lusitania incipit. Sed quando in hunc Plinij locum incidimus, exigit res, vt duo eius capita expendamus, quæ ad Lusitaniæ situm rectius percipiendum maxime pertinere censemus.

Ante annos quadraginta, cum Salmanticæ studiorum causa agerem, & Vernando Pintiano Græcarum litterarum, ac Plinij publico professore, eius rei gratia plurimum vterer: ostendit mihi vetustissimum Plinianum codicem, quem ab Ecclesia Toletana conferendi gratia dato pignore deferendum curauerat: alterũ quoque ex Salmanticensis academiæ Bibliotheca, quę certa hora solet quotidie sub duobus custodibus aperiri, non ad modum sane veterem, scriptum tamen per diligenter. In vtroque deprehendimus, quod in publica lectione testatus ille erat, decem aut duodecim versus, vt mihi primo visi sunt, loco suo luxatos, a promontorio Celtico in promontorium Olisiponense scribæ oscitantia immigrasse, magna sensus confusione,

cum magna etiam Plinij ipsius iniuria.

In medio igitur vigesimo capite quarti libri ad hunc modum ambo codices habent.

Promontorium Celticum, quod alij Artabrum appellauere, terras, maria, cœlum disterminans. Illo finitur Hispaniæ latus, & a circuitu eius incipit frons. Septentrio hinc, Oceanusq. Gallicus, occasus illinc, & Oceanus Athlanticus. Promontorij excursum LX. M. prodidere. Alij xc. ad Pyrenæum inde, non pauci XII. l. millia, & ibi gentem Artabrum, quæ nunquam fuit, manifesto errore. Arotebras enim, quos ante Celticum diximus promontorium, hoc in loco posuere, literis permutatis. Amnes Plorius, Nelo, Celtici cognomine Neriæ, superq. Tamarici, quorum in peninsula tres aræ Sestianæ Augusto dicatæ. Cepori. Oppidum Noela; Celtici cognomine Præsamarci. Cileni. Ex insulis nominandæ Corticata, & Aunios. A Cilenis conuentus Bracarum. Heleni, Grauij, Castellum Tyde. Græcorum Sobolis omnia. Insulæ Cicæ. Insigne oppidum Abobriga. Minius amnis iiij. M. pass. ore spatiosus. Leuni Seurbi. Bracarum oppidum Augusta. Quos supra Callæcia. Flumen Limia. Durius amnis ex maximis Hispaniæ ortus in Pelendonibus, & iuxta Numantiam, lapsus deinde per Areuacos, Vaccæos, disterminatis ab Asturia Vettonibus, a Lusitania Callæcis.

Ibi

Ibi quoque Turdulos a Bracaris arcens. Erratū & in amnibus inclytis. Ab Minio, quem supradiximus cc. M. pass. vt autor est Varro, abest AEminius, quem alibi quidam intelligunt, & Limiam vocant, obliuionis antiquis dictus. Omnisq. dicta regio a Pyreneo metallis referta auri, argenti, ferri, plumbi nigri, albique.

A Durio Lusitania incipit, Turduli veteres. Pesuri. Flumen Vacca, oppidum Vacca, oppidum Talabriga, oppidum & flumen Aeminium. Oppida Conimbriga, Collippo: Eburo, Britium. Excurrit deinde in aliud cornu promontorium, quod alij magnum appellauere, multi Olisiponense, ab oppido. Ab Durio Tagus cc. M. passum interueniente Munda.

Exultaui equidē tunc, propter Plinij grauitatem. Illo siquidem pacto calumnia negligentiæ, quam patitur ab omnibus, qui geographica tractarunt, liberari sane videbatur, & Pintiano magnas egi gratias, qui id demonstrasset. Verum exultare desij Plinij verborum seriem pensitatius expendens, simulq. sumpto in manus Solino, Plinij ipsius, vt perhibetur, simia. cuius referam verba, atque ex manu scripto vetustissimo codice, vt syncerius exeant. In Lusitania Hispaniæ promontorium est, quod Artabrum alij, alij Olisiponense dicunt. Hoc cœlum,

terras,

terras, maria distinguit. Terris Hispaniæ latus finit, cælum, & maria hoc modo diuidit, quòd circuitu eius incipiunt Oceanus Gallicus, & frons septentrionalis. Oceano Athlantico, & occasu terminatis. Ibi Tagus flumen: Tagum ob arenas auriferas ceteris amnibus prætulerunt. In proximis Olisiponis equæ lasciuiunt mira fœcunditate. Nam adspiratæ fauonijs, vento concipiunt, & sitientes viros aurarum spiritu maritantur.

Nō dubium est hæc Solinum ex Plinio esse mutuatum, in eandemq. sententiam, & Marcianum Capellam abijsse, & Isidorum decimo quinto ethymologiarum libro, & alioqui ipsa verborum cōnexio satis indicat Plinium ita scripsisse; attendat diligens lector: Arotebras enim, quos ante Celticū diximus promontorium, hoc in loco posuere. Sunt ne hæc verba longe a Celtico iam progressi, an adhuc in eodem describendo inhærētis? Hoc in loco posuere. Quo in loco? In Celticone? certe: ibi enim ceteri eos collocant, & ipsemet Plinius: Ponit enim Arotebras ante Celticum. Arotebræ autem ijdem sunt qui Artabri. Nostræ ætatis homines, ait Strabo, Artabros Arotebras vocant, litteris permutatis, vt fatetur Plinius. Quomodo igitur in Celtico detentus, quasi sui oblitus, erroris manifesti argueret eos, qui ibi gentem Arta-

brum,

brum, quę numquã eo loci fuerit, posuissent?

Ista quæ admissa Toletani, & Salmanticensis codicum lectione, obijci poterant, nequaquam obijciētur, si quod de Artabris hic ait, Olisiponensi promontorio Plinium dicamus tribuisse. At falsum est, Olisiponense promontorium terras, cælum, mariaq. disterminare, illoq. Hispaniæ latus finiri, & a circuitu eius frontem incipere, clarissime dicente Strabone Hispaniæ latus hoc ab sacro promontorio vsq. ad Artabrorum montem, hoc est, promontorium Celticum extendi: & quartũ denique latus ex eo loco vsque ad promontorium Pyrenes, quæ pars Boream spectat. Falsum etiam quod de promontorij excursu, & longitudine inde ad Pyrenæum, si quidem de Olisiponensi intelligas.

Quid ergo dicemus? nisi Plinium male Artabrum promontorium cũ Olisiponensi confudisse. Poteratque non minima ex parte culpam eius minuere, quod non ipse affirmat Artabrum id esse promontorium, sed nonnullos ita vocasse, & ibi gentem Artabrum, quę nunquam ibi fuerit, collocasse, atque hoc manifesto, vt inquit, errore. Et erroris caussam subijcit: Arotebras enim, quos ante Celticum diximus promontorium, hoc in loco posuere, litteris permutatis. Quos iure reprehendit, quicunq. ij fuerint, qui Artabrum promontorium hoc Olisiponense vocarint:

carint: additq. optima verborum consequutione alium non minimum errorem.

Erratum, inquit, & in amnibus inclytis, sicut, ait, erratum in hoc est, quòd promontorium magnũ, siue Olisiponense Artabrum appellauere, ibiq. gentem Artabrum, quæ nunquam ibi fuit, manifesto errore posuere, ita erratum ab ijs est in amnibus inclytis, videlicet A Eminio, atque Limia. Quemadmodum itaque ex parte hac Pliniũ excusare possemus, quando erroris arguat eos, qui Olisiponense promontorium Artabrum appellauere, ita protegere a culpa nón audemus Olisiponensi isto terras, cœlum, maria distingui, eoq. Hispaniæ latus ad Occidentem finiri asseuerantem.

Sed mirandum nequaquam est, falli, ac decipi tempestate ea Plinium, cum nostra hac quotidiano vsu, & tanta frequentia, quasi digitis contrectatis rebus, & oculis etiam ad fastidium subiectis, atq. perlustratis, Ioachimus Vadianus, qui propter erratum hoc in Plinium adeo excandescit, vt iuuari eum etiam prohibeat, deceptus ipse sit, promontorium Cuneum Sancti Vincentij esse caput, & sacrum idem, quod Barbarium opinatus: præter illa, quæ de Salaria, atque Olisipone alio eo loco obieci. Lubrica isthæc sunt, & cognitu nõ nimis facilia, atque in tam vasto terrarum orbe non labi pene monstri simile.

Mihi

Mihi si meo arbitratu Plinium emendare liceret, sic potius legerem: Promontorium Celticum, terras, maria, cœlum distermi-nans. Illo finitur Hispaniæ latus, & a circuitu eius incipit frons. Septentrio hinc, Oceanusq. Gallicus, occasus illinc, & Oceanus Atlanticus. Deinde in capite de Lusitania, sic: Excurrit deinde in aliud vasto cornu promontorium, quod alij Artabrum appellauere, alij magnum, multi Olisiponense ab oppido. Promontorij excursum lx.M. prodidere, alij xc. M. pass. Ad Pyrenæum inde nō pauci XII. l. millia. Et ibi gentem Artabrū, quæ nunquam fuit, manifesto errore. & quæ sequuntur. Oporteretq. tunc, & Solinum, & Capellam in iam corruptos Plinij libros incidisse causificari.

Quod nescio an euinci posset. Quare per me quidem autographis libris illis, & Pintiano habeatur sane gratia Plinianum erratum sedulo amolientibus; sed recepta lectione, cum isthac magni viri labecula contenti simus, neque eius sententiæ vim faciamus.

Cæterum quæ de Lusitania sequuntur, nos nostro Marte, diligentiaq. emaculauimus, reddemusq. suo cuiusq. rei loco rationem.

PLINII LIBRI IIII. CAP. XXI.

A Durio Lusitania incipit, Turduli veteres. Præsuri. Flumen Vacca. Oppidum

dum Talabriga. Oppidum, & flumen Aeminium. Oppida Conimbriga, Collipo. Eburobritium. Excurrit deinde in aliud vasto cornu promontorium, quod alij Artabrum appellauere, alij magnum, multi Olisiponense ab oppido, terras, maria, cœlum disterminans. Illo finitur Hispaniæ latus, & a circumitu eius incipit frons. Septentrio hinc, Oceanusq. Gallicus, Occasus illinc, & Oceanus Atlanticus. Promontorij excursum lx. M. prodidere, alij xc. M. pass. Ad Pyrenæum inde, non pauci xii.l. millia, & ibi gentem Artabrum, quæ nunquam fuit, manifesto errore. Arotebras enim, quos ante Celticum diximus promontorium, hoc in loco posuere, litteris permutatis.

Erratum & in amnibus inclytis. Ab Minio, quem supra diximus cc. M. pass. vt auctor est Varro, abest Aeminius, quem alibi quidam intelligunt, & Limæam vocant, obliuionis antiquis dictus, multumq. fabulosus. Ab Durio Tagus, cc. M. passuum interueniente Munda. Tagus auriferis arenis celebratur. Ab eo clx. M. pass. promontorium sacrum e media prope Hispanię fronte prosilit xiiii. M. pass. inde ad Pyrenæum medium colligi Varro tradit. Ab Ana vero, quo Lusitaniam a Bætica discreuimus, cxxi. M. pass. A Gadibus cii. M. pass. additis, Gentes, Celtici, Turduli, & circa Tagum Vettones.

Ab

Ab Anna ad Sacrum Lusitani, oppida memorabilia a Tago: in ora Olysippo, equarum e Fauonio vento conceptu nobile, Salacia cognominata vrbs imperatoria, Merobriga, Promontorium sacrum, & alterum Duneus. Oppida, Ossonoba, Balsa, Myrtilis. Vniuersa prouincia diuiditur in conuentus treis, Emeritensem, Pacensem, & Scallabitanum. Tota populorum XLV. in quibus Coloniæ sunt quinque, municipium ciuium Romanorum vnum, Latij antiqui tria, stipendiaria XXXVI. Coloniæ, Augusta Emerita, Annæ fluuio adposita, Metallinēsis, Pacēsis, Norbensis, Cæsariana cognomine. Cōtributa sunt in eam Castra Iulia, Castra Catcilia. Quinta est Scallabia, quæ præsidium Iulium vocatur: municipium ciuium Romanorum Olysippo, felicitas Iulia cognominatum. Oppida veteris Latij Ebora, quod item liberalitas Iulia, & Myrtilis, ac Salacia, quæ diximus. Stipendiariorum, quos nominare non pigeat, præter iam dictos in Bæticæ cognominibus, Augustobrigenses, Amaienses, Aranditani, Arabrigenses, Balsenses, Cæsarobrigenses, Caperenses, Caurienses, Colarni, Cibilitani, Concordienses, qui & Boccori, Interausenses, Lancienses, Mirobrigenses, qui Celtici cognominantur, Meidubrigenses, qui plumbarij, Ocellenses, qui & Lancienses, Turduli, qui Barduli, & Tapori. Lusitaniam cum Astu-

ria, & Callæcia patere longitudine DXL. m. pass. latitudine DXXXVI. M. Agrippa prodidit. Omnes autem Hispaniæ a duobus Pyrenæi promontorijs per maria totius oræ circuitu p. XXIX. m. colligere existimantur. Ab alijs XXVII. m.

Et hic terminari caput de Lusitania, iam pridem in Vincentij mei scholijs admonui.

NOn videbimur a scopo digredi, si nostri quoque æui Lusitaniæ terminos exponamus. Quamquam hi magis regni totius, quàm vnius Lusitaniæ dicendi sunt. Protenditur enim regnum vltra Durium a septentrione, Callaicos continens Bracaros, non modo eos, qui intra Durium, Miniumque, montesq. Iuressum, atque Maranum clauduntur, sed qui vltra eos monteis per Aquiflauienseis, Tamacanos, & reliquos, qui ad Bracaraugustanum pertinent conuentum. Et deinceps per aliquot Asturum olim populos ascendit vsque ad Saborem fluuium, oppidumq. Soutellum. Vnde resistens conuertitur limes ad orientem per Mirandam vrbem ex aduerso Zamoræ Durio impositam, vbi introrsus ad septentrionem curuatur amnis, excipitq. Estulam fluuium e Legionensi agro defluentem. Ex eaq. vrbe prono flumine descendit flexu modico vsque ad Fraxinũ.

Heinc per Tranſcudanorum, Vettonumque aliquot populos recto fere margine percurrit ad oppidum Saluaterram; rurſumq. reducitur maiore interius angulo ad Tagi ingreſſum: a quo recto iterum limite procedit, donec paulo ſupra Ouguellam oppidum ad Anam ſe inclinat, per Caiæ, & Caiolæ confluenteis quattuor circiter paſſuum millibus a Badioza inſigni Bæticæ prouinciæ vrbe Anæ ipſi adpoſita.

Traiecto inde flumine ad auſtrum verſus, ex Bæticis Celticis, qui Luſitaniam attingunt, oppida complectitur memorabilia. Oliuentiam, Moronem, Mauram, Serpam, non longe ab amne diſſita, & Mortiganum, ac Noudar caſtella magis in Bæticam penetrantia, ad fonteis vſque Ardillæ, & Xanthiæ non magni nominis fluuiorum, præter vicos ignobileis quoſdam. Atque hæc, quam circumſcripſimus, regio ſæculi noſtri more, Portugaliæ regnum appellatur.

Ratio petenda eſt ex iis, quæ nuper ad Kebedium ſuper ea re prolixe reſpondimus. Id totum, quod Portugaliam dicimus, Luſitaniæ propriæ ac veræ partes duas continet, & ex Tarraconēſi prouincia Bracaros, vltraque monteis Maranum, atque Iureſſum, Aſturum nonnullos, & aliquot ex Vettonibus, acceſſionemq. vltra Anam, quam diximus. Quod ſi a maiori portione vno id nomine Lu-


ſitaniam appellemus, erit hodie Luſitania à meridie quidem, & ſeptentrione longior non paulo, & auctior, ab oriente vero propter Vettones fere omneis à noſtris ſeparatos aliquanto vetere anguſtior.

Eam ergo, quæ proprie dicta Luſitania eſt, inter Durium atque Annam fluuios, incolunt gentes, Luſitani peculiariter vocati, Turdetani, Celtici, Turduli, Vettones, Barbarij, Pæſuri, Turduli veteres. Quorum limites atque confinia exacte diſcriminare nequaquam poſſumus, in tantis antiquarum rerum tenebris, & inter mutuo ſe collidentia ſcriptorum teſtimonia. Numeris Ptolemæi per ſe rei maxime corruptioni obnoxiæ, nemo quidquam ſe aſtringat. Qui ſi perſeuerarēt integri vti ab illo notati ſunt, fidem integram adhuc nō facerēt, cū is eos numeros, nō additis locis, ſed relatione acceptis ſub notarit. in quo labi potuit facillime. Depictæ autem tabellæ, atque illi adiectæ plura habent, quæ reiicias, & adſpernere, quàm quibus credere merito vel debeas vel poſſis.

DE TVRDETANIS.

AB Anna igitur ad ſacrum Promontorium, circumque Turdetanos alios a Bæticis Ptolemæus habitare ait, maritimasque illorum vrbeis, Balſam, Oſſonobam, ante promontorium; deinde poſt fluuij Callipodis

podis eruptiones Salaciam, atque Cætobrigam. Intus autem pacem Iuliam, ac Iuliam Myrtilim enumerat. Strabo regionem eam Celticis, & Lusitanorum plerisque tribuit, sicut diximus in epistola pro Colonia Pacensi ad Vasæum. Plinius omissis Turdetanis, ab Anna ad Sacrum Lusitanos ponit, nimirum ad genus respiciens, non ad speciem, cuius Ptolemæus rationem habuit. Sed tamen horum Turdetanorum terminos nimis extēdit. tribuit enim illis non modo Algarbij regnū, & totum Orichiensem tractum, sed etiam aliquanto amplius ex Celticis, & Lusitanis Strabonis, videlicet Pacem Iuliam, Salaciam, atque Cœtobrigam, olim in sinu Salaciensi positam, dirutam modo, sed multa pristinæ frequentiæ vestigia retinentem; de qua suo dicetur loco.



DE CELTICIS.

Contigui his sunt atque intermixti Celtici, Gallica natio, iuxta Annam late vsque ad Turdulos, & Vettones multis ciuitatibus effusi; inter quas etiam nostro æuo Heluæ claræ sunt, ipso nomine originem præ se ferentes. Parentes fuerunt hi non solum Celticorum, qui Nerium Callæciæ promontorium insedere, cuique nomen dedere, verum etiam eorum Celticorum, qui ad alte-

ram Anæ ripam migrantes, in Bæturia Bæticæ parte vrbeis condidere. De prioribus illis refert Strabo hisce verbis: Extremi incolunt Artabri circa promontorium, quod Nerium vocatur, quod & occidui, & septentrionalis terminus est lateris. Circumhabitant ipsum Celtici consanguinei eorum, qui ad Anam sunt. Hos etenim, & Turdulos sociis armis exercitum cum duxissent, ibi post Lemij fluminis transitum seditionem egisse ferunt, in eaque seditione facta ducis amissione, palanteis, ac dissipatos ibidem remansisse, & ab iis fluuium obliuionis esse dictum.

De alteris his Plinius libro tertio cap. primo. Quæ autem regio a Bæti ad fluuium Anam tendit, extra prædicta Bæturia appellatur, in duas diuisa partes, totidemque genteis, Celticos, qui Lusitaniam attingunt, Hispalensis cõuentus, Turdulos, qui Lusitaniam & Tarraconensem adcolunt, iura Cordubam petunt. Celticos a Celtis ex Lusitania aduenisse manifestum est, sacris, lingua, oppidorum vocabulis, quæ cognominibus in Bætica distinguuntur. Diximus de hoc quoque satis in epistola ad Vasæum pro Pacensi colonia.

DE TVR-

DE TVRDVLIS.

TVrduli ſequuntur, gens per Hiſpaniam vlteriorem late diffuſa. Nam & Bæticæ partem tenuere, quorum metropolis erat Corduba, & Luſitaniæ portionem iuxta Vettones, & maritimam omnem regionem a Tago vſque ad Durium, ex iis quidam Veteres appellati ſunt; de quibus poſtea. Quorum meminiſſe modo conuenit, ij ſunt, qui a Turdulis Bæticis amne Ana diſcreti erant, de quibus Plinius in capite de Luſitania: Gentes Celtici, Turduli, & circa Tagum Vettones.

Hoc prætereundum nequaquam eſt, fuiſſe, qui Turdulos, ac Turdetanos eoſdem arbitrarentur. E quibus Liuium nominare fuerit ſatis libro quarto quartæ decadis in hęc verba: Fama deinde vulgatur, Cos. in Tudertaniam exercitum ductum. & poſt: Interim P. Manlius prætor exercitu vetere a Q. Minutio, cui ſucceſſerat, accepto, adiuncto & Ap. Claudij Neronis ex vlteriore Hiſpania, vetere item exercitu in Turdetaniam proficiſcitur. Omnium Hiſpanorum maxime imbelles hebentur Turdetani, freti tamen multitudine ſua, obuiam ierunt agmini Romano.

Nec tamen ea pugna debellatum eſt; decem millia Celtiberum mercede Turduli cō-

ducunt, alienisq. armis parabant bellum. Deinde dum Cos. exercitusq. Turdulo bello est occupatus, vbi cernere licet terram Turdetaniam dictam, incolas, cum Turdetanos, tum etiam Turdulos appellatos, bellum quoque Turdulum. Strabo autem horum subscribens opinioni diuersam etiã non tacuit: Regionem, inquit, ipsam a flumine Bæticam vocant, ab incolis autem Turdetaniam. Incolas vero ipsos Turdetanos, & Turdulos appellant. Quidam autem eosdem esse existimant; alij vero diuersos: e quibus etiam est Polybius, qui Turdetanis finitimos ad septentrionem dicit esse Turdulos. Verum tempestate hac nulla inter ipsos apparet distinctio.

Mihi non contigit eum Polybij locum expẽdere, cum præter quinque eius libros Græce, & a Nicolao Perotto Episcopo Sipontino latine versos, ad hoc tempus nihil viderim: sed fidem Straboni habeo, & Polybium vere sensisse arbitror, etiam si Liuius, & alij eos propter vicinitatem confundant. Si quidẽ Ptolemæus distincte Turdulos alios a Turdetanis facit in ipsa Bætica: nam in Lusitania Turdetanorum tantum meminit, vt superius exposuimus, Turdulos prætermisit. E contrario Plinius de Turdetanis in Lusitania nullum verbum, Turdulos posuit geminos, videlicet hos Annæ contiguos, & alteros Veteres vocatos; de quibus postea.

DE

DE VETTONIBVS, & Vectonibus.

VEttones inter Lusitaniæ populos circa Tagũ recẽset Plinius, ita scribẽs: Ab Anna vero, quo Lusitaniã a Bætica discreuimus, gẽtes Celtici, Turdici, & circa Tagũ Vettones. Dissoluamus, si possumus, nodum hic, superius obiter tactum, cum de Lusitaniȩ terminis agebamus, vbi ex Strabonis sententia Vettones Lusitania exclusimus: atque de scriptura vel nominis orthographia quiescamus tantisper, dum cetera examinamus. Conferat diligens lector quæ Strabo dicit. Oretani maxime vergunt ad meridiem, peruenientes vsque ad maritimam, aliqua ex parte inintra columnas. Post quos Carpetani declinant ad aquilonem. Inde Vetiones, & Vaccȩi, per quos Durias labitur.

Et paulo post, vbi Lusitaniam ab aurora cingi ait Vetionibus, Vaccæis, & Callæcis, conferat inquam hæc cum Plinij verbis lib. 3. cap. 3. Primi in ora sunt Bastuli, post eos, quo dicetur ordine, intus recedentes Mentesani, Oretani, & ad Tagum Carpetani, iuxta eos Vaccæi, Vectones, & Celtiberi.

Libro item quarto cap. 10. Durius amnis ex maximis Hispaniæ, ortus in Pelẽdonibus, & iuxta Numantiam, lapsus per Areuacos, Vaccæosq. disterminatis ab Asturia Vectonibus,

nibus, a Lusitania Callæcis, ibi quoque Turdulos ab Bracaris arcens. & Collatis inter se altrinsecus vtriusque verbis, videbit vtrumque de Hispania citeriore loqui, Vectonesq. extra Lusitaniam ponere, sicut & Cæsar fecit in primo belli ciuilis commẽtario. Afranius, & Petreius, inquit, & Varro, legati Pompeij, quorũ vnus tribus legionibus Hispaniam citeriorem, alter a saltu Castulonensi ad Annam duabus legionibus, tertius ab Anna Vectonum agrum, Lusitaniamq. pari numero legionum obtinebat, officia inter se partiuntur: vt Petreius ex Lusitania per Vectones cum omnibus copiis ad Afranium proficiscatur.

Et post: Petreius per Vectones ad Afraniũ peruenit. Extra Lusitaniam ergo Vectones erant. Atqui Ptolemæus ex Lusitanis hos maxime orientales facit: interq. eorum ciuitates ex nostra ætate notis Salmanticam, Caparam, atque Obilam ponit. Plinius etiam in Lusitaniæ descriptione, & circa Tagum, inquit, Vettones. Quærendum igitur, sint ne iidem isti Vectones, seu Vettones, an diuersi, & an constent sibi auctores, an ne secus.

Durius, inquit Plinius, lapsus per Areuacos, Vaccæosq. disterminatis ab Asturia Vectonibus, a Lusitania Callæcis. Qualis hæc partitio est, disterminatis ab Asturia Vectonibus, a Lusitania Callæcis, si Vectones isto

loco

loco positi Lusitani ex Ptolemæo sunt? Qualis & illa, Et circa Tagum Vettones? si circa Tagum, non ergo ij sunt, qui Durio interfluente ab Asturibus dirimuntur, quique ab eodem ipso Plinio in Citeriori Hispania iuxta Vaccæos collocantur. Si vero ij sunt, minus apte dictum est, & circa Tagum Vettones, cum magis ex re & æque breuiter dici potuisset, & a Tago ad Durium Vettones. Sed tunc, quinam illi essent Vectones non Lusitani, ab Asturia amne Durio disterminati?

Paulo expressius rem indagemus, eruamusque qui sint isti post Vaccæos Durio ab Asturibus disterminati. Percurrat qui velit, in Hispaniæ pictura Durij cursum vsque ex Numantia Pelendonum vrbe, per Areuacos, & eorum vrbeis Vxamam, Saguntiam, Cluniam, & reliquas a Plinio commemoratas. Tum vbi se Areua eorum nominis causa, & origo Durio miscet. Deinde a Pisoraca fluuio Vaccæos, eorumq. ciuitates Pallantiam, Caucam, & illis a Ptolemæo tributas Pintiã, & Sarabrim, & Senticam; quarum Sentica, quæ Zamora existimatur, vicina fluminis angulo est, vbi Estulam fluuium Asturum Durius excipit iuxta Mirandam, cuius in Lusitaniæ descriptione meminimus.

Vectones modo istos iis conterminos, ac Durio ab Asturibus disterminatos quæramus. Nulli apparent, nisi qui ab illo, quem dixi,

dixi, Durij angulo introrsus cuneato, per meridianũ fluuij latus ad Carpetanos porriguntur. Siquidem ij a Mirandensibus, qui olim in Asturum validæ gentis ditione fuere, fluuio medio secernuntur. Atqui hi sunt, quos Ptolemæus maxime Orientaleis Lusitanorũ dixit, in quibus Salmanticam, Obilam, & Caperam posuit, vt tractus, per quem meat in Durium Tormis, qui Salmanticam alluit, Vettonum sit, Vaccæis vti ostendimus finitimorum.

Hi etiam, qui & a Strabone, & a Plinio in Hispania citeriori nominantur. Sed hi quid ad Vettones Plinij circa Tagum, interstitio CLX. millium passuum, quæ a Durij iuxta Vaccæos ripa ad Tagum numerantur? Eousquè Vettones extendebantur, inquiet aliquis. Non omnino id præter rationem. Strabo enim Tagi narrans originem, ait: Ex Celtiberis autem originem habens, per Vetiones, & Carpetanos, & Lusitanos in æquinoctialem labitur occasum aliquantisper, spatio pari ab Anna, & Bæti fluuiis distans. Sed impedimento est, qui cum Vettonum suorũ vrbeis, Salmanticam, Obilam, & Caperam (vt has solas exempli gratia nominem) diligenter recensuerit, indè ad Tagum, immo etiam ad Annam, ingentem quasi lacunam intermediam, nõ iam Vettonibus, sed Lusitanis propriè ita vocatis oppleuit, Caurio, Norba, Co

larno,

larno, circa Tagũ, aut non longe ab eo ſitis, & Emerita ipſa Vettonum, vt dicam poſtea, metropoli nominatis.

Quid ergo? duæ ne iſtæ ſunt gentes, altera Luſitana, altera nequaquam, ſed ad citeriorem pertinens Hiſpaniam, ambæ nominis ſimilitudine congruentes, an tantum vna? Duas eſſe aſſeuerare ego non audeo, ſed auctorum varietate, & vnius in ſcriptura litteræ differentia certe apparet. Omitto Strabonẽm, cuius in hoc nomine codices mire ludunt, ipſiusne, an ſcribarum culpa neſcio. Modo enim ſunt Ouettones, modo Vuettones, modo Ouetiones. Latinorum codices expendamus: vtrobique enim per c t nomen gentis huius apud Plinium ſcribitur, cum de citeriori loquitur prouincia; ſic apud Cæſarem commentario ſuperius citato; ſic apud Liuium in quinto quartæ decadis libro, vbi M.Fuluium cum iis, atque Vaccæis, & Celtiberis refert dimicaſſe; apud Lucanum ſimiliter, atque Silium, quorum verba mox referam. At iſti Luſitaniæ circa Tagum Vettones geminato tt ſcribuntur, vt apud ipſum Plinium ibidem liquet, & in multis ſaxeis inſcriptionibus inueni. quarum duas in libello ad Kebedium Toletanum canonicum nuper poſui. nec pigebit modo repetere, etiamſi nimium videatur, quandoquidem hic locus maxime id expoſcere mihi videtur. Eboræ

ingens

ingens in ædibus meis cippus ita habet.

L. VOCONIO. L. F.
QVIR. PAVLLO.
AED. Q. II. VIR. VI.
FLAM. ROM. DI-
VOR. ET. AVGG.
PRAEF. COH. I.
LVSIT. ET. COH. I.
VETTONVM.

Id est,

L. Voconio Lucij filio Quirina Paullo AEdili quæstori duumuiro Sextum flamini Romæ diuorum, & Augustorum præfecto cohortis primæ Lusitanorum, & cohortis primæ Vettonum.

Emeritæ autem in domo Petri Mexiæ, sic.

P. AELIO. VITALI
AVG. LIB. TABVL.
PROVINC. LVSI-
TANIAE. ET. VE-
TTONIAE. STEP-
HANVS. LIB. ET
HERES. PATRO-
NO. FECIT.

Hoc est,

Publio AElio Vitali Augusti liberto tabulario prouinciæ Lusitaniæ & Vettoniæ, Stephanus libertus, & heres patrono fecit.

Sagunti in cœnobio sanctæ Trinitatis.

SERGIAE. M. F. PE-
REGRINAE. M. SER
GIVS VETTO. A-
MITAE.

Hoc est,

Sergiæ Marci filiæ peregrinæ, Marcus Sergius Vetto amitæ.

In

In pago Oliua ex ruinis Caperensibus.

L. PVBLICIVS. L. F.
PAP. THIAMVS. E-
MERIT. AN. XXVII.
H. S. E. S. T. T. L.
CAECILIVS VET-
TO. SODALI CIP-
PVM. D. S. D.

Hoc est,

Lucius Publicius, Lucij filius Papiria Thiamus Emeritensis annorum viginti septē hic situs est. Sit tibi terra leuis. Cæcilius Vetto sodali cippum de suo dedicauit.

In eodem pago alius lapis.

L. DOMITIVS T. F.
GAL. VETTO. OTO
BESANI H. S. E. S. T.
T. L. DOMITIVS
FORTVNAT. PA-
TRONO. D. S. F.

Hoc

Hoc est,

Lucius Domitius Titi filius Galeria Vetto Otobesani hic situs est, sit tibi terra leuis, Domitius Fortunatus patrono de suo fecit.

Ptolemæus etiam duplici t t hos Lusitanos Vettonas scribit Ouettonas. Est & alia differentia. nam illi Vectones citerioris prouinciæ mediam syllabam productam habet: vt ostendant duo summi poetæ Lucanus, & Silius ille Pharsaliæ lib. 4. ita canens:

His præter Latias acies erat impiger Astur,
Vectonesq; leues, profugiq; a gente vetusta
Gallorum Celtæ miscentes nomen Iberis.

Hic autem lib. decimo sexto de Peloro equo in hunc modum:

Campis
Vectonum eductum genitrix effuderat Harpe.

Vettones vero Lusitani iuncti Turdulis ad Tagum, ac duplici t t scripti, eandem syllabam breuem habere comperiuntur ex ipso Vettoniæ nomine apud Prudentium in Diua Eulalia, clara colonia Vettoniæ. Cum quo facit & Sammonicus Serenus de Vettonica herba, quam a Vettonibus inuentam in Hispania dicit Plinius:

Vettonicæ mansus siccabit lumina succus.

Dioscorides Bettonicam appellatam a Romanis ait, cum Kestron appellent Græci. Breuem itaque syllabam eam comperimus: vnde colligi videtur, gentem aliam esse Vetto-

nes, aliam Vectones. Quæ si opinio recipitur, integra manebit cum Cæsaris, tum Strabonis, tum etiam Plinij auctoritas, Vectones a Lusitania separantum. Scriptura tamen Straboniani codicis emendanda erit, vt vbi Ouettones, vel Vuettones, vel Ouetiones scriptum est, reponatur Ouectones. Verum vacillabit tunc Ptolemæi descriptio, qui Vettones cum Vectonibus nominum similitudine videbitur confudisse, terminumq; Lusitaniæ orientalem partibus nouem cum semisse, & quadraginta & vna, ac fere besse definiens; hoc est per Sarabrin Vaccæorum vrbem, quã Taurum nostræ ætatis docti existimant, ductã linea vsque ad Metallinense oppidũ, olim coloniam, paulove supra. Sin vero opinio, vti noua, explodatur, doceat me aliquis, quinam sint Vettones Durio ab Asturia distermi nati, apud Pliniũ, & qui ab oriente vna cum Carpetanis, Vaccæis, & Callæcis Lusitaniam cingant, apud Strabonem, & cur Ptolemæus, Vettonibus circa Tagum omissis, illorum tantum, qui Durio ab Asturia destinentur, & vsque ad Caperam sunt, mentionem fecerit.

Si ab ea perplexitate extricari possemus, diffusis partim per citeriorem Hispaniã iuxta Carpetanos, & Vaccæos Vettonibus, Durium ex aduerso Asturum adcolentibus, partim circa Tagum iuxta Turdulos, aut ita suppressis Turdulis, vt Vettonum excelleret no-

men vsque ad Anam, vnde Emerita Vettonum clara colonia a sanctissimo, eodemque doctissimo Prudentio vocata sit; iuberem equidem omnes Cæsaris, Liuij, Strabonis, Lucani, Silij, ac Plinij emendare locos, in quibus per litteras ꝯ scripti sunt; & ad duplex tt omneis reducerem, & illos, qui ab Asturibus Durio secernuntur, Lusitania cum Plinio excluderem, terminumq. Lusitaniæ orientalem non tam intus ad citeriorem Hispaniam limitarem, sed a Durij secundo flexu, quem supra ad Fraxinum notaui, hoc est a loco vbi Tormis Salmanticensium fluuius in Durium se condit, & amnis recto iam alueo hodiernam Lusitaniã ingreditur, eamq. diuidit a Callæcis Bracaris, vt auctor est Plinius, inde per Rodericopolin, Plagentiam, & Castra Iulia ad Metallinense oppidum, pari loue supra lineam dirigerem.

Quod autem ad syllabæ mensuram attinet, aut Prudentio, Serenoq. minus fiderem, aut, si iniurium hoc est, ancipitem eam dicerem, vt permultas obseruarunt grammatici, apud poetas, quod instituti nostri modo non est. Hereremus tamen rursus propter Ptolemæum, qui longius, ac penitius a septentrionali capite Lusitaniam extendit, Plinio homine Romano, cui non credere durũ est, aperte reclamante.

Vsque adeo verum est, quod ipse ait Pli-

nius in fine primi cap.lib.3 alibi mutato prouinciarum modo, alibi aliis aliunde exordiū mensuræ capiētibus, factum esse, vt nulli duo concinant. Concludamus igitur, Vettones, vel alios esse à Vectonibus, vel si iidem fuūt, quod magis probamus, per geminum t t, debere scribi: nec omneis ad Lusitaniam pertinere, sed magnam eorū partem per citerioris Hispaniæ finitimos Carpetanos, atque Vaccæos ad Asturea vsque diffundi, quo illos à Lusitania seiungūt Strabo, atque Plinius, licet non seiungit Ptolemæus: partem alteram Lusitanis cohæsisse, protenso etiam vsque ad Anam nomine, & cum ceteris Lusitanis prouinciam vnam coluisse: nouissime tandem per se prouinciam effecisse Vettoniam, cuius caput, ac metropolis esset Augusta Emerita, alioqui in Turdulis sita: vnde eam sacer Prudentius claram Vettoniæ coloniam appellarit, cum tamen eandem alibi, diuersa respiciens tempora, Lusitanorum caput oppidorum dixit. Factam vero Vettoniam per se prouinciam, ex eoq. tempore cœpisse Vettoniam, & Vettones separatim à Lusitanis scribi, in libello ad Kebedium nuper ostendimus, & ex inscriptionibus paulo ante relatis comprobatur.

DE BAR-

DE BARBARIIS.

LOnge minus negotij nobis exhibebunt Barbarij, cum propter obſcuritatem gentis, tum propter ſitum, & eorum ſedes ambiguitate nulla confuſas, a promontorio ex ipſorum nomine vocato vſque ad ſinum Olyſipponenſem. Sed de promontorio poſtea: de nomine propter nouitatem diſquirā aliquantulum. Mihi nonnumquam ſubiit cogitare, cur mons, quem Rabidam vocamus, Barbarius dicatur, & populi circa eum Barbarij, omiſſa Floriani Campenſis ignominioſæ appellationis fabula, ad morum aſperitatem denominationem torquentis. Mei autem inſtituti non eſt hiſtorias per figmenta concinnare. Neque enim Barbari vocantur, ſed Barbarij, vt docet Strabo libro tertio de ſtanno loquens, quod generari dicit in Barbariis ſupra Luſitanos, & in Caſſiteriis inſulis, & e Britannis Maſſiliam deferri: & eodem libro promontorium Barbarium nominat: quo etiam nomine Ptolemæus vtitur.

A Barbaro autem, cum ad ingenium refertur, Barbaricus, non Barbarius deriuatur. Veni igitur in hanc cogitationem: montis huius omnes rupes iaſpideæ ſunt, inueniunturq. inter eas iaſpides albi, purpurei, virides, varij, ac multicolores, ſplendore mirabili. Cæduntur inde columnæ, poſtes, & ſimilia, quæ

vbi accedit politio translucent in tantum, vt speculorum vicem & præbeant, & vincant. At vero terrenum laudatissimo abundat cocco, Emeritensi, quod laudat Plinius, nullo modo cedente. Ex quo tingunt infectores vestem, quam scarlatam, vel granam nostri homines appellant, videlicet a granis, quæ in fruticetis toto eo tractu nascuntur, sicut veteres a vermiculo in iisdē granis innato blattæ simili, vermiculatam vestem dixere, quam recentiores blatteam, coccineam vel purpuream volentes significare: etsi hæ distinctionem capiunt.

Nam purpurea proprie ex sanguine purpurarum, conchyliorum ve fit: coccinea vero ex ipso, quod dixi, cocco. Heinc Suetonius in Neronis luxuriam inuectus, aureo reti, & funibus purpura coccoq. nexis piscatum eum criminatur. Quod recentiori verbo, *blatteis funibus*, dixit Eutropius. Multumq. vsi sunt ea voce illius æui scriptores. Ac propter eminentis coloris in vtrisque similitudinem cœperunt ista confundi. Ostendam hoc ex Sidonio Apollinari, non contemnendo poeta, in hoc Anacreontico monstrose deprauato, nostraq. opera, sicut cetera eius auctoris scripta, restituto.

Rutilum thoreuma bisso,
Rutilasq. ferte blattas,
Recoquente quas aheno

Melibœa fucat vnda ;
Opulentet vt meraco
Bibulum colore vellus ,
Perigrina det supellex
Ctesiphontis , & Niphatis
Iuga texta, Belluasq.
Rapidas vatante pano :
Acuit quibus furorem
Bene ficta plaga cocco ,
Iaculoq. ceu forante
Cruor incruentus exit.

In quibus carminibus aperte confundit blattam, purpuram , & coccum . Melibœa namque purpura ex conchis est, vt ostendit Lucretius lib. 2.

Iam tibi Barbaricæ vestes , Melibœaq. fulgens
Purpura , Thessalico concharum tecta colore .

Vbi etiam aduertendum , quas vestes barbaricas dixit Lucretius, peregrinam supellectilem dixisse Apollinarem . Redeamus iam ad institutum . Vestium purpura, cocco, vermiculo, quæ a barbaris terris, id est peregrinis, adlata erant, infectores, Barbaricarij appellari cœperunt, vt patet C. de excusationibus artificum, & de palatinis sac. larg. quod etiã adnotauit Alciatus in treis posteriores libros Codicis. Marianus Scotus in tit. Magistri officiorum , & fabricam, Barbarios eos vocat .

Etenim isthæc nomina in arius finita , ho-

minum fere officia significant, Sagarius, Caligarius, Limbolarius, & quæ multa alia apud Plautum in Aulularia bonus ille Megadorus enumerat. Sic Barbaricarius, & Barbarius ad harum rerũ officinas, opificesq. pertinent. Populi itaque isti, de quibus loquimur, Barbarij appellantur. Cogitabam igitur si forte a cocco, quod in magna multitudine colligerent, venderentque negociatoribus Romam eam mercem conuecturis, aut forte ipsi baphicæ gnari tingerent, Barbarij fuerint nuncupati. verum hæc ariolando. Quare huic meæ coniecturæ addici lectores neque postulo, neque parteis suscepi meo periculo istiusmodi appellationum causas, originesve tradendi.

DE PRAESVRIS, AVT Præsuribus.

IGnobiles, & obscuri sunt Præsuri, ab vnoq. auctorum omnium Plinio memorari. Late paterent, an terminis angustis concluderentur æque ignotum. In nobilissimo illo super Tagum ponte ad Vettoniæ oppidum Alcantaram, inter cetera prouinciæ Lusitaniæ municipia, quæ stipem ad pontem conficiendum contulisse memoriæ proditum ibi est, Pæsures vltimi recensentur. Quo sane intelligimus, non longe eos inde esse discretos:

simulq.

ſimulq. emendandum eorum in codicibus Plinianis nomen a ſecunda in tertiam inflexionem. De inſcriptione vero pontis huius, cum vrbeis enarrabimus, tunc agemus.

DE TVRDVLIS VETERIBVS.

COntra autem Turduli veteres valde celebres, & parẽtes omnium Turdulorũ, qui vlterioris Hiſpaniæ maximam partem ſuo nomine repleuerũt. Ab iis enim prodijſſe quaſi examina Turdulos, & in Betica, & iuxta Anam forſitan & Turdetanos: indicio eſt ipſum veterum cognomentum. cum enim veteres iſti ſint, reliquos omnes recẽtiores eſſe oportet. Eorum regionem Plinius a Durio dextrorſus Oceanum verſus deſignat; ſiniſtrorſus vero ex dictis ſuperiori capite, Pæſures Turdulis ſubiunctos ab Plinio incolere exiſtimamus. Pomponius, cui in Hiſpaniæ rebus multum eſt merito tribuendum, a Tagi oſtio ad Durium eos extendit: Ab ijs, inquit, promontoriis ad illam partem, quæ receſſit, ingens flexus aperitur, in eoque ſunt Turduli veteres, Turdulorumq. oppida. Amnes autem Munda in medium fere vltimi promontorij latus effluens, & radices eiuſdem abluens Durius.

QVA-

QVALIS GENS LVSITANI.

EXplicauimus summatim Lusitaniam triplici terminorum differentia: a quibusq; populis ante Gothorum illuuionem, de quibus postea, possessa olim sit, dictum satis. Exigit ordo, vt, qualis nam fuerit ea gens, quibusue moribus, indicemus. Et quidē gentem esse fortem, vt nostra tempora non praeoccupemus, antiqui scriptores non tacuere. Diodorus Siculus omnium Celtiberorum fortissimos esse Lusitanos asseruit. Quo loco, vt obiter dicamus, aut legendum, omnium Iberorum, aut Diodorus Iberos omnes Celtiberos appellasse, minus apte est existimandus. Sed cum statim Lusitanos galeam, ensemq; ferre Celtiberorum more dixerit, absque dubio a Celtiberis eos separat.

Quare magis placet, vt lectio emendetur, legaturq. Omnium Iberorū. Ceterum ad fortitudinem pertinet, quod Strabo ait, Lusitaniam annis plurimis Romanorum armis oppugnatam. Fortitudinem quoque arguit constans, ac grauissimū Decimo Bruto Cinnaniēsium responsum, quod affert lib. 6. Valerius, neque sine animi quodam exulcerati, & forte ex inuidia, dolore. Melius, inquit, sine dubio homines nostri sanguinis haec dixissent, quam audissent. Vrsit tamen veritas scriptorem ita concludere. Sed illos quidem natura

in huius grauitatis vestigia deduxit.

Nec ad fortitudinem non pertinet, quod idem Valerius titulo de vafre dictis, aut factis commemorat, non potuisse Sertorium Lusitanos oratione flectere, ne cum vniuersa Romanorum acie vellent cōfligere, donec vellendis equorum duorum caudis notissimū illud exemplum oculis mirantium obiecit. Vocet Valerius suo libito gentem barbaram, asperam, regi difficilem, his opprobriis parum disciplinæ militaris peritos Lusitanos arguerit, imbelleis, aut ignauos animos iis minime fuisse eadem illa narratione palam prædicat. Multa Liuius tertia, quarta, & quinta decadibus prœlia cum Lusitanis varia fortuna commissa refert. Quamquam suspecta scriptorum Romanorum censeri fides merito possit. Fere enim eleuant, & attenuāt barbarorum, sicuti aiunt, res gestas, suas augent etiam immodice, vitio fortasse priorum.

Diserte Strabo Polybium notauit libro 3. quòd trecentas Celtiberorum vrbeis in Tiberij Gracchi gratiam subuersas ab illo memoriç prodiderit. Nam Imperatores, inquit, & rerum gestarum scriptores, vt ornatiora efficiant negotia, ad hoc mentiendi genus feruntur. Antiatem Valerium non semel ipse Liuius perstringit, vt in numero augendo intemperantem, atque immodicum, & pręcipue circa finem lib. sexti tertię decadis, adeo

nullus

nullus inquiens, mentiendi modus est. Ex quo cum pleraque desumpserit, non mirum si fallat similiter.

Expendatur (vt vnum hoc argumentum verbi causa referam) Publij Cornelij Cnei filij Scipionis propraetoris pugna cum Lusitanis, qui deuastata vlteriore Hispania onusti praeda domum redibant, narrata in initio quinti libri quartae decadis. eius ipsius verba recensebo.

Praetor haec gesserat Scipio. Idem propraetor Lusitanos, deuastata vlteriori prouincia. cum ingenti praeda domum redeunteis in ipso itinere adgressus, ab hora tertia diei ad octauam incerto euentu pugnauit, numero militum impar, superior aliis. Nam & acie frequenti armatis ad longum, & impeditum turba pecorum agmen, & recenti milite aduersus fessos longo itinere concurrerat. Tertia namque vigilia exierant hostes. Huic nocturno itineri tres diurnae horae accesserant, nec vlla data quiete labori viae praelium exceperat. Itaque principio pugnae vigoris aliquid in corporibus, animisq. fuit. Et turbauerant primo Romanos, deinde aequata paulisper pugna est. In hoc discrimine ludos Ioui, si vi fudisset, cecidissetq. hosteis, propraetor vouit. Tandem gradum acrius intulere Romani, cessitq. Lusitanus: deinde prorsus terga dedit. Et cum institissent fugientibus victores

ctores, ad xii. millia hostium sunt cæsa, capti quingenti quadraginta, omnes ferme equites, & signa militaria capta centum triginta quattuor. De exercitu Romano septuaginta, & tres amissi.

Cui enim Liui dissertissime suspectum non sit, in prælio continentium horarum quinque incerto euentu, in quo primo turbatos fuisse ais Romanos, deinde paulisper æquatam pugnam, proprætoremq. in eo discrimi ne ludos vouisse Ioui, quod sane solent ij, qui de victoria desperant, duodecim Lusitanorum cecidisse millia, captos quingentos quadraginta, omnes ferme equites; de Romano vero exercitu tantum amissos treis & septuaginta? Aggressus inquis est proprætor armatorum frequenti acie longum & impeditum turba pecorum agmen, recenti milite fessos longo itinere, accipimus, vt merito credantur Romani Lusitanorum multa millia cecidisse: Sed in duodecim millium clade solos treis & septuaginta amisisse Romanos, nescio an persuadeas.

Quid enim Romanos turbauit? Quid est post quinque horarum spatium incerto euentu paulisper æquatam fuisse pugnam? Ab hora tertia diei vsque ad octauam incerto euentu pugnauit Romanus, deinde æquata paulisper pugna est.

Si tam illæsi in prælio erant Romani, si tam

obtusis

obtusis gladiis, & exhausto vigore Lusitani, cur horis continetibus quinque incertus fuit euentus? an non, quia cædebant, & cædebantur? Quid sibi vult, æquatã fuisse pugnam, nisi eatenus inferiores fuisse Romanos? & persuadebis in tanto discrimine, cum Lusitanorum duodecim millia cæsa fuerint, solos treis & septuaginta de Romano exercitu fuisse amissos?

Sed bene quod itinere lõgo fessos, & de tertia vigilia egressos, prædaq. longo agmine impeditos, confessus es, parum alioqui fidei habiturus. Non enim gerebatur res cum fugacibus Armeniis, & ventosi Tigranis exercitu, sed cum Lusitanis assuetis pugnare contra Romanos, quorũ forti opera vsus fuerat Hannibal, non modo in Hispania, sed in ipsa etiã Italia, quiq. Lucij Aemilij Pauli proprætoris exercitum apud Lyconem oppidũ profligarunt, cæsis vno prœlio sex Romanorum millibus, ceteris intra vallum compulsis, ac ægre castra defendentibus, ac tandem ad modum fugientium magnis itineribus in pacatum agrum reductis. Quod idem testatur Liuius decadis quartæ lib. 7. Vbi etiam aduertant lectores, quàm religiose Romanorum fugam scriptor facundissimus obumbret, ad modum fugientium magnis itineribus in agrum pacatum perductos memorans.

Orosius certe L. Aemilium cum vniuerso

exerci-

exercitu cæsum interiisse dicit libro 4. cap. 20. de quo alibi diffusius, & cap. 21. Sergium Galbam prætorem à Lusitanis magno prælio victum, vniuerso exercitu amisso, cum paucis vix elapsum euasisse narrat. Ex qua ignominia cum se postea vlcisci Galba statuisset, Lusitanos, qui citra Tagum habitabant, sponte sua se dedentes ad colloquium vocauit, simulans de eorum se commodis acturum. Sed circumpositis militibus, inermes, atque incautos per scelus maximum omneis profligauit. Quæ res, inquit Orosius, postea vniuersæ Hispaniæ propter Romanorum perfidiam causa maximi tumultus fuit.

Trium Lusitaniæ ciuitatum conuocato populo, vt scribit Valerius Maximus libro nono titulo de perfidia, nouem millia, in quibus flos iuuentutis consistebat, partim trucidauit, partim vendidit.

Accusauit acriter M. Cato Sergium Galbam pro interfectis contra interpositam fidē Lusitanis, vt testatur in Bruto M. Tullius, & obiter in Diuinatione, quod explicat latiuscule Asconius Pedianus, & Liuij epitome lib. 49. & idem Valerius Max. lib. 8. cap. 1.

Nonagesimū autem ætatis annum agebat Cato, cum Galbam accusauit, teste Liuio, decadis 4. lib. 9.

Ab Orosio non discedamus. Is ex Claudio narrat, trecētos Lusitanos cū mille Romanis

pugnam

pugnam commisisse: in qua septuaginta Lusitani, Romani autem trecentũ viginti cecide-rint. Cumq. victores sparsi iam, atque securi abiissent, ũnusq. ex illis longe à ceteris segregatus maneret, à circumfusis equitibus pedes ipse est deprehensus: ille tamen viiius eorum equo lancea perfosso, ipsius equitis vno gladij ictu caput desecuit. Quo facto, ita omneis metu percussit, vt prospectantibus cunctis ipse contemptius atque ociosus abscederet.

Suppeterent nobis similia fortitudinis exempla, si modestius sua extulissent Romani. Nos autem cum rerum nostrarum scriptores alios non habeamus, ex ijs, siue æquis, siue iniquis cogimur accipere, quantum illis prodere de nobis fuit libitum. Nonnumquam tamen veritas excidit imprudentibus.

A Gallis, & à Lusitanis Romanos per arma grauiter vexatos ait Iulius obsequens capit. decimo quinto de prodigiis, & cap. 40. à Lusitanis exercitum Romanum cæsum. Florus lib. 2. cap. 17. Tota certaminum moles cum Lusitanis fuit, & Numantinis. neque immerito, quippe solis gentium duces contigerunt. Ex quibus verbis perspicuum fit, duces magnũ ad victoriam afferre momentum: quos cum semper haberent Romani, non mirum, si turbam hominum sine duce incomposítam vincerent.

At quoties duces contingebant militaris rei non ignari, non tantum se iactabant Romani. Esto indicium vel Lusitanus Viriatus, si fortuna cessisset, Hispaniæ Romulus, vt idẽ scribit Florus, vel Sertorius. Facetus est Iustinus lib. vlt. In tanta sæculorum serie nullus illis dux magnus præter Viriatum fuit, qui annos decem varia victoria Romanos fatigauit. Adeo feris quam hominibus propriora sunt ingenia. Quæso te Iustine, cur feris quã hominibus propriora dicis nostrorum ingenia? Quia annos decem Romanos varia victoria fatigauerunt? Quid? Romanorum, cum Lusitanos variis fatigabant victoriis, ingenia dijs credo quam hominibus existimares. Est ne, an minime, quod superius dixi, Latinos scriptores semper vt potuerunt nostra detrectasse? Sed de fortitudine isthæc sufficiant.

Mores Strabo, quales suo tempore acceperat, diligenter annotauit; neque tunc quidem malos, neque modo nobis erubescendos. Quorum multi cum religione mutati sunt, multi etiam perseuerant. Ex iis exponam aliquos.

Quòd insidiatores eos dixit, nemo in peiorem partẽ accipiat. Militare enim vocabulum est, vt admonuit Iulius pollux capite 10. Cicero ea re Q. Fabium Maximum laudat libro de officiis primo. Callidum Hannibalem ex gente Pœnorum, ex nostris ducibus,

Q. Maximum accepimus, facile cælare, tacere, dissimulare, insidiari, præripere hostium consilia. Quod ad Lusitanos attinet, Dion. Herminij montis incolas Cæsari insidias parasse ait.

Pugio lateri adhæret. Pugionum vsus Hispaniæ antiquissimus, qui me puero in magno honore viris adhuc erat, paulatim deflu xit ad sicas, quibus etiam impuberes ante nimis properum ensium vsum sæpe in suam perniciem, & parentum orbitatē armantur.

Vnusquisque plura fert iacula. Callaicorū, & Bracarorum etiam nunc plerique ex plebe id seruant, cum ad agros egrediuntur, bina ferentes iacula, & quidem amentata.

Quidam vtuntur & hastilibus. Transtaganorum mos hic est, etiam pedibus euntium, lanceas sane longas extra vrbē gestare. Equitibus habiliores sunt.

Aquæ potores. Id ad nostrā ætatem etiam magna ex parte durat, præsertim inter nobiles. Certe pueri citra pubertatem abstemij generatim sunt. Regibus, ac Principibus nostris sollemnis est vini abstinentia.

Ceterum, Spartano ritu degere Lusitanos, & Græco more Hecatombas facere, gymnica certamina exercere, quæq. sequuntur, omnia eo pertinent, vt Græcam Lusitanorum originem ostendant. Cetera possunt, qui velint, ex ipso Strabone petere.

Leui


Leui armatura vti Lusitanos, primo belli ciuilis commentario Cæsar asserit. Grauiorem, & quæ Panoplia vocatur, à Romanis Gallis, atque Germanis accepere. Cetratos pugnare pedites, & Cæsar, Liuius, & Silius, & plerique alij atteſtantur.

Prosequamur & illam Calleciæ partem, quam annexam Lusitaniæ supra memorauimus, videlicet Bracaros ab vrbe gentis capite nominatos. Vetusto hi nomine Gronij dicebantur Pomponio, Plinioque. quamquam in Plinio emendata iam lectio est, & pro Groniis substituti Grauij, ex Silio lib. 1.

Quique super grauios lucentes uoluit arenas,
Infernæ populis referens oblinia Lethes.

Et libro tertio.

Et quos nunc Grauios, uiolato nomine Graium
Oenææ misere domus.



Plinius quadrifariam partitur, in Helenos, Grauios, Leunos, Seurbos. Adhuc minutius Ptolemæus, in Turdulos, Nemetatos, Cœletinos, Bibalos, Limicos, Gruios, quos alij Grauios, Luangos, Quarquernos, Lubænos, & Narbasos. Sed hæc potius ciuitatum sunt nomina, vt est Aquis Flauijs in columna, de qua suo loco. vbi legitur:

CIVITATES. DECEM
AQVI FLAVIENSES.
AOBRIGENS.
BIBALI.
COELERINI.
EQVAESIL.
INTERAMICI.
LIMICI.
AEBISOC.
QVARQVERN.
TAMACANI.

Hoc est,

Ciuitates decem, Aqui Flauienses, Aobrigenses, Bibali, Cœlerini, Equæsilici, Interamici, Limici, Aebisoci, Quarquerni, Tamacani.

Pomponius vero vno nomine Gronios, seu potius Grauios complexus est. Addit Iustinus Amphilochos, Græcæ originis. Strabo Hellenas, & Amphilocos: & Græcorum sobolis omnia, dixit Plinius. Nam, præter Teucrū, Telamonis filium, quem scribit Iustinus ad Callæciam venisse, & genti nomen dedisse, etiam Diomedes, eo delatus, Tyden vrbem condidit, quam propterea Aetolam Silius cognominauit, lib. 3.

Aetolaq. Tyde.

Durio vicinos amni, Spartano ritu degere, Strabo de Lusitanis agens, memoriæ prodidit.

didit. Hecatombas, certamina gymnica, ludos, armis, equis, cestibus, & cursu solitos celebrare; itemq. coniugia Græcanico ritu: vt absque dubio Græcam hi populi præ se ferant originem.

Liberi patris, atque Olyssis vetustiora sæcula supra memorauimus. Adeo verum est, Græcæ originis multa in Hispania superesse vestigia vt etiam linguæ complura, & vocabula, & Hellenismi, & pleræq. diphtongi, ipsiq. etiam additi nominibus articuli, eorumque vsus apud nos & sit, & custodiatur. Aliquando, curiositatis studio, atque animi causa, otio abusus, siluam collegi vocabulorum fere quingentorum, cum sua dialecto, nobis ex Græco relictorum. quæ persequi, huius loci nequaquam est.

DE MONTIBVS.

MOntes nonnullos habet Lusitania: sed, quorum mentio facienda sit, Cicum, Barbarium, Iunctum, Herminium, Lunæ montem, Tapiæum, Cordibam, Alcobam, Murum, Maranum, & Iuressum. Mons Cicus ab Castro Marino oppido, Anæq. fluminis exitu incipiens, tamquam Marianorum montium appendix, Algarbij Regnum secat, & nonnullis emissis fluminibus, in mare propinquum se condentibus, ad oppidum Algiazur cum

fluuio eiusdem nominis in occidentalis Oceani littore deficit. De Barbario superius dictum satis.

Lunæ montem, nos Sintriæ, ab oppido appellamus, efficitq. promõtorium illud, quod magnum, siue Olysipponense appellant geographi. In cuius summis rupibus templum est Sanctissimæ Dei Matri sacrum, ab indigenis maxima religione cultum, simulq. cœnobium monachorum, ad S. Hieronymum vitæ institutum referentium, non tam numero, quam morum integritate suspiciendum. Ad radices montis, in ipso promontorij cacumine, quo in Oceanum præcipitatur, templum olim fuit, Soli, & Lunæ sacrum. Cuius modo inter littorales arenas ruinæ tantum extant, & cippi aliquot inscripti, superstitiones antiquæ indices.

Vnus sic habet.

SOLI. ET. LVNAE.
CEST. ACIDIVS
PERENNIS
LEG. AVG.
PROPR. PROV.
LVSITANIAE

Hoc est.

Soli, & Lunæ Cestius Acidius Perennis Legatus

gatus Augustalis Proprætor prouinciæ Lusitaniæ.

Alter autem sic.

SOLI. AETERNO. LVNAE
PRO. AETERNITATE. IMPERII
ET. SALVTE. IMP. CAI ... SEPTIMII. SEVERI
ET. IMP. AVG. CAES. M. AVRELII. ANTONINI
AVG. PII
.... CAES.
ET. IVLIAE. AVG. MATRIS. CAES.
DRVSVS. VALERIVS. CAELIANVS
VIATI. VSI..... AVGVSTORVM
CVM V... SVALE..... NI.... SVA
ET. Q. IVLIVS. SATVR. QVAL....
ET. ANTONIVS........

Hoc est.

Soli æterno, Lunæ, pro æternitate imperij, & salute Imp. Cæs. Septimij Seueri, Augusti Pij, & Imp. Cæs. M. Aurelij Antonini Augusti Pij .... Cæsaris, & Iuliæ Augustæ, Matris Cæsaris, Drusus Valerius Cælianus .... & Q. Iulius Saturninus, & Antonius ... .

Est ibi præterea ingens alius cippus, qui habet supra triginta lineas littera minutiore. ve-

re, verũ iniuria temporis,& aſpergine maris in tantam ſcabritiem deuenit, vt in vnaquaque linea vix litteræ quattuor agnoſcantur. Atque hic eſt locus in quo, qui ſacroſanctæ vetuſtatis inſcriptiones typis in Germania edendas curauerunt, erutas fuiſſe aiunt quadratas columnas tres, in quarum vna vaticinium Sibyllæ contineri aſſerunt.

VOLVENTVR SAXA LITTERIS ET ORDINE RECTIS.

Quod vaticinium ego fictum exiſtimo, & tres illas quadratas columnas tres eſſe cippos, quos dixi, ſunt enim ingentes. Valentinum vero Morauum, fabulæ aſſertorem, virum bonum, negotiatorem ſplendidum, litterarum tamen Latinarum rudem fuiſſe accepi, vt facile fuerit ab impoſtore quodam decipi, & nouæ rei admiratione inductum ſuſpicor voluiſſe Germanos ſuos participare.

DE MONTE TAGRO, ſiue Iuncto.

TAgrum montem, in quo equæ vento concipiunt, Olyſipponi vicinum Varro aſſerit. In fætura, inquit, res incredibilis eſt in Hiſpania, ſed eſt vera, quod in Luſitania ad Oceanum, in ea regione, vbi eſt oppidum Olyſippo,

Olyſippo, monte Tagro, quædam e vento, certo tempore, concipiunt equæ. Non diſputo de conceptu ex vento, re nobis modo incomperta. Sed, quod ad inſtitutũ meum attinet, mouet mihi ſcrupuli neſcio quid, ſimilitudo Tagri, & Tagi, hoc eſt montis, & fluuij.

Subdubitaui ſæpe, referendum ne eſſet, quod de monte ait, ad amnem, vt pro Tagro monte, amne Tago ſubſtitueremus. Quemadmodum fecit Plinius, qui Circa Olyſipponem oppidum, & Tagum amnem, dixit: & Iuſtinus, In Luſitania, iuxta fluuium Tagum. Sed duæ res impedimento ſunt: altera, quod non bene diceretur, equas concipere amne Tago: altera Columellæ verba mõtem quoque nominantis, tametſi ſacrum, non Tagrũ. Verum, cum id à Varrone acceperit, ad illius lectionem reuocandus vtique eſt. Quod ſi quis opinatur etiam apud Varronem legendum, Monte ſacro, non repugnarem, ſi montem aliquem ſacrum alicubi iſto in loco legeremus. Sacrum montem in Callæcia eſſe nouimus ex Iuſtino. Sacrum & in Luſitania, qui eiuſdem nominis efficit promontorium. Sed horum vterque longiſſime ab Olyſippone diſtat, cum Varro vicinum dicat. Quare non audeo lectionem eius immutare: neque temere in notæ eius auctoribus id faciendum cenſeo.

Nam

Nam, quod Plinius, & Iustinus, Iuxta amnem Tagum, dixere, non tollit, in monte, qui iuxta ipsum amnem sit, idem etiam fieri, vt vere dixerint hi, iuxta amnem, & illi, In monte. Ceterum montem hunc eum esse, quem Iunctum adcolæ vocant, contiguumq. illi Albardum, videtur liquere, ex equiferorum inibi passim multitudine per montem; cum solitarie, tum etiam gregatim errantium. Corporatura illis mediocris, sed firma. soliditas vngularum siccissima pernicitas mirabilis. Quare capti, ac domiti, ad perferendos labores, tam sarcinæ, quàm itineris, ceteris duritia, videlicet rupibus assueti, longe præstant.

Sed, quamquàm de conceptu ex vento disputandum a me negaui, referam tamẽ, quod inquirendæ rei gratia percunctanti, mihi indicatum est. Diuerti ab hinc septennium apud colonum agri Beneuentani, iuxta Tagum: &, cum ab illo quærerem, ecquid de huiuscemodi conceptu, aut sciret ipse, aut ab aliis auditum meminisset, respondit, neq; se, neque vicinos, qui equarias haberent, de ea vmquam re fuisse solicitos. Tantum, vt equire feminas animaduerterent, admitti eas curare. Se tamen, cum pulchram equam haberet, cuperetq. bene vendibilem in proximas nundinas efficere, ante hinnitum, in Insula, quæ in medio Tago est,

go eſt, ſolam incluſiſſe, vt abundantia pabuli ſaginaretur. Inuiſam póſt menſes duos reperiſſe grauidam, miratumque, eo quod illuc nũquam acceſſiſſet admiſſarius, euentum expectaſſe. Septem feré iam menſes, cum tuliſſet vterum, enixa non quidem animal, ſed concreti ſanguinis informem materiam, abortumq. ſuſpicatum.

De hac equarum genitura aliud noui nihil. miror tamen, vt Virgilium, Siliumq. libro tertio taceam, Varronem doctrina tanta, eſſe veram aſſeuerantem, Columellę habitam pro notiſſima, Plinium conſtare teſtatum, nec vno id loco referentem. Verum id inter ſe agitent phyſici. Nos ad ſuſceptam materiam reuertamur.

DE MONTE HERMINIO.

HErminium montem, & olim in epiſtola ad Emmanuelem Soſam, Arruncenſis caſtri præfectum, virum nobilem, & eruditum, & poſt ad Ioannem Vaſæum, oſtendi eum eſſe, in quo Alacriportus ciuitas, Aruncis, Alacretum, Maruanum, aliaq. oppida non contemnenda ſita ſunt. Ad cuius radices extant adhuc Meidubrigæ vrbis ruinæ, non procul à Maruano Caſtro, cuiuſque ediſtiſſimum culmen ſupra dirutam vrbem, etiam dum veterem appellationem retinet.

Her-

Herminius enim mons vocatur.

Ipsa etiam destructa ciuitas a monte, cui subiecta est, Herminia vulgo dicitur, siue, vt Lusitanè loquar, Haraminia. Supersunt tota illa inter montes conualle, hic turres, illic super fluuium pontes, hic ædium nobilium strata pauimenta, etiam Asarotica, illic ductus aquæ fontanæ, parte alia parietes semidiruti, & alia veteris frequentiæ manifesta indicia. Fodinæ quoque plumbi, aurique, vt indigenæ aiunt, multis locis per latera montis apertæ, vt non immerito Meidubrigenses Plumbarios Plinius cognominarit. Veni in loci huius notitiam primum ex ipso seruato ad hanc diem montis nomine, conspectisq. inter ruinas sepultæ vrbis vestigijs. Deinde ex collatis Hirtij, aut Oppij verbis in commentario belli Alexandrini, qni est ciuilium bellorum quartus, vbi refertur Cassius Longinus Meidubrigam oppidum, montemq. Herminium, quo Meidubrigenses confugerant, exgugnasse. Eamq. mihi opinionem confirmauit Antonini Pij itinerarium, tribus ab Olysippone Emeritam positis itineribus. Quorum in tertio Meidubriga LXIIII. M. pass. distat ab Emerita, hoc est Hispanicis leucis sedecim. Tot enim modo numerantur. Sic: Post Meidubrigam, ad septem Aras, vbi nunc Alacretum est oppidum, M. pass. XIIII. Plagiaria. M.

p.xx. Emerita M.p.xxx. In ſecundo autem ſic: Poſt ſeptem Aras. Budua. M.p.xii. Eratq. Budua fere M.p.xii. ab eo loco, vbi nunc oppidũ eſt Campi Maioris, extatq. eo loco fanum Virginis matris, ad Botouam appellatum, videlicet Buduæ nominis in Betouæ nomen, facili ex cognatione litterarum deprauatione: A Budua vero Plagiaria. M.p.viii. Inde Emerita. M.p.xxx. Hoc ita explicandum cenſui, vt ab Emeritæ, ac Meidubrigæ propinquitate acquieſcat lectoris animus, nec titubet de Herminio monte, ac Meidubriga a me modo expoſitis, cum paulo poſt non parum inde reremotiorem montem Herminium quoque eſſe oſtendero.

Aio igitur, nominatum, ac celebrem tota Luſitania Stellæ montem, multis oppidis frequentem, multorum fluuiorum patrem, & vbi niues delicuere, ob pabuli abundantiam, maxime pecoroſum, Herminium quoque eſſe, neque obſtare inter modo expoſitum, & hunc Stellam ſine continuis montibus longiuſculum interuallum.

Quod autem Stellæ mons Herminius vocatus quoque ſit, patebit ex libris teſtamentorum, donationum, emptionum, ac venditionum cœnobij Canonicorum ſanctæ Crucis Conimbrigenſis.

In quarta igitur parte libri teſtamentorũ, inſtruméto primo, Comes Héricus, & Regina

Theraſia

Therasia, Alfonsi Henrici primi Portugaliæ regis parentes ita loquuntur: Facimus chartam donationis, de illa hereditate nomine Sancto Romano, quæ est sita iuxta Senam, sub monte Hermeno. Valde vero notum est, Senam oppidum, oppidumq. Sanctum Romanum, sub Stellæ monte esse, non longe ab insigni oppido, à Cabia Iuliani dicto, & lanificio celebri, de quo alias.

Instrumento octauo eiusdem libri, vbi agitur de hereditate Ansedi, habetur sic: Ego Ansedus de medietate totius nostræ hereditatis, quam habemus in villa Lagaris in territorio Senæ, subtus monte Hermeno.

Instrumento decimotertio, de hereditate Ioannis Garsiæ: De nostra terra, quam habemus in territorio Senæ, subtus monte Hermeno, in loco, qui dicitur Assamassa.

Instrumento quintodecimo, de Sancta Maria de Mesquida. Et est, inquit, sita sub monte Hermeno, in partibus Senæ.

Instrumento duo de vigesimo, de hereditate Pelagij Arici, sic: De tota illa hereditate, quam habemus in villa Sancti Romani, in loco scilicet, qui dicitur Assamassa, subtus monte Concjeiro. Vbi aduertendum, Sanctũ Romanum oppidum, & vicum Assamassam sub monte Hermeno prius dicta, modo sub monte Concieiro collocari: Videlicet, quia Concierus Herminij pars sit, peculiari nomi-

ne

ne Sancto Romano, & Assamassæ imminens.

Instrumento vndetrigesimo, de hereditate Sancij Vermuizij, sic est: De tota illa mea hereditate, quam habeo in villa Pallacios, territorio Senæ, sub monte Hermeno.

In secunda vero parte libri venditionum, instrumento primo, de hereditate Menendi Pelagij, ita legitur: In villa, quam vocant Lagares, subtus montem Hermenum, in territorio de Sena.

Instrumento septimo, itemq. duodecimo: In villa Sancti Romani, & in circuitu eius, sub monte Hermeno, discurrente fluuio Aluia. Et alias sæpe.

Semperq. hic mons Hermenus vocatur, non autem Stellæ, quasi nomen hoc recens, nec ita pridem sit impositum. Audiui, à pastoribus inditum, argumento Stellæ, in summitate cuiusdam rupis ab natura effigiatæ.

Hermenij montis incolas à Cæsare Lusitaniam prouinciam post præturam vrbis adepto expugnatos, ad hunc modũ scribit Dion, sub libri trigesimiseptimi finem. Cuius verba, quanta potui fide, ex Græco ita verti: Hoc eodem tempore Faustus, Syllæ filius, agonem monomachiæ pro patre fecit, & populum publico conuiuio excepit, & lauacra, atque oleum gratis præbuit. Et hæc quidem in vrbe facta sunt. Cæsar autem post præturam, Lusitaniæ imperium accepit. Cumq. potuis-

potuiſſet latrocinia, quæ ſemper apud illos erant, tollere ſine magno quopiam labore, otium habere noluit. Etenim, gloriæ cupidus, & Pompeio, aliiſque, qui ante ipſum multum potuerant, inuidens, nihil paruum animo concipiebat, ſed ſperabat quidpiam & ipſe tunc poſſe efficere, conſulq. ſtatim decerni, & opera ingentia edere. Cum propter alia, tum quia in Gadibus, quando quæſturam geſſit, ſomnium viderat, quaſi cum matre coiret, & ab interpretibus, ac diuinis didicerat, in magna ſe potentia eſſe futurum. Vnde & effigiem Alexandri ibi in Herculis templo ſuſpenſam videns, ſuſpirauit, & conqueſtus eſt, quòd nullum adhuc ipſe opus magnum feciſſet.

Ex eo igitur tempore, cum liceret illi pacem habere, vt dixi, ad montem Herminium verſus eſt. Iuſſitq. incolas eius in campeſtria ad habitandum tranſire, prætextu quidem, ne a munitis locis prodeuntes, latrocinarentur; re autem vera, quod non ignoraret, eos hoc numquam facturos, atque ex hoc belli occaſionem caperet. Quod & factum eſt. Eos igitur ad arma venire compulit. Verum, cum finitimorum quidam, veriti ne etiam in ipſos impetum faceret, filios, & vxores, & alia, quæ chara, ac pretioſa habebant, vltra Dorium clam exportarent, interim dum hoc faciebant, ipſe ciuitates illorum occupauit. Et

poſt

post hæc certamine congressus cum ipsis est, obiicientibusq; armenta sua, ac greges, vt in Romanos ad prædam pecorum dissipatos incurrerent, exercitum trāsmisit, illosq; adortus deuicit. Inter hæc, cum cognouisset eos, qui Herminium montem habitabant, abscessisse, & sibi reuertenti insidiaturos, tunc quidem aliò se contulit, rursus vero exercitum in eos duxit, &, cum præualuisset, ipsos ad Oceanum vsque fugientes, insecutus est. Postea vero quàm illi continentem relinquentes, in insulam quandam traiecere, cum ipse naues non haberet, circa regionem mansit, compactisq; ratibus, partem quandam exercitus aduersus eos misit, multos tamen ibi amisit. Etenim terram quandam è regione insulæ existentem cum aduertisset militum illorum præfectus, eosq. illuc adduxisset perinde ac pedibus transituros, ipse postea, æstus reciprocantis vi coactus, & subductus est, & illos deseruit. Ex illis autem alij quidem egregie se vlti occubuerunt, Publius vero Scæuius solus relictus, & scuto priuatus, adhæc multis vulneribus saucius, in aquam desiliit, ac demum enatauit. Atque hæc quidem tunc sic euenere. Postea vero Cæsar, a Gadibus accersitis nauigiis, in insulam cum toto exercitu transiuit, ipsosq. rei frumentariæ penuria laborantes sine pugna ad deditionem compulit. Atque inde, cum ad Brigantium, Calla-

ciæ ciuitatem prætemauigasset, recto nauigiorum cursu, illos, qui nondum ad id tempus classem viderant, exterruit, ac in potestatem redegit.

Hoc, quod hic narrat Dion, Cæsarem finitimorum Herminij ciuitates inuasisse, cum eo congruit, quod ait Suetonius, Lusitanorum illum quædam oppida hostiliter diripuisse, quamquam neque imperata detrectarent, & portas aduenienti patefacerent. Sed quænam Herminij pars hinc intelligatur, mihi nondum satis liquet. nam ex pecorum gregibus, & armentis, quæ Romanis incolæ, separandi exercitus gratia, obiiciebant, videtur significari Stellæ mons, vt ante dixi, pecorosus: quamquam pars illa vergens ad Meidubrigam oppidum non parum etiam pecoribus abundet.

Vxorum, filiorum, aliarumq. rerũ in pretio habitarum exportatio vltra Durium ad Stellæ montem Durio propinquiorem videtur pertinere. Rursus fuga Herminiensium, & Cæsaris insecutio vsque ad Oceanum, exposito priori loco, monti magis conueniunt. Sed quærendum vtrobique, quænam insula ista fuerit terræ contigua, ad quam siue pedibus, siue natatu, profugi transire potuerint, ad quã similiter & milites traiicere tẽtarint?

Non fuisse Londobrin, cuius meminit Ptolemæus, (Berlengam modo dicimus) indicio

est

est distantia a continente non modica. Et, cũ alia iuxta Lusitaniæ totius littus nulla nostro æuo extet, hæc, de qua Dion loquitur, vel incumbenti violentius mari abrasa, deletaque est, vel certe pæninsula illa oppidi Pænisci iuxta Atouguiam, erit intelligẽda. Nam etiam nunc alueo quingentis passibus lato a continenti seiungitur, qui pedibus æstu cedente trãsitur, redeunte vero insula plane fit, neque adiri vado potest. Et forte illo sæculo fuerit aliquanto maior.

Certe non importuosum esse locum, vt eo Cæsaris classis appellere, & in salo esse potuerit, Piratæ nouere. Qua vna ex causa Ludouicus Athaidius, tractus eius toparcha, vir dignus, de quo sermo longior haberetur, apud Regem Ioannem tertium expositis illius oræ periculis, institit, vt liceret illic sibi castrum firmissimum, operibus, propugnaculis, omniq. ad arcendos piratas necessaria supellecti le munitissimum extruere. cuius huiuscemodi inscriptionem præfixit:

Securitati

& Memoriæ

Emmanuelis. Lusitan. Regis. Pij. Fel. inuicti. fil.
Ioannes. III. Lusitan. Rex. pius. fel. inuictus
Castrum cũ propugnaculis. ad oppidi munimentum

Atque ad arcendos ab ora maritima Piratas
Petente, & curante
Domino Ludouido Athaidio,
Limitis Atougiaci toparcha

Eamq. rem, ne in historia vrbium postea repeteremus, hic oblata occasione, visum est non prætermittere. Epigramma quoque in tanti viri memoriam hoc, qualecumque est, ipsi fecimus.

Hæc infesta prius, Prædones sæpe marini
Qui faciebatis littora, quiq. mare
Ite alio posthac, longeq. facessite portu:
Longe hic per vastum velificate salum.
Donec Athaidius nostram tutabitur oram,
Stabit & hæc moles pulchra, superba, minax:
Piratis nullas datur hinc auertere prædas.
Nil rapere hac vobis in regione licet.

Ac de Herminio satis iam multa.

DE TAPIAEO MONTE.

Tapiæi montis nomen apud scriptorum antiquorum quempiam non legi, inueni tamen in vita sancti Martini, Sauriensis presbyteri, scripta à Saluiano alumno eius familiari. Eam reperi in libro testamentorum, vẽditionumq. Cœnobij Canonicorum sanctæ Crucis Conimbrigensis, charta quadragesima sexta. Quod adnotare volui, vt memoriã

sancti

sancti viri, quæ interciderat, renouarem. Quam aliquando spero me editurum, iisdem, quibus scripta est, verbis, vt lectori maiorem fidem faciam. Sed de hoc alibi. Quod ad rem facit, de qua agimus, scriptor ille, qualis qualis est, cum oppidum Saurium iuxta decursum Anæi fluminis in Mundam labentis pæne superflua curiositate describit, ita ait: Ab vrbe Colimbrianorum decimo octauo Austrum versus distat milliario. Ad Orientem sunt Tapiæi montis saxosa cacumina. Et alia, quæ sequuntur. Ex quibus patet Tapiæum montem esse, quem Ansidianum ab oppido nominamus, & inter Rapaciale, & Palumbare oppida excurrit; quiq; à Thomario Conimbrigã euntibus saxoso nimis itinere perquam molestus est. Quod nos in carmine ad Lupum Scintillam testati ita sumus.

Sic ereptaui cliuum lapidose superbum
Ansidiane tuum, sic per sine sole molestos
Anfractus Tapiae tuos, vergente senecta
Aeger anhelaui.

Summum montis iugum supra Rapaciale oppidum, adhuc, vt ab indigenis didici, portus Tapiæus dicitur.

DE MONTE CORDVBA.

CORduba mons in Portuensi diœcesi nomen adhuc vulgo retinet, nisi quod ru-

ſticorum inſcitia, primum conciſe montem Cordiã cœpit appellare; poſtea deprauatius, montem Coruum. De quo, & de Baſilicis in eo Saluatoris, ac ſancti Michaelis Archangeli, particularis fiet mentio in rebus, ac hiſtoria ſancti Rodeſindi Epiſcopi, & confeſſoris, quam etiam aliquando, Deo bene iuuante, ex tenebris in lucem proferendam curabimus.

DE ALCOBA MONTE.

ALcoba mons ex Conimbrigenſi diœceſi, per Viſenſem protenſus, in Lamecenſi, Muro monti coniungitur; nulla re alia magis clarus, quàm inſigni Virginis Aroccenſium parthenone, & fluuiis nobilium piſcium troctarum, Lampetrarum, aloſarumque, præter alia vulgara genera, feraciſſimis. Quorum tamen alij in Mundam, alij in Vaccam, in Durium alij ſe condentes, ſuorum nominum interitu, dant incrementum alueis alienis.

DE MONTIBVS, MARANO, Ireſſo, Suaio, & Muro.

MAranum, Iureſſum, & Murum, adde, ſi placet Suaium, ob id tantum referendos putaui, quia Bracarorum prouinciam, ita mediam ſecant; vt pars, quæ ab iis tendit ad mare, Interduriominia vocetur. De cuius

regionis laudibus, fertilitate, amœnitate, ac salubritate extat opusculum lectione minime indignum. Altera vero pars, quæ vltra eos montes, Minio ab læua relicto, Orientem versus adscendit, Transmontana vulgò appellatur.

Videntur autem hi montes quasi rami esse quidam montis Vindij: cuius Florus, & Orosius meminere. Ptolemæus Vindium vocat, qui ex Pyreneo supra Pompelonem, Cātabrorum vrbem; per Victoriam, eiusdem gentis ciuitatem, & Geminos Astures late excurrit, donec in duo diuisus cornua, altero Callaicum petit Oceanum, & Nerium promontorium, altero in meridiem flexus, Bracaros, vti dictum est, dissecat iuxta aquas Flauias Lusitanam ingressusq; ditionem, ac varijs subinde locis nomina quoque varia sortitur.

Finis Libri primi.

D. E.
ANTIQVITATIBVS
LVSITANIAE
Liber Secundus.
DE FLVMINIBVS.



VLTIS fluminibus irrigatur Lusitania. Id silentio non præterijt Strabo. Regio, inquit, de qua loquimur, felix est, & amnibus magnis, ac paruis irrigua. Qui omnes ab oriente pariter disiuncti à Tago sunt, & maiori ex parte nauigabiles, atque Anæ, Tagi, Mundæ, Vacçæ, Durij, Aui, Limiæ, ac Minij tanta claritas est, vt in eis explicādis operam insumere superfluum videatur. Sunt tamen singulis quædam peculiaria, quæ lectoribus, vt opinor, non iniucunda sunt futura. Veluti Anæ, tanto flumini, cuniculis se totum condere non semel, alicubi interstitio quadraginta millium passuum, rursusq. impetu maiori renasci. Potu eius ac pastu, ingenita naturæ vi adeo grandescere pecudes, vt Ananis armentis, ac bobus, prima

ex magnitudine palmæ, in Hispania tribuatur. Cumque piscosissimus amnis sit, pisces tamen eius non tam iucũditate saporis, quàm proceritate commendantur.

Myrtilin vsque a mari subeũt alosæ, & lampetræ, siue mustellas eas, siue fluuiales murenas magis conueniat appellare; vt eas appellauit Tertullianus in libro de pallio, notata Vedij Pollionis immanitate, qui damnata mã cipia viuariis earum immergebat; vt murenarum morsu paullatim absumerentur. Et quidem lampetras Septimiũ intellexisse, indicãt verba, quæ subdit: Terrenæ bestiæ, exedentulæ, exungues, & excornes. Marinæ siquidem murenæ, vt neque terrenæ bestiæ erant nuncupandæ, ita neque exedentulæ sunt, verum dentatæ etiam eminentius. Subeunt & Anam sub Idus Martias vsque ad iam adultam æstatem; Asturiones iusta magnitudine, sed raro maiores, quàm vt bini mulum onerent clitellarium.

DISQVISITIO DE PISCE *Asturione*.

PEto vero a lectoribus hanc veniam, vt isto nouitio excellentis piscis nomine hic me vsum non indignentur, quando medicorum, quorum maxime interest, & eruditorum, qui de piscibus scripserunt, concertatio adhuc finem non reperit, & dissidentium mutuo sen

tentiæ in aliquā certā appellatione, nondum conquiescunt.

Eorum, qui magis ad veritatem accedere videntur, Paulus Iouius Silurum esse existimat. Et sane sunt non pauca quæ fidem videntur facere, si e diuerso non essent alia, quæ manifeste abrogarent. Nam cum Asturionem fateatur, maleficum neque esse, neque esse posse, quia dentibus omnino careat, sic ab natura formatus, quoniam piscibus non alatur, hoc vno argumento, suam de Siluro opinionem tueri non poterit.

Nam Silurus maleficus est, &, vt scribit Plinius lib. nono, capite decimo quinto, grassatur vbicunque est, omne animal appetens, & equos innatantes sæpe demergens. Ad hæc, hamo prehensus, morsu durissimi dentis sæpe hamum frangit, vt in nono historiæ animalium capite trigesimo septimo inquit Aristoteles, quibus nihil alienius ab Asturione commemorari potest.

Præterea eodem loco Aristoteles Silurum fluuiatilem piscem esse ait, quem sequitur Plinius libro nono capite decimo quinto. Cum enim de Thynnorum magnitudine esset locutus, Sunt, inquit, & in quibusdam amnibus non minores, Silurus in Nilo, Esox in Rheno, Attilus in Pado. Et capite decimo sexto: Fluuiatilium, Silurus caniculæ exortu sideratur. Libro quoque trigesimo secundo,

capite decimo: Siluri fluuiatilis, qui, & alibi quam in Nilo nascitur carnes impositæ, &c.

Strabo etiam libro decimoseptimo, Siluris abundare Nilum ostendit. Quòd siquis, propter Plinij verba postremo ante posita, Siluri fluuiatilis, ideo dictum existimet, quia sint & marini, qui tamen amnes adscendant, tum alios, tum etiam Nilum, id Strabo de Nilo constanter negat Aristobuli auctoritate libro decimo quinto. Tradit etiam, inquit, Aristobulus, nullum ex marinis piscibus in Nilum recurrere, præter alosam, & mugilem, & delphinum, propter crocodilos. De Siluro tamquam Nili indigena nihil dixit.

Fluuiatilis ergo est. Asturiones verò pelagici, nisi quòd pinguioris pabuli gratia, dulces petunt aquas, quibus & pinguescunt, & salsuginis deposita tristitia in obsoniis longe suauiores gustui efficiuntur.

Gulielmus Rôdeletius, laborioso, & docto, de piscibus edito volumine, qui nunc Asturio est, Acipenserem Latinis fuisse contendit, Dorioni Græco auctori Oniscon dictum, Galaxiam Galeno. Sed quid respondebit Plinio, qui libro nono, capite decimo septimo ait: Apud antiquos piscium nobilissimus habitus Acipenser, vnus omnium squamis ad os versis contra aquam nando meat. Nullo nunc in honore est, quod quidem miror, cum sit rarus inuentu, quidam eum Elopem vocant.

Quid

Quid etiam Plutarcho? qui in libro de industria animalium, cum dixisset pisces omnes cauere, ne ventus a tergo incumbens squamas surrigat, cieatque, addidit: Hoc igitur commune piscium est omnium, Acipensere tantum excepto, secundum ventos, & fluctus meat hic, squamæ vulsionem veritus, vt quarum commissuras ad os versas habet. Vbi enim squamæ in Asturione? vt de conuersis ad os sileam.

Nam, quod Rondeletius litem se diremisse autumat, respondens, dictum esse hoc, ab iis, qui Acipenserem eumdem esse cum Elope existimarint, equidem probare non possum. Piscem hunc, cui Asturioni nomen fecerunt neoterici, aut norat Plinius, aut non norat. Plutarchum prætereamus. Non nosse, verisimile non videtur, cum esset omnium marium indigena, & amnium fere omnium in Romano orbe, tum vero in ipsa Italia hospes assiduus. Si norat, & is Acipenser erat, qui poterat, squamas eum non habere, ignorare? Quomodo ergo Acipenseri, non modo squamas, verum ad os versas attribuit? Videlicet dormiens litteris ista mandabat. Non norat fortasse, quoniam rarus inuentu esset. Ita certe Acipenser. Admodum enim raro capi, etiam in libro de fato Cicero testis est, vt asserit in tertio Saturnalium Macrobius. Nam nos eum Ciceronis librum imperfe-

perfectum habemus. Cui ignotum quoque fuisse Acipenserem, indicant ipsiusmet verba. Etenim cum allatum ad Scipionem dixisset, Raro, inquit, admodum capitur, sed est piscis, vt ferunt, inprimis nobilis. Et Plutarchus ipso in libro de Anthia sacro pisce apud Homerum, Eratosthenes, inquit, Auratam videtur, Pernicemq. supercilio flauente, sacrumq. dicere. Multi Acipenserem, Nam & hic rarus est, & ægre capitur. Conspicitur autem circa Pamphyliam sæpe. Martialis quoque rarum dicit:

Ad Palatinas Acipensem mittite mensas:
Ambrosias ornent munera rara dapes.

Quis autem vel Plinio, vel Ciceroni, vel etiam Martiali credat, raro capi eum piscem, qui Pado, qui Tiberi, vt nihil amplius dicam, tam familiaris sit? Acipenser autem non tantum rarus admodum, sed etiam omnino peregrinus.

In Halicutico dixit Ouidius,

Tuq. peregrinis Acipenser nobilis vndis.

Sed dolendum, quoniam in hoc versu fragmentum eius libelli nos destituit. Forte enim de Acipensere plenius instrueremur. Illud tamen satis est, peregrinum vocasse piscem, vt ea peregrinitatis appellatio Asturioni conuenire nullo modo queat, pisci perquam domestico.

Caret squamis Acipēser, inquit Rōdeletius.

Hoc

Hoc numquam euincet per Plinium, neque per Nigidium Figulum, naturalium rerum maximum indagatorē, vt eum honoris causſa vocat apud Macrobium Serenus Sammonicus, neque per Plutarchum, neque per Macrobium, ipſumq. Serenum, qui in Seueri principis conuiuio Acipenſerem crebro eſitarit, & quæ de ſquamis ad os verſis à Plinio dicta ſunt, vera eſſe ex Nigidio confirmarit.

At ex Archeſtrati ſententia, Athenæo referente, Galeus Rhodius idem eſt cum eo, qui apud Romanos cum tibiis, & coronis, coronatiſque miniſtris cenis inferebatur, vocareturque Acipenſer. ſit ita ſane. Sed oſtendendum erat Rondeletio, Aſturionem Galeum eſſe Rhodium, eumq. eſſe, qui tanta pompa ad menſas deueniret. Quod ille non facit. Immo ille ipſe Galeus Rhodius, potius idem eſſe cum Elope videtur. Nam Elopem, quem in profundo tantum Pamphylio mari paſci, nec niſi raro, ac vix capi, aiunt Columella, & Aelianus; Rhodium quoque eſſe oſtendit ex Varrone Gellius libro ſeptimo capite decimo ſexto, vt Galeus Rhodius, & elops Rhodius idem piſcis ſit, Romanis dictus Acipenſer.

Vnde & Plinius Acipenſerem, quoſdam vocaſſe Elopem dixit. Inter quos fuit Appion Grammaticus, vt refert Athenæus.

Theodorus Gaza, homo non minus Latine,

ne, quàm Græce eruditus, quiq; Græca nomina semper latine quoad fieri poterat, reddere conatus est, apud Aristotelem de historia animalium libro secundo, capite decimo tertio, Elopem Acipenserem transtulit. De branchiis enim piscium agens Aristoteles, ita scribit: Aliis binæ vtrinque, alteræ simplices, alteræ duplices, vt congro, & sacro, aliis quaternæ vtrinque simplices, vt Acipenseri, dentici, murenæ, anguillæ. Quòd si certi essemus, eundem cum Elope esse Acipenserem, vt vertit Theodorus, & multi dixere Græcorum, hæc vna quaternarum branchiarum nota, satis nobis erat ad excludendum ab Acipenseris nomine Asturionem.

Etenim pro ea mole, tam exiguæ, simplices, & opertæ illi branchiæ sunt, vt branchiis carere sit potius existimandus. Naribus autem refrigeratur, & quam haustu collegit aquã, eam illo semper patentis proni oris foramine reiicit. Verum sitne idem Elops Rhodius, vel Rhodius, vel Pamphylius, siue Galeus Rhodius cum Acipensere, viderint Græci. Certe tam Elops, quàm Acipenser peregrini sunt. Ouidius in superius citato libello, sic ait.

Et pretiosus Elops nostris incognitus vndis,
Tuq; peregrinis Acipenser nobilis vndis.

Quibus Ouidij carminibus adductus Plinius in fine libri trigesimi secundi falli eos dixit, qui Elopem Acipenserem existimassent,

cum

cum diuersi sint, licet & hic, & ille peregrinus.
Asturio autem, vt ante dictum est, in omnibus Romani orbis fluminibus, paullo tamẽ maioribus, atque in Pado, ipsoq. Tiberi tam frequens est, vt parum considerati fuerit hominis, quæ de Acipensere, siue Elope dicta sunt, Asturioni tribuere, & Nigidium, Ciceronem, Plutarchum, ac Plinium, illisq. minores, doctos tamen, & antiquos, tam pueriliter esse alucinatos existimare.

Acipenser igitur, sit, si placet, cartilagineus, sit triangulari corpore, vt eum contendit esse Rondeletius, dummodo sit paruus, vt ait Athenæus, dummodo peregrinus, nec alibi, quàm in Pamphylio, vel in Rhodio mari, & raro, ac vix captus. Asturio certe vulgatissimus piscis esse non potest. Atque hæc responsa sint Rondeletio.

Hermolaus Barbarus, nobilium studiorum gloria insignis, a Paulo Cortesio sententiam rogatus, per epistolam respondit, Asturionem antiquitus Hyccam fuisse, Athenæi testimonio, hac adductus coniectura, quod Hycca porculum significet, & Asturio præsertim adhuc paruus porcelletus ab Italis nominetur, a porco, vel porculo sane per diminutionem facto nomine. Cuius opinionem Sanctus iuuat Ambrosius, in Dominica passione, cum dicit: Gutto, siue gulo porcellum amat, vt comedat. Et in Hexamero, Iudæos

mari-

marinis porcis vesci discit, cum terrestribus abstineant. Quæ coniectura non tam frigida est, quàm eam Iouius existimauit. Si tamen frigida videatur, calefaciamus nos & verbis Isidori, scriptoris, neque externi, neque tamquam ignobilis contemnendi. Is Etymologiarum libro decimo secundo, capite de piscibus, diserte, & sine vlla ambiguitate, Asturionem modo Italis vocatum, ita describit: Porci marini, qui vulgo vocãtur Suilli, quòd, dum escam quærunt, more suis terram sub aquis fodiunt. Circa guttur enim habent oris officium, &, nisi rostrum arenis immergant, pastum non colligunt. Non potuit neque planius, neque euidentius res aperiri. Rostrũ habet piscis oblongum, instar proboscidis, sub mẽtò circa guttur foramen, magis quàm os, dentes autem nullos, neque maxillas. Quare dum pascitur rostrum limo, soloq. aluei, vt immergat, necesse est, nihil alioqui comprehensurus. Eoq. fit, vt cùm pascitur, limi reuolutio e fundo ad summam aquam pertingens indicium latentis eoloci faciat piscatoribus. Bene igitur piscem nobis expressit Isidorus. Nec tacuit nomen hoc, quo Hispani omnes vtimur. Suillos enim appellamus, siue, vt mere Lusitane dicam, *Soilhos*.

Quod si de Isidori fide dubitabunt, quibus is auctor idoneus non videtur, inter varias de Siluro, Onisco, Galaxia, & Acipensere sen-

 tentias,

tentias, ne videatur absurdum, si etiam nos scrupulum doctis iniiciamus, adductis duobus piscium generibus, qui Asturiones non inepte videri queant. Ex Niliacis piscibus, a Strabone primo loco numeratur Oxyrinchus, ex eo vtique dictus, quòd oblongum, atque acutum rostrum habeat. Talia vero esse Asturionum rostra, indubitatum: nec minus certum, frequentem in Nilo esse capturam.

In Danubio quoque, ac Borysthene, piscis capitur, cuius ita meminit Plinius libro nono capite decimo quinto: Et in Danubio, mari extrahitur Porculo marino simillimus, & in Borysthene memoratur præcipua magnitudo, nullis ossibus, spinisve intersitis, carne prædulci. Emendat eum locum Gelenius, & pro, Mari extrahitur, reponit Mario extrahitur, vt hic piscis ossibus, ac spinis carens, Mario vocetur. Emendandi occasionem sumpsit partim ex eo, quòd, cum illic fluuiatici pisces referantur, marino locus esse non videbatur, partim, quòd hunc Itali, quibus ob salsamenta notus est, Moronem adhuc semilatino appellent nomine. Iouius inter salsamenta prædura, valdeq. rubentia ignoti sibi piscis frustra, Moronem vocat. Sed enim, si tueri veterem lectionem velimus, intelligimus Plinium innominatum reliquisse, signa autem dedisse maximæ cum marino Porculo similitu

din is.

dinis. Et capi quidem in Danubio, ac Borysthene, verum a mari extrahi. A mari enim tractus, Danubium, ac Borysthenem subit. Vtro autem modo legamus, non multum refert, nisi quòd Gelenij lectio blandior est, Mari extrahitur, pro trahitur ex mari, & paulò coactior. Quamquam nec sic tota periodus mihi non suspecta est. Desidero enim Plinianæ dictionis iuncturam, & concinnitatem, quæ languida, ac dissoluta hic videtur. Quare donec alius me felicius locum emendet, ego ita legerem. Et in Danubio Mario extrahitur, Porculo marino simillimus, & in Borysthene. Memoratur præcipue magnitudo nullis ossibus, spinisve intersitis, carne prædulci. Hoc videlicet sensu: Præcipue memorari in eo pisce magnitudinem sine ossibus, sine spinis intersitis, carne autem prædulci. Ceterum hunc piscem, siue innominatum, siue Marionem dictum, Hermolaus in Corollario capite de Homotaricho, Antacæum existimat, sortitum nomen hoc ab amne, qui in Mæotin ex regione Antacarum influit. Eos pisces Delphinibus magnitudine pares lib. decimo septimo Strabo asserit. Herodotus autem libro quarto de Borysthene agens, magnitudine cetaceos, spinis carentes, & ad Salsuram dicit optimos. Atqui a Borysthene, Phasi, & Tanai, salsamenta, ex Asturionum ouis salitis, Cauiaria vulgo dicta, & ex dor-

ſuali parte, quæ vocant Schinalia,& pleuras, id eſt, latera, & hypocælia, id eſt, abdominis, pubiſq. partes, per totam Italiam circumferri, vulgatiſſimum eſt.

Ea ſalſamenta, quæ ex Aſturione eſſe omnes fatentur, Hermolaus ex hycca, vel hyſca, id eſt porculo marino, conſtanter affirmat. Hyccam autem, ſiue hyſcam Sturionem Italiæ conſenſu ait appellari. Conſiderent igitur, & expendant eruditi, num Oxyrinchus Strabonis, Mario ſiue innominatus Plinij piſcis, quem Antacæum Hermolaus interpretatur, ipſeq. Strabonis, & Herodoti Antacæus, hycca, ſiue hyſca Athenæi, & porculus, idem omnino piſcis ſit, Sturio, ſiue Aſturio modo vocatus.

Verum, Mario, vel innominati Plinij piſcis, ſitne idem, qui marinus porculus, an alius illi ſimillimus, liquido nobis non diſtinxit Plinius. Mihi ſatis eſt innominatum hunc, vel Marionem, ſiue Antacæum ſine oſſibus, ſine ſpinis, carne autem prædulci, ac ſimillimum marino Porculo indicari. Iam enim hinc habeo, porculum marinum oſſibus ac ſpinis carere, & prædulci eſſe carne: Iſtæc Sturioni inesse, qui ignorat, Aſturionem neque vidit, neque guſtauit.

Si vero quis obiiciat, Aſturioni oſſa quædam minime deeſſe, videlicet in capite, huic reſpondero, ea nequaquam vera eſſe oſſa, ſed

callosam quandam cartilaginem, aut si senior piscis est, eaq. ossa habeat duriuscula, id tam pusillum est, vt pro non ossibus merito habenda sint. Si vero idem est Mario, & Antacæus, & Porculus marinus, immo etiam si diuersus est, simillimus tamen, relinquitur recte nos docuisse Isidorum.

Tot nomina, inquiet aliquis vni pisci? Neminem ea nominum multitudo conturbet. Sapienter enim Plinius loco ante citato. Græcis enim in plerisque nominibus, vti par erit, quando aliis, atque aliis eosdem diuersis appellauere tractus. In Aegypto itaque a rostri efficie Oxyrinchum dixere ad Borysthenē, & Mæotim Antacæ gentes sibi domestico Antacæo nomen fecere. Hyccam Græci, vel Hyscam maluerunt. Latini Porculum, & Porcum, nominis ab Isidoro reddita ratione.

Congi latissimum Aethiopiæ regnum, cum suis Regibus, opera, & studio pientissimorum Lusitaniæ Regum, ab idolorum cultu conuersum est, & in Christi religione mira pietate perseuerat. Per eius medium, vt ferunt incolæ, Nili brachium ab ipsis statim fontibus diuisum, tam vasta magnitudine, ac tanto impetu non modo fluit, verum etiam rapitur, vt duodecim millia passuū latitudo excedat, alueo ad immēsitatem profundo. In eo iidem pisces, eademq. animalia gignuntur, quæ in brachio illo, quod per Aegyptum meat, pro-

ceriora tamen, & corporum mole auctiora, omnia. Immanes ibi & Crocodili, & Hippopotami, & aliorum Nilo domesticorum piscium maxima toto flumine multitudo. Asturionum quoque ingens copia, fisci tamen Regij, capitaleq. est, captum piscem Regium ad Regem non deferri. Delatum ipse cui vult donat. Angullum ibi vocant, id est Porcum. Differentiæ tamen causa, Angullum amazi, hoc est aquarum Porcum dicunt.

Duo hinc sumo argumenta. Alterum Nili Aegyptiaci, Oxyrinchos, Asturiones in hoc Aethiopico brachio captos mihi videri. Nam & hic & illic, iidem Nilo familiares immeant, & nascuntur pisces, eademq. reperiuntur ani malia. Neque futile videri argumentum debet, cum eodem bis vtatur Plinius libro quinto, capite nono: Tum circa Nili originem ex lacu Nilide, ibi, inquit, pisces reperiuntur Ala betæ, coracini, siluri, Crocodilus quoque. Inde ob argumentum hoc Nili ortus creditus, tum mox, cum aliquot dierum itinere conditum, in Massæsylorum gente dicat erumpere, iisdem animalium argumentis, Nilum agnosci tradit. Cumq. se rursus condiderit viginti dierum desertis, prosilire tandem ad proximos Aethiopas, fonte nigri vocato. Diuidi autem in ramos, vt Aegyptum prætercam, indicio est, Zanaga appellatus amnis iisdem refertus animalibus, quem a Nilo defluere

com-

compertum a nostris est.

Alterum duorum, quæ me sumere dixi argumentorum, Porcorum videlicet nomen, quod illis tribuit Isidorus, Aethiopicarum gentium consensu validius confirmari. Sed vt tandem finiam, si leuioribus coniecturis vsi videamur, interim tamen, dum veritas eruitur, arbitratu suo appellent Itali, ceteræq. nationes, recenti nomine Sturiones, siue potius Asturiones, a Minio Asturiæ flumine, vt apud Clementem Septimũ Pont. Max. noster Michael Siluius disseruit, appellemus nos porcos marinos, aut si amphibologiam timemus, quia sunt & alij porci marini, tum Plinio, tum Straboni, simpliciter appellemus Suillos, nomine à mille iam annis, & supra Isidori ætatem, Hispaniæ nostræ peculiari, ac vernaculo. Sed de his nimis multa.

DE CALLIPODE.

CAllipodis meminit solus Ptolemæus, estque is qui in Cetobrigensem, ac Salaciensem sinum ingreditur, ad duodecim millia passuum supra Salaciam, onerariis nauigiis, & celocibus nauigabilis. Nos vulgo Sadanum appellamus. Quod nomen, vt non a fonte, vel ab origine, quasi suum detulit. Sed posteaquam Exarrama, Odiuella, sancta detinentia, diuersis ex locis collecta, torrentium, ac

fluentorum multitudine in animum iustorum opinionem aucti,& in alueum vnum confluentes, paullo supra portum Regium,suis depositis nominibus, honorem illi cesserunt, Sadanus vocari cœpit,ita nomē id non longe perfert. Sed post sedecim,aut paullo amplius milliaria vsurpatum amittit, Salaciensi æstuario longissimo præoccupatus. Videlicet ne recēs vsurpato nomine, Deæ Salaciæ, ex qua vrbi nomen, de interitu fluuiorum trium superbius se iactaret.

Familiares huic flumini sunt mugiles, tum cephali,tum labiones,barbi,& anguillæ egregio sapore. Bocæ quoque, & minores alij pisces. Atque, vbi salsis intermiscetur vndis, cammarorum,pectinumq. prouentus ingens. Raro lampetræ in eo capiuntur.

DE TAGO.

TAgus, in sinum Olysipponensem ingressus, librum pro sua dignitate poscebat peculiarem. Tot enim vrbes, tot valida, & opulēta oppida, in sinus ambitu,& per vtrasque amnis ripas centum fere millium spatio tantum vetustatem colligenti, idonea modo materia non est.

Quin & multa,quæ de fluuio Strabo prodiderat, ad nos integra non peruenerunt. Indicium est, confusa verborum series. Deinde pro-

promontorium Baarbarium, & eruptiones Tagi, in quas recti nauium cursus. Sunt autẽ stadia decem. Hoc in loco,& maris infusiones ingruunt, quarum vna vltra stadia quadringenta extẽditur iam dicta. Ea in parte aquantur, &c. Certum corruptum locum, vel hoc testatur. A turri iam dicta. Aqua turri? Nullius enim mentio præcesserat. Et illud: Ea in parte aquantur. Iponlacia. Quibus restituendis locis, cum impar ego sim, expectanda erunt, vel feliciora ingenia, vel exemplaria emendatiora.

Miscetur Tagus marinis aquis in intimo sinu ad oppidum Villam francam. Latitudinem ostij Strabo stadiorum esse viginti tradidit, altitudinem vero permagnam, vt à nauigiis millia decem vectantibus nauigare facile possit. Hoc verum est, nauigaturq. duplici canali, veteri, ac nouo. &, quod ait, in superioribus cãpis ęstus accessione duas diffundi inundationes, vt ad stadia centum & quinquaginta facies extet pelagi, reddaturq. planities tota nauigabilis, hoc nos experimur ab ipso oppido Villa Franca, vsque Beneuentum. Sed insula stadiorum triginta longitudinis, & æqualis fere latitudinis, fertilis, optimisq. vitibus consita, quænam fuerit, assignare non possumus. Multæ ibi sunt insulæ, ac fertilissimæ quidem, sed nullis vinetis consitæ. Frumentariæ enim factæ omnes sunt, aut

aut paſtionibus ſeruatæ.

Quòd vero dicit, agrum circumcirca bonitate conſpicuum, ſcimus non ſolum eo loci, ſed ex vtroque amnis latere, campos illos, ad Tancos vſque limoſis inundationibus tam lætos, ac fecundos effici, vt ſimpliciſſima, fereq. nulla a ratione triticum quidem, & hordeũ quinquageſimo ab ſatione die metatur, ſingulari terrarum omniũ exemplo. Statimq. in leuiuſcule aratis dicã, an ſcalptis? millium ſeratur, vbere ocyſſimoq. prouentu, vel inter pauciſſimos a meſſe ſublata dies, nullo ſatu, ſed ſponte ſeges regerminet, fecunditate reſtibili.

Vt, quod de Erytheia contra Luſitaniam inſula, quæ nuſquam modo eſt, Mela tradidit, longe in his agris, amniſq. inſulis contingere copioſius, experimenta demonſtrent. Siue frugum vbertas, ſiue pabuli abundantia requiratur. Tale ingenium glebæ eſt, quam Tagus inundationibus lætificat, vereq. dixit Strabo: Vicina Tago ceterorum opulentiſſima ſunt oppida.

Amnis quidem piſcium feraciſſimus eſt, oſtreorum redundans. Inter Taganos piſces principatum obtinent Aloſæ, & propter bonitatem, & propter copiam. Alterum Aloſarum genus, de quo in Aegidio Scallabitano diſputaui, Sabogarum, vel Sabellarum, ſtrigoſius, inſipidiusq. eſt, præterquam Maio

menſe:

menſe: tunc enim aliquam in eduliis habent gratiam, verùm ita vt recentes a flumine prunis in craticula toſtæ, petroſelini pultario ex piperi, ac mali medici ſucco condiantur. Vt merito de his intellexerit Auſonius, cum in Moſtella dixit:

Stridentesq. focis obſonia plebis aloſas.

Raræ in Tago capiuntur lampetræ, rariores marini porculi, ſiue Suilli. Iam enim audeo Iſidoro niti. At celebris illa auri fama, per omnes poetas vulgatiſſima, obſcurior modo, ac prope extincta eſt, cautione legum, ne commotæ arenæ depreſſiores frumẽtarios agros nocumẽto afficiãt. In teſtimoniũ tamẽ cantatæ gloriæ, Regũ Luſitanorum ſceptrum ex Tagano auro, quo purius reperiri nullum poteſt, factũ & ſcimus, & non ſemel vidimus.

DE TAGI NOMINE.

DE ipſo Tagi nomine, cũ aliquid etiam cuperem annotare, nihil inueſtiganti oblatum eſt, quod vllum operæ eſſe pretium exiſtimarem. Piget autem fabularum, quas Ioannes Annius in fictitium ſuum Beroſum effudit: Tagum dictum fuiſſe à nomine regis, qui poſt Brigum in Hiſpania regnarit. Iſidorum demiror, virum magnum, & rerum multarum bene peritum, nec elegantiorum litterarum tam expertem, vt inſolenti faſtidio ſit

a di-

a dicendi teſtimonio ablegandus. Is Etymologiarũ libro decimo tertio: Tagum, inquit, fluuium Carthago Hiſpaniæ nuncupauit, ex quà ortus procedit. Fluuius arenis auriferis copioſus, & ob hoc ceteris fluuiis Hiſpanorum prælatus.

Omitto, quòd non oritur a Carthagine Tagus, ſiue Carthaginem nouam Haſdrubalis intelligamus, ſiue veterem Ilercaonum etiã Hiſpaniæ, cuius ſolus meminit Ptolemæus, non autem Cicero, ſicut ex non adhibita diligentia exiſtimauit, & adnotauit in Pomponium Vadianus, adducto Ciceronis loco de lege agraria: Tum ipſam veterem Carthagiginem vendunt. Cicero enim, quam veterem Carthaginem vocarit, ſatis aperuit lib. 2. de eadem agraria lege: Et in Africa ipſam veterem Carthaginem vendit.

Verũ, hoc omiſſo, intelligere non poſſum, quonam modo Tagus a Carthagine ſit nuncupatus. Neque tamen mirum, ſi Iſidori coactior, ac contortior etymologia videatur, cũ M. illi Varroni non perbene ſemper res ea ſucceſſerit.

Fuit ex noſtris, qui alicubi ſcripſerit, Olyſſem, quo tempore Olyſipponem condidit, a ſocio Tago, qui in flumen ceciderit, ipſum Tagi nomen fluuio indidiſſe. Nec abhorrebat a vera ſimilitudine, ſi antiquitatis fundamento niteretur.

Fateor

Fateor igitur, non nosse me, vnde istæc Tagi originatio processerit. Sed, vnde vnde sit, antiquissimum nomen est: nec aliud flumini fuisse comperitur. Bætin Cirtium ab incolis appellatum, scribit Liuius. Græcorum quidam, Tartessum dixere, vt Stesichorus apud Strabonem. Stephanus ab indigenis Percen vocari tradit.

Tago nulla nominis contigit mutatio, neque apud Græcos, neque apud Latinos. Esse vero nomen vetussimũ, etiam viris proprium, in Latio, ostendit Virgilius Aeneidos lib. 9.

Dũ trepidant, ijt hasta Tago per tẽpus vtrumque.

Hispano quoque Regulo cuidam, nomen idem fuisse, cum rerum in Hispania Carthaginienses potirentur, auctor est Silius lib. primo Hasdrubalis crudelitatem, Tagi reguli sæuum interitum, & serui non minus magnanimam in vindicanda iniusta domini cæde, audaciam, quàm in perferendis ob patratum nobile facinus cruciatibus, generosam patientiam his carminibus prosecutus.

Interea rerum Asdrubali traduntur habenæ,
Occidui qui solis opes, & vulgus Iberum,
Bæticolasq. viros fatis agitabat iniquis,
Tristia corda ducis; simul immedicabilis ira,
Et fructus regni feritas erat, asper amore
Sanguinis, & metui demens credebat honorem.
Nec nota docilis pœna satiare furores,
Ore excellentem, & spectatum fortibus ausis,

Anti-

Antiqua de stirpe Tagum, superumq. hominūq.
Immemor, erecto suffossum robore, mœstis
Ostentabat ouans populis sine funere reem.
Aurifri Tagus adscito cognomine fontis,
Perque antra, & ripas nymphis vlulatur Iberis.
Mæonium non ille vadum, non Lydia mallet
Stagna sibi, nec qui riguo perfunditur auro
Campum, atque illatis Hermi flauescit arenis.
Primus inire manum, postremus ponere Martem,
Cum rapidum effusis ageret sublimis habenis.

DE MVNDA.

MVnda sequitur, in medium fere vltimi promontorij latus effluens vt Mela tradidit. Inter Durium, atque Tagum, æquis fere ab vtroque spatijs separatus. A Durio Tagus inquit Plinius, CC. M. pass. interueniente Munda.

Non longe oritur, aurifer & ipse, minoribusq. nauigijs aliquatenus, cymbis vero fluuiaticis, vsque Conimbrigam hodiernam, & supra nauigabilis. Abundat Alosis, Lampetris autem vbique scatet laudatissimis, in superioribus etiam Troctis. Rapax est, ac modicis imbribus excrescit ad insaniam.

Agros fœcūdat tritico, hordeo, secale, olyra, milio, panico, & præcipue lini magna copia tenuissimi, & cum quouis optimo conferendi. Non procul Catina opppidum (ita enim

legen-

legendum) vulgo Catima dictum, etiam adhuc extat, in cuius agro fontes illi ſunt Plinio libro ſecũdo memorati, alter omnia reſpuẽs, alter abſorbens, ille quia fere cõmunem cum reliquis naturã habet, miraculo nequaquam eſt. Hic propter mirabilitatem quotidie a viſentibus frequentatur. Feruentiam vulgus appellat.

Vidi egomet cum illò iſſem cum Alphonſo Cardinale principe memorabili, cæſam arborem bene magnam in lacunculum arenæ, in quo ebulliens fons diffunditur pedali altitudine, iniectam, paulatim inter arenas ſorberi, & poſt paruam moram non comparuiſſe.

Amnis Straboni Muliadas appellatur. Sic enim libro quarto circa medium fere ſcribit. Deinceps poſt Tagum nobiliſſima flumina ſunt Muliadas, paruas habens nauigationes. Itidem Vacca fluuius.

DE VACCA FLVVIO.

MEdio fere inter Mundam, & Durium interuallo, Vacca in mare influit & ipſe, vt Strabo ait, quemadmodum, & Munda paruas habens nauigationes. Nec longe ortus, aloſarum, lampetrarum, troctarumq. ferax. Vacuam illum Strabo vocat, Vacum Ptolemæus. Oritur non peregre, ſed paulo ſupra Alcobam montem collectus, indeq. leni al-

ueo illapſus multos, nec exiguos fluuios, ac fere parem Agttham in ſe condit. Iamq. intra modum magnus miſcetur mari.

Errore putauere quidam Vaccæos populos ab eo denominatos, cum intra Luſitaniam ortus, latiſſimis Vaccæorum Tarraconenſis prouinciæ populis dare nomen non potuerit. Potius igitur a Vacca oppido, quod fuit iuxta Pyrenæum, vt refert nono etymologiarum libro Iſidorus, Vaccæum nomen eſt factum, & late per citeriorem Hiſpaniam propagatũ.

Sed de Vaccæ fluminis oſtio, maritimoq. tractu, inter recenſendas vrbes, quod ad rem faciat, non omittemus.

DE DVRIO.

DVrius claritate ſua, & ſcriptorum teſtimonio celebratiſſimus, aquarum mole Tagum ſuperat, niſi quod compreſſiore, vt fere inter montes, alueo fluit, Tago per liberos, & planos campos ad oſtentationem ſe dilatãte. Hinc apud nos vice prouerbij vſurpãtũ. Tagus tulit famã, ſed Durius vehit aquas.

Ceteris amnibus, Minio excepto, grãdiores fert aloſas, Lampetras, & Troctas, quas iure præferunt delicatioris gulę æſtimatores, Salmonum parcior, & Aſturionum.

Nauigatur aduerſo amne M. paſſ. fere centum, vſque ad cataractam, vnde ex rupe le-

nuncu-

nunculorum adſcenſum impediente, magno fragore præcipitatur. Ingens ibi lampetrarum rupi ſub cadente in arcum aqua oribus adhærentium captura eſt. Locum cum oppidulo, ſanctum Ioannem ad Piſcariam, vulgo appellant.

Nobis adoleſcentibus Martinus Ficaretus iuriſconſultus, & Latinarum litterarum non imperitus, quibus operam non ignauam ſub Politiano Florentiæ dederat, cum intelligeret, amota cataracta, poſſe cymbas vſque ad maxime frumentarios Sarabris, Senticæq. agros paruo negotio ſubuehi, & frumento onuſtas prono amne redire, non minima laxioris annonæ prætenta ſpe, patriæ emolumento, rege permittente, priuatus ipſe, & impari tantæ rei cenſu, moliri opus attentauit, bonamque obſtaculi partem ſummo labore irruperat

Verum illudentibus optimo viro, vel qui ex vetere forte ſimultate nondum illi erant pacati, vel quibus mos eſt, facilius aliorum egregios reprehendere conatus, quàm egregium aliquid ex ſe conari, hominemq. tamquam ſemidelirum, apud Regem criminantibus, neque modo principali munificētia non iuuandum, ſed cœpto temerario etiam prohibendum obloquentibus. Cataractam enim illam, & meatum ſubterraneum non procul a Brigantia vrbe, vbi terræ, & rupibus merſus

amnis æstiuo tempore fere per mille passus subterlabitur, diuinum non sine prouidentia esse opificium, negata Hispanis in mediam Lusitaniam vsque ex Vaccæis ea illabendi facultate. Quasi vero vna illa rupe totius patriæ securitas niteretur, tandem familiari sua re attenuatus, interuersoq. æmulorum malignitate regali fauore, desperata perficiendi spe destitit.

Aurum vehere Duriũ, si nos ignoraremus a Silio poteramus admoneri, dicente. Hinc certant Pactole tibi, Duriusq. Tagusque. Terris tamen parcitum est, salutari legum interdicto, quemadmodum de Tago ante diximus. Nomen amnis Latini magno consensu Durium appellauere. Ptolemæo Dorias est. Dioni Dorios, Straboni tum Durios, tum Durias.

Non bene quidam miscuerũt Turiam cum Durio, idem ambobus nomen facientes, credo ob Hispanicarum rerum ignorationem, quia Turia non tam celebris est. Fluit autem Turia iuxta Valentiam, de quo Pomponius libro secundo Setabin, & Turiam, & Sucronem non magna excipit flumina. Et Plinius libro tertio capite tertio. Valentia colonia tribus M. pass. a mari remota. Flumen Turia. Ita enim legendum, & apud Pomponium, & apud Plinium, erudite & vere contendit Hermolaus.

Citat locum Priscianus lib. quinto, & sexto ex secundo Historiarum Sallustij, Inter læuam Mænium, & dextrum flumen Turiam, quod Valētiam paruo interuallo præterfluit.

CN. quoque Pompeius in epistola ad Senatum (quæ vna cum Sallustianis fragmētis circūfertur) ex fide veteris codicis, quem apud me habeo. Recepi Galliam, ait; Pyrenæum, Lacetaniam, Indigetes, & primum impetum Sertorij victoris nouis quidem militibus, & multo paucioribus sustinui. Et paulopost. Castra hostium apud Sucronem capta, & prœlium apud flumen Turiam, & Dux hostium C. Herennius cum vrbe Valentia, & exercitus deleti satis clara vobis sunt.

Vbi corrupte legitur apud flumen Duriū. Turiam enim vocari id flumen, de quo Pompeius loquitur, ostendit Plutarchus in Sertorio. Remedia, inquit, in rebus aduersis, magis claram eius virtutem faciebant, veluti in ea pugna, quæ apud Sucronem contra Pompeium commissa est, & rursus in ea quæ apud Turiam aduersus Metellū simul & Pompeiū.

Et adducunt quidam Claudianum in laudibus Serenæ.

Te nascente, ferunt, per pinguia culta tumentem
Diuitijs vndasse Tagum, Callæcia risit,
Floribus, & roseis formosus Turia ripis
Vellere purpureo, passim mutauit ouile.

Plerisque tamen visus poeta est non satis

œconomiæ prospexisse. Nam cur fluuiū paruum, & alias ignobilem, prætermissis Ibero, Bæti, Ana, Durio, ac Minio maximæ rei, quam efferre gestiebat, tanta pompa seligeret, ac formosum roseis ripis vocatum Tago copularet, fluminum Hispanorum famæ vulgatissimæ, & dotem, quæ peculiaris Bæti est, vt ait, Martialis. Aurea qui nitidis vellera tingis aquis, illi tribueret? Quare lectionem emendarunt, & pro Turia substituerunt Duria, quasi acceperit Claudianus hoc ex Strabone, qui vt dixi Durion, & Durian appellat, videturq. congruere sensui. Nam dixerat Callæcia risit floribus, adnexuitq. fluuiū, qui Callæciam, & Lusitaniam dirimit.

Primam autem nominis syllabam propter Græcam diphthongon produxisse creditur, videlicet homo Græcus. Nos tamen Silium præponimus, qui nomen id non tantum cum flumen significat, verumetiam cum virorum proprium est prima syllaba breui semper enunciat, vt libro quinto.

Quam victor sub mœnibus ille Sagunti abstulerat Durio.

Et libro decimosexto.

Nobilis hunc Durius stimulabat in æquore currū.

Claudiani vero Turiam mutare non audemus, potiusq. circa œconomiam labeculam illi condonandam, quàm audaciæ nimiæ, tum circa declinationem, tum circa mensuram

ſyllabæ; adſpergendam tam bono poetæ notam exiſtimamus. Turia igitur, Turia ſit, & Durius ſuo fruatur nomine, vt Latinis placuit. Nam Græci, in recenſendis Latinis virorum, fluuiorum, & vrbium nominibus, mire variant, neque ſibimetipſis conſtant.

DE FLVMINIBVS BRACARORVM.

POſt Durium, quo Luſitanos a Callæcis ſeparari ſupra docuimus per Grauios, qui Bracari poſtea dicti ſunt, fluunt, inquit Pomponius, Auo, Celandus, Næbis, Minius, & cui obliuionis cognomen eſt Limia. Non ſeruauit ordinem Pomponius, ſed ſatis habuit omnes nominare. Ordo ſic habet. Celandus, Auo, Næbis, Limia, Minius, ita enim a Durio ſequuntur. Eſt autem Celandus is fluuius, qui ad oppida Læciam, & Matuſinos mare ingreditur, æſtu iuuante, etiam nauigijs aptus. Auo, ſiue Auus, vt Ptolemæo placuit, notior eſt, & nauigiorum capacior. Næbis is eſt, qui & oppido, & ponti Næbiæ (cuius mentionem facit in itinerario Antoninus) nomen dedit, ſed vbi Cadauo iungitur, ſub Cadaui appellatione exit in mare, ad oppidum Fanũ. Limia nomen retinet. Strabo alterius nominis mentionem facit.

Obliuionis, inquit, fluuius, quem quidam Limæam, alij vero Belionem vocant. Deci-

pitur autem Strabo in eo, quod ait Limiam a Celtiberis, & Vaccæis fluere. Non longe enim oritur, ex paluſtribus quibuſdam locis inter Aquicaldenſem vrbem, & oppidũ Montem Regium, Tractusq. ille vulgo Limia dicitur, & incolæ Limici, vt ex columna Aquiflauienſi, quam ſupra poſui, apparet.

Cognominis obliuionis cauſam, Strabo idẽ prodidit, & nos ab illo, cum de Celticis ad Anam ageremus, ſummatim attigimus: quám tamen, quoniam huic loco propria videtur eſſe, etiam reddemus.

Celtici Luſitani ad Anam pertinentes, & veteres Turduli, cum ſocijs armis ad hæc loca perueniſſent, traiectoq. Limia coorta ſeditione ducem amiſiſſent, palantes ac diſſipati ea in regione conſedere. Quam ob cauſam flumen obliuionis eſt appellatum. Nempe quia expeditionis, quam ſuſceperant, & mutuæ ſeditionis obliti, ibidem poſtea quieuere.

Auxit religionem vanitas, vt crederent a contactis fluuij aquis obliuionẽ incurri, adeo vt cum D. Iunius Brutus cum exercitu eo deueniſſet, & milites fluuium tranſire nollent, raptum ſignifero ſignum ipſe tranſtulerit, & ſic vt tranſgrederentur perſuaſerit, vt in Liuij epitome legimus, & obiter attigit Plutarchus in problematis ſectione trigeſima tertia. Qua ex cauſa Plinius eum fluuium multum fabuloſum appellat.

DE

DE MINIO.

SEquitur Minius,quem Iustinus libro vltimo a Minij frequentibus venis sic vocatũ prodidit. Strabo duo illi nomina tribuit ita scribens.Post hos Bænis.Alij autem Miniũ dicunt.Verũ ego duplicem errorẽ inesse conijcio. Alterũ scripturæ,vt non Bænis,sed Næuis legendũ sit. Alterum situs, vt vicinitas Strabonem fefellerit. Nam diximus ex Pomponio, Næbin fluuium esse Minio, Limiæq. vicinum, qui mixtus Cadauo in Fanuensi littore erumpit.Verum qui velit suo fruatur iudicio.

Ceterum omnes ij fluuij piscium lautiorum feracissimi sunt, Lampetrarum, Alosarum, Troctarum, Troctisalmonum, Iridum, atque Salmonum, in primisq. ipse Minius. Fert Limia Salmones, & Suillos, siue Asturiones,sed minores. Minius vero prægrandi magnitudine & excellenti præstantia. Atque omnes hi, quos hactenus exposui,veteribus Cosmographis noti fuerunt.

DE ALIIS NONNVLLIS *fluminibus*.

SVnt alij, & perquam multi, neque ignobiles. Qui quoniam in maiores influunt, nec suo alueo in mare egrediuntur, Geographiæ scriptoribus, aut ignorati sunt, aut sup-

pressi. Horum aliquot, dignos qui in notitiam veniant hominum nostrorum, referam. Nominibus vbi licuerit priscis, ac Latinis; vbi minus; ijs, quibus modo appellantur, quam maxime potero, barbarie, si qua inerit, mitigata. Cuiuscemodi sunt, Cuda, Tamaca, Naban, Ozecarus, Ancus, Caia, Cania, Scila, Subur, Thera, Sæta.

Cudam Lusitani Coam vocant. Cudam autem vocari, ex inscriptione pontis Alcantaræ, vbi Transcudani notati sunt, animaduerti.

Tamacæ similiter nomen ex Aquiflauiensi columna accepi, vbi Tamacani populi recensentur. Nabanē, & Ozecarum historiæ sanctæ virginis, & martyris Irenes, quæ ante annos octingentos scripta est, acceptos refero. De Nabanē alias, cum inter vrbes ad Nabantiam ventum erit.

Ozecarus est, quem Lusitani Zezarum vulgo dicunt. Is Nabanem excipit, & ipse in Tagum erumpit, tanta vi, vt Taganas aquas, ad alteram vsque ripam proscindat, & quasi indignatus, quòd a maiore fluuio extinguatur, fere ad mille passus prono alueo contumaciter mixtioni resistens, a colore dignoscitur. Nam Tagus flauas ac subalbas vehit aquas, hic autem cæruleas, ad nigrorem tendentes. Arbitrantur a multitudine lini, quæ macerandi causa quacumque fluit immergitur, cum traxisse colorem. Quin, & arguti quidam no-

men factum inde putant, quod infecti liquoris graueolentia caput tentet.

Anci nomen, ex vita sancti Martini Saurienſis presbyteri, abhinc annos ſupra quadringentos quinquaginta ſcripta, accepi. De quo cũ de Tapiæo monte agerẽ, ſuperius memini.

Non tacendus eſt Subur, de quo à Ioanne Barrho viro nobili, & inter negotia litterato interrogatus reſpõdi vetus me nomen ignorare. Sed cum Luſitane Soor dicatur, o littera obſcure ſono inter O, & V, prolata, auſus ego ſum Subur formare, interpoſita, B. Ad ſimilitudinem duorum eodem nomine vocatorum, alterius quidem in Africa, alterius vero in citeriore Hiſpania.

Noſteritaq. Subur poſtea Raię iunctus, ſuburraiæ nomen accepit, quod perfert, donec exit in Tagum, , ibi aloſarum mercatura nobis Tranſtaganis factus celebris.

Seilia nomẽ priſcum ſortitus eſt, ab oppido quod præterfluit ditionis Vrbanẽſis cœnobij. Ingrediturq. Mundam, iiſdem quibus Munda piſcibus abundans.

DE FERTILITATE LVSITANIAE.

DE hodierno huius prouinciæ cultu, deq. eius admirabili tum amœnitate, tum etiam omnis generis frugum copia, atq; vbertate, ſuperuacaneum exiſtimo hic verba facere.

re. Quæ autem antiquitus de ea re scriptores varijs in locis tradiderunt longũ esset repetere. Vnum tãtum Athenæi testimoniũ adducã, ex quo facile constare poterit, quàm fecũda, fertilis, ac felix regio hæc de qua agimus semper habita fuerit. Is igitur libro 8. Dipnosophistarum capite primo ita scribit: Vbi Lusitaniæ fertilitatem (est autem regio Iberiæ, quam Hispaniam Romani appellant) declarat Polybius Megalopolitanus: O omnium hominũ optime Timocrates, & scribit libro Historiarum trigesimo quarto, quòd ibi ob optimã aëris temperiem animalia sunt fecunda, atque homines: nec vnquam fructus desunt in ea regione: rosæ enim albæq. violæ, asparagi, resq. huiusmodi non desunt per maius temporis spacium, quàm trium mensium.

At marinum obsonium, quod ad multitudinem, bonitatem, pulchritudinemq. spectat, maxime differt ab eo, quod est in nostro mari. Nam & hordei siclus, qui medimnum continet, drachma venundatur, & tritici nouem Alexandrinis obolis, vini metreta drachma: hœdus mediocris, obolo: sic & lepus: at agnis trium, vel quattuor obolorum pretium esse consueuit.

Sus, qui ad centum librarum pondus accedat, quinque drachmis in cœnas emitur, ouisque duabus, ac ficuum talentum tribus obolis emitur.

Vitu-

Vitulus drachmis quinque, bos iugo aptus decem. filueſtrium vero animalium carnes, neq; pretio quidem vllo dignæ putantur, ſed has inter ſe conferunt, benigneq. admodum viciſſim largiuntur, ac mutant.

Nobis vero bonus Larenſius Romam Luſitania adeſſe facit, quotidieq. variis implet bonis, vt cum ſuauitate, magnificentiaq. omnia conficiantur, ſtudet, cum nihil domo afferamus, præter ſermones.


Finis Libri ſecundi.



DE ANTIQVITATIBVS LVSITANIAE

Liber Tertius.

QVINAM RERVM IN Lusitania potiti olim sint.



VIBVS subdita fuerit Lusitania ante Carthaginienses, atq; Romanos haud facile dixerim, nisi forte Luscinio regulo putemus, de quo & Culca, Liuius lib. tertio decadis quartæ. Cum is status rerum in Asia, Græciaque, & Macedonia esset, vixdum terminato cum Philippo bello, pace certe nondum perpetrata, ingens in Hispania vlteriore coortum est bellum. Marcus Heluius eam prouinciam obtinebat. Is litteris senatum certiorem fecit, Culcam, & Luscinium regulos in armis esse. Cum Culca decem & septem oppida, cum Luscinio validas vrbes Cardonē, & Bardonem, & maritimam oram, quæ nondum animos nudauerat, ad finitimorū motus consurrectura.

Obscura

Obſcura nimis hæc ſunt, tædet enim fabularum. Quare catalogum Regum, vel ex ficto Beroſo, vel ab Annio Viterbienſi, vel a ſuperioris ætatis Hiſpanicarum rerum ſcriptoribus excogitatum, illis relinquo, quibus belli iſti concinnatores valde placebunt..

Ego multos per totam Hiſpaniam diuerſis in locis reges, aut potius regulos ſemper fuiſſe exiſtimo. Quales fuere Gargoris, Habides, Argantonius, & Geryones. Etſi Hecateus Hiſtoricus, vt eſt apud Arrianum lib. ſecundo: Geryonem nihil ad Hiberiã pertinere tradiderit, ſed potius ad Ambraciam, & Amphilolocos, ipſeq. Arrianus neminem extare Hiſpanum dicit, qui id nomen ſciret regibus ſuis fuiſſe.

Verumtamen fuerit, cum multi alij id tradant auctores, neque receptæ antiquitati derogemus. Fuit quoque Theron, cuius in primo Saturnaliorum meminit Macrobius. Mandonius item, & Indibilis apud Liuium decade tertia, quos etiam celebrat Silius. Mandoniũ quidem lib. tertio, in catalogo Hiſpanorum, qui Hannibalis ſequuti ſunt partes. Indibilem autem libro decimo ſexto.

Indibilisq. diu lætus bellare Latinis
Iam ſocius.

Hunc, niſi ego fallor, Polybius libro tertio Andobalem vocat, de Cn. Corn. Scipione loquens, cum inquit, viuos autem cepit Annonem

nem Carthaginienſium ducem, & Andobalem Iberorum.

Plutarchus etiam in Scipione, non hos duos ſolum, verum & Corbin, & Orſuam inuicem patrueles, de regno inter ſe narrat diſſidentes.

Hilermus quoque a M. Fuluio nobiliore captus in prœlio apud Toletum, de quo Liuius lib. 5. decade quarta.

Thurrhus item longe potentiſſimus omniũ Hiſpanorũ, vt ait Liuius lib. 10. decade 4. Fuere & alij permulti, quorũ ſeriem per continuas ſucceſſiones velle deſcribere, intemperans mentiendi libido mihi videtur, cum maxima eorum pars vetuſtate nimia exoleuerit, pars, quæ apud auctores nonnullos ſparſim reperitur, nihil ad peculiare meum de Luſitania pertineat inſtitutum.

Romanorum, Pœnorumq; prædæ pro vt, aut hi, aut illi plus armis valuere, expoſita Hiſpania fuit, vt Græcos, Iberos, Perſas, atque Celtas nouas ſedes quærentes, & Phœnices, Tyrioſq. ipſos diuitiarum fama inuitatos, ante duarum harum gentium de imperio propagando contentionem prętereamus.

Sub Carthaginienſium ditione, cũ reliqua Hiſpania fuiſſe Luſitaniam, ſub initia ſecundi belli punici, ex Liuio cognoſcitur. Poſtea enim quam Romanis Pœni bello fracti, Siciliã reliquerunt, cedentes tempori, compoſitis

Africæ

Africæ rebus, Hispaniam inuasere, misso cum exercitu Amilcare, cui Barcha cognomen fuit, vna cum Hannibale filio, fere nonum æta tis annum agente, & genero Hasdrubale rerum gerendarum socio.

Amilcar igitur bonam Hispaniæ partem olim amissam, bello recuperauit, nouem circiter annis cum imperio in Hispania commo ratus. In bello tandem contra Vettones, (sic enim legendum apud Plutarchum in Hannibale) fortiter pugnans interiit apud Castrum Altum. Nam ita Liuius locum cædis eius appellat libro quarto tertiæ decadis.

Quo interfecto, & Hannibale domum reuerso, successit Hasdrubal, qui nouam condidit Carthaginem, vt auctores sunt Polybius, Mela, & Strabo. Quamquam Silius Italicus ad Teucrum conditorem eam retulit lib. 3.

Dat Carthago viros Teucro fundata vetusto.

Et ne putemus hoc de altera veteri Carthagine in Hispania dictum esse, cuius solus meminit Ptolemæus, & nos superius cum de Tagi nomine ageremus. Idem Silius libro decimo quinto ad vnguem situm, & portum describit his carminibus.

Vrbs colitur Teucro quondam fundata vetusto.
Nomen Carthago, Tyrios tenet incola muros
Vt Lybiæ sua, sic terris memorabile Iberis
Hæc caput est.

Quæ autem hic Silius canit, explicat co-

piose Liuius libro sexto tertiæ decadis.

Iustinus Teucrum ædificasse, non dicit, sed Hispaniæ littoribus appulsum, loca occupasse, vbi nunc noua Carthago est, inde in Callæciam transiisse. Fieri tamen potuit, vt aliquid ibi manserit ædificij parùm frequentis, & sine nomine, à Teucro vsque relictum. Carthaginis enim ipsum nomen, vtramlibet in Hispania intelligas, Teucer ponere nō potuit, cum nondum vlla extaret Carthago, ad cuius exemplum id nomen sumeret.

Siue enim originem Carthaginis ex Iustino petas, non parum multos post Troiam captam interfluxisse annos intelliges, siue ab Aurelio Cassiodoro, qui cōditam dicit a Tyriis, quod fatentur omnes, sed duce eorum Carchedone, regnante apud Italos Latino Siluio, a capta Troia anni colligentur vltra centum triginta quinque.

Eusebius variat. Alibi enim auctore Philistoo a Zaro, & Carthagine Tyriis conditam dicit, ante Troiæ captionem annis supra triginta. Alibi autem iuxta aliorum opinionem diu post captam Troiam.

Timæus Siculus eodem fere tempore Romam a Romulo, quo Carthaginem a Tyriis tradit fuisse conditam. Non hic addo Virgilium, quia necessario, vt verisimilem faceret fictum Aeneæ ad Didonem aduentum, paulo post Ilij excidium, exorientem facit Carthaginem.

ginem. Eaq. gratia reginam inducit de Teucro ista dicentem.

Atq; equidem Teucrum memini Sidona uenire.

Sed historici aliter, tanta rei est incertitudo. Tamen vt Iustini de Didone, & bubulo corio, seu fabulam, siue historiam, vt receptiorem sequamur, ante Romam conditam, annis septuaginta duobus fundatam à Didone Carthaginem admittamus, ita enim Iustinus.

Velleius autem paterculus libro priore, ante annos quinque & sexaginta, quàm vrbs Roma conderetur, ab Elyssa Tyria, quam quidam inquit, Dido autumant, Carthago conditur.

Seruius vero Grãmaticus super illud, Vrbs antiqua fuit, ante annos septuaginta dixit.

Iam, cum à capta Troia vsque ad conditã Romam anni fuerint quadringenti triginta tres; vt Solinus asserit libro primo capite secundo, si ex iis demas septuaginta duos, quibus Iustinus Carthaginem ait Romam antecessisse; nonne relinquitur Carthaginem anno a capta Troia tercentesimo sexagesimo altero fuisse extructam?

Nulla ergo extabat Carthago, quo tempore, paulò post euersionem Troiæ, Hispaniæ littoribus Teucer applicuit. Nec igitur ei loco Carthaginis nomen potuit imponere. Nisi quis nos doceat alterius peculiaris rei causa id illum confinxisse nomen. Quam ostendi

di non posse, ego arbitror.

At Hasdrubal vicum forte parum prius cultum propter loci commoditatem, in vrbis dignitatem auxit, atque muniuit, Carthaginemq. vocatam ad imitationem patriæ Pœnis habitatoribus frequentem reddidit, vt merito vrbis conditor perhibeatur.

Is ergo Hasdrubal consilio magis, quàm ui regulorum ac principum conciliandis per amicitiam animis Punicum valde auxit imperium; dux arte mira, & Romanis formidolosa, adeo, vt missis ad illum legatis, fœdus percusserint, in quo inter cetera cauebatur, ne Carthaginiensibus liceret Iberum fluuium cum armis traijcere, per Hispaniæ reliquum, ab Saguntinis tamen abstinentes, qua vellent progrederentur, vt libro secundo retulit Polybius, & in initio decadis tertiæ Liuius.

Sub hoc Imperatore Hannibal vixdum puber, triennio meruit, litteris accersitus Carthagine. Sed obtruncato Hasdrubale a seruo quodam ob iram interfecti ab eo domini, sicut superius attigimus, cum de Tagi nomine ageremus, dux ab exercitu Hannibal est declaratus. Is non modo eam Hispaniæ partem, quæ propius Africam est, sed etiam Lusitaniam suo iunxit imperio. Fuisseq. eum in Lusitania testatur, vel oppidum ab ipso dictum, portus Hannibalis in promontorio sacro, apud Melam, vel illius verba, quæ re-

fert Liuius primo tertiæ decadis libro : Satis adhuc in vastis Lusitaniæ, Celtiberiæq. montibus pecora consectando, nullum emolumentum tot laborum, periculorumq. vestrorum vidistis.

Cœpto quoque iam terra, mariq. bello militasse pro Hannibale Lusitanos, ostendit Liuius decadis tertiæ libro primo his verbis: Creati Cōsules Cn. Seruilius, & C. Flaminius. Ceterum ne hiberna quidem Romanis quieta erant, vagantibus passim Numidis equitibus, & quæ his impeditiora erant, Celtiberis, Lusitanisque.

Quin Hasdrubal Hannibalis frater, cui relicta erat custodiēda Hispania, vt eodem libro inquit Liuius, in Lusitaniam ac propius Oceanum concessit.

Cumq. postmodum ad fratrem in Italia bellum gerentem se contulisset, ac duo alij Hasdrubales cum Magone, ac Masanissa in Hispania rem punicam gererent, alterum ex iis Gisgonis filium vltimam Hispaniæ oram, quæ ad Oceanum, & Gades vergit, hoc est, Transtaganos, & Turdetanos Lusitanos tenuisse apparet: Magonem autem reliquos. Vnde cum ambo ad Hasdrubalem alterum, post factum cum Scipione ad vrbē Bætulam prælium, auxilio iam sero deuenissent, capto in commune cōsilio, vt Hasdrubal ad Hannibalem in Italia cum exercitu iret, imminu-

tumq. quod erat Hispanis militibus repleretur. Mago traditis Hasdrubali Gisgonis, quibus præerat, copiis, cum grandi pecunia ad conducenda ex Balearibus auxilia est profectus. Hasdrubal vero Gisgonis cum exercitu penitus in Lusitaniam abiit, vt ad vltima Hispaniæ traducti Hispani milites, a transitionibus ad Romanos prohiberentur. Hæc ex Liuio septimo tertiæ decadis libro, & in initio octaui. Et post prælio victi Carthaginienses, duce amisso in vltimam Hispaniæ oram, vsque ad Oceanum compulsi erant.

Hannibalem secutos fuisse Lusitanos in Italiam, non modo ex Liuio colligimus, sed id etiam confirmat Silius libro tertio in catalogo populorum, quos ad Italicum bellum Pœnus contraxit.

Hos Viriatus agit, Lusitanumq. remotis
extractum lustris, primo Viriatus in æuo
Nomen Romanis factum post nobile damnis.

Et libro quinto in pugna ad Trasymenum, Tellum signiferum, ac nobilem Mamercum ab iis interemptos ita narrat.

Nec fati melior Mamercus, corpore toto
Exoluit pœnas, nulli non saucius hosti.
Namque per aduersos, qua Lusitania ciebat
Pugnas dira manus, raptū cū sanguine Telli
Signiferi, magna vexillum mole ferebat,
Et trepida infelix reuocabat signa suorum.
Sed furiata choors, ausisq. accensa superbis,

Quod-

Quodcũque ipsa manus gestabat missile, quidquid
Præbebat tellus, sparsis non peruia telis,
Iniecit pariter pluresq. in corpore nullo.

Libro quoque decimo in memorabili illa Cannensi pugna, CN. Seruilium a Viriato Lusitanorum duce interfectum ait, Viriatum vero ipsum ab Aemilio Paulo Consule.

Incurrebat in arma.
Vincentum Consul: pereundi Martius ardor,
Atque animos iam sola dabat fiducia mortis.
Cum Viriatus agens telis, regnator Iberæ
Magnanimus terræ, iuxta, atque ante ora furẽtis
Obtruncat Pauli fessum certaminis hostem.
Heu dolor, heu lacrymæ, Seruilius optima belli,
Post Paulum belli pars optima, corruit ictu
Barbarico, magnamque cadens leto addidit vno
Inuidiam Cannis, tristem non pertulit iram.
Consul, & insani quamquam contraria venti
Exarmat vis, atque obtendit puluere lucem,
Squalentem rumpens ingestæ toruus arenæ
Ingreditur nimbum, ac ritu iam moris Iberi
Carmina pulsata fundentem barbara cetra
Inuadit, læuæq. fodit vitalia mammæ.

Et ne quem turbet hęc Silij de Viriato Narratio, aduertat alterum fuisse Viriatum hunc, alterum magnũ illum, qui cum Lusitanis aduersus Romanos, annos quattuordecim pugnauit.

Nam hic regulus a poeta perhibetur, ille alter ex pastore, ac venatore latro, & inde

dux exercitus ab omnibus qui de eo scripsere, fuisse narratur. Hic a Paulo Consule Cannensi pugna occisus est, ille alter Seruilij Cæpionis dolo atque insidijs perijt. At inter mortem vnius, atque initium bellorum alterius fluxerunt anni circiter septuaginta, videlicet ab anno conditæ vrbis DXL. ad annũ DCVII.

Iterum siquis vrgeat, quonam modo Silius Viriati nomen mox factum nobile Romanorum damnis afferat? Respondebo non referendum hoc ad priorem Viriatum, quamquam, & ad hunc, qui & ad Trasymenum, & ad Cannas, Romanorum damnis inclaruerat, sed potius ad posteriorem Viriatum ducem maximum. Ideoq. poeta non dixit ducem factum nobilem, sed ipsum nomen Viriatum, ignotum prius, mox, id est post paucos annos, Romanorum damnis factum nobile.

Fuisse vero idem nomen duobus Lusitanis ducibus, diuersis temporibus, non mirabitur, qui vna tempestate, tot Hannibales, & plures aduerterit extitisse Hasdrubales. Præterquã quòd Viriati nomen, nempe a virium magnitudine dictum, vtrique indictum a suis esse potuit, eadem gratia. Vnde & Lucilius Hannibalem Viriatum appellauit, vt est apud Nonium Marcellum.

Finito Punico bello, & a P. Corn. Scipione pulsis Hispania Carthaginiensibus, cum nondum perpacatæ essent prouinciæ, frequenti-

bus

bus eas bellis Romani attriuerunt, interdum victi, maxime interfectis intra mensem duobus fratribus P. & Corn. Scipionibus, sæpius tamen victores.

Quod ad Lusitanos attinet, M. Portius Cato, is qui Censorius cognominatus est, ex Hispania citeriore, quam fuerat sortitus, ad vlteriorem descendisse videtur, si Polybio apud Plutarchum assentiamur.

Lusitaniam certe in officio continuit, metune an beneficijs nõ scio. Reperi de eo fragmenta marmorea duo, sed ex quibus nihil certi diuinare potui. Alterum Olysippone in gradibus Palatij, quod est in summa arce.

... M. PORTIVS. M. F. M. N. CATO ...

Idest.

Marcus Portius, Marci filius, Marci nepos Cato. Alterum in agro Sintriensi, in vico cui nomen est Fanum, de quo alias, & est cippi fracti superior pars.

M. PORCIO. M. F. CATONI
OBSINGVLEI ...

Hoc est.

Marco Porcio, Marci filio Catoni ob singularem eius. Post Marci Catonis ex Hispania profectionem, cum multæ in citeriore pro-

uincia ciuitates rebellassent circa vrbis annum DLX. Sex. Digitius Prætor crebra magis quàm digna dictu prœlia fecit, & adeo pleraque aduersa, inquit, Liuius in initio libri quinti quartæ decadis, vt vix dimidium militum, quàm quod acceperat successori tradiderit. Nec dubium fuit quin omnis Hispania sublatura animos fuerit, ni alter prætor P. Cornelius. CN. F. Scipio, trans Iberum multa secunda prœlia fecisset. Quo terrore non minus quinquaginta oppida ad eum defecerunt. Prætor hæc gesserat Scipio. At idem postea Proprætor acerrimũ illud prœliũ cum Lusitanis gessit, de quo superius multa diximus, cum qualisnam gens Lusitanorum esset disputaremus.

L.Corn. Scipione, qui postea Asiaticus appellatus est, & C. Lælio nepote coss. Circa vrbis annum DLXIV. Lusitani L. Aemilium Paulum Proprætorem, cum vniuerso exercitu ceciderunt, in qua pugna ipsum Aemilium interijsse dicit Orosius, qui eum Proconsulem vocat. Nescio quem secutus auctorem.

Non enim interijt, cum post hanc pugnam, iterum collatis signis, ingẽti clade Lusitanos affecerit, & postea bellũ Macedonicum cum magna gloria gesserit, vt idem Orosius fatetur eodem capite, nisi alium existimauerit, constat autem ex Liuio eundem fuisse. Nam quod Orosius illum Proconsulem vocat, id

forte est, quoniam in Hispaniam sibi decretam prouinciam, non cum sex tantum securibus, aliorum Prætorum more, sed cum duodecim honoris causa missus est, ita vt dignitas consularis in imperio eius inesset, vt in ipsius vita narrat Plutarchus.

Sed præstat Liuiũ audire lib. septimo quartæ decadis. Huius triumphi (videlicet M. Acilij Glabrionis de Aetolis) minuit lætitiam, nuntius ex Hispania tristis, aduersa pugna in Vascetanis ductu L. Aemilij Proprętoris apud oppidum Lyconem, cum Lusitanis sex millia de exercitu Romano cecidisse, ceteros pauentes intra vallum compulsos ægre castra defendisse, & ad modum fugientium magnis itineribus in agrum pacatum reductos.

Quæsiuit aliquando a me Ioannes Vasæus vir doctus, ac diligens, cum Hispanicarum rerum chronicon commentaretur, quosnam arbitrarer esse Vascetanos, in quibus tam insignem victoriam adepti essent Lusitani.

Respondi, videri mihi lectionem nonnihil fuisse deprauatam, litterarum commercio, legendumq. in Batestanis. Nam solebant nonnulli B. eo sono, quo V. cum est consonans, pronunciare, vt etiam modo Græci, & Hispanorum plerique. T, vero minutiore littera (qua nunc vtimur) scriptum, facile mutari potuit in C. Vascetanos enim in vlteriore Hispania populos, scire me nullos, immo nequé

in-

in citeriore. Vesci oppidum Fauentiam cognominatum legi apud Plinium, in Bætica, & apud Ptolemæum ex quo Vescitani fieri potuissent, si de oppidanis, non autem de populis sermo esset. At Liuius populos intellexit, in Vascetanis, inquiens, apud oppidum Lyconem. Quod oppidum si extaret, aut saltem nominis vestigium exiguæ esset operæ lectionem veram agnoscere, interea placere mihi Batestanos pro Vascetanis substitui.

Sed vt redeamus ad Liuium circa eiusdem libri finem de P. Iunio Bruto in vlteriorẽ Hispaniam misso. C N. Manlio. C N. F. Vulsone. M. Fuluio. M. F. Nobiliore Coss. circa vrbis annum DLXV. Profectusq. in Hispaniam est. P. Iunius Proprætor, in qua prouincia prius aliquanto, quàm successor venisset, L. Aemilius Paulus, qui postea regem Persea magna gloria vicit, cũ priore anno haud prospere rem gessisset, tumultuario exercitu collecto, signis collatis, cum Lusitanis pugnauit. Fusi, fugatiq. sunt hostes, cæsa decem & octo millia armatorum, tria millia, c c c. capti, & castra expugnata. Huius victoriæ fama, tranquilliores in Hispania res fecit.

Lucium Aemilium Paulũ de Lusitanis, propter hanc victoriã triumphasse opinantur nonnulli ex verbis Velleij Paterculi libro priore, Tum Senatus, Populusq. Romanus. L. Aemilium Paulum, qui, & Prætor, & Consul triumphaue-

phauerat, virum in tantum laudandũ, in quantum intelligi virtus poteſt. Conſulem creauit filium eius Pauli, qui ad Cannas, &c.

Sed Liuius poſt narratam hanc de Luſitanis victoriam, ſupplicationes, inquit, deinde fuerunt, ex S. C. Quod Lucius Aemilius in Hiſpania proſpere rem geſſiſſet. De triumpho non meminit. Neque Plutarchus in hominis laudem mire propenſus, neque item Capitolinæ. M. Verrij Flacci tabulæ.

Onuphrius autem Veronenſis in commentario virorum triumphalium, ex Paterculi a me modo citatis verbis, & baſi Capitolina quadam, atque aliquot nummis non male videtur colligere illum triumphaſſe.

Huius victoriæ fama, inquit Liuius, tranquilliores in Hiſpania res fecit, verum nõ diu. Nam C. Catinio, & L. Manlio in Hiſpanijs Rempub. gerentibus, circa annum ab vrbe condita DLXVIII. in citeriore prouincia Celtiberi, in vlteriore Luſitani armis Romanorum ſocios vexabant, eorumq. agros populabantur. Sp. Poſthumio Albino. Q. Martio Philippo Coſs.

C. ergo Catinius, qui cũ biénio ante Prætor in vlteriorem prouinciam eſſet profectus, & tum ex prorogato imperio eam Proprætore obtineret, in Aſtenſi agro cum Luſitanis ſignis collatis pugnauit. Ad ſex millia hoſtium ſunt cæſa, vt refert Liuius libro nono quartæ deca-

decadis, ceteri fusi, fugati, castrisq. exuti.

Catinius inde ad Astam oppugnandam legiones duxit, eamq. haud multo maiore certamine cepit, quàm castra, sed dum incautius subit muros, ictus, ex vulnere paucos post dies mortuus est. Qua re cognita Senatus censuit, vt C. Calpurnius Piso, qui erat successurus maturaret proficisci, ne sine imperio prouincia esset.

Profecti igitur, C. Calpurnius Piso in vlteriorem Hispaniam, propter Lusitanorum motus, in citeriorem, L. Quintius Crispinus, primo vere ex hibernis eductas copias, in Bæturia iunxere. Ea est pars Bæticæ a Marianis montibus ad Anam pertingens.

Inde in Carpetaniam, vbi castra erant hostium, progressi sunt, communi animo, consilioq. parati rem gerere, haud procul Hippone, & Toleto vrbibus, inter pabulatores pugna orta est.

Quibus dum vtrimque subuenitur a castris, paulatim omnes copiæ in aciem eductæ sunt. In eo tumultario certamine, & loca sua, & genus pugnæ pro hoste fuere, ait Liuius libro nono decadis quartæ. Duo exercitus Romani fusi, atque in castra compulsi sunt. Non institere perculsis hostes.

Prætores Romani, ne postero die castra oppugnarentur, silentio proximæ noctis tacito signo exercitum abduxerunt.

Luce

Luce prima Hiſpani acie inſtructa ad vallũ acceſſerunt, vacuaq. præter ſpem caſtra ingreſſi, quæ derelicta inter nocturnam trepidationem erant diripuerunt, regreſſiq. in ſua caſtra paucos dies quietis ſtatiuis manſerunt. Romanorum ſociorumq. in prœlio fuga,& ad quinque millia occiſi, quorum ſe ſpoliis hoſtes armauerunt. Inde ad Tagum flumen profecti ſunt. Ita Liuius.

Prætores poſthac cũ omne id tempus contrahendis ſociarum ciuitatũ auxiliis,recreandiſq. ab terrore aduerſæ pugnæ militum animis conſumpſiſſent ſuppleto exercitu iterum collatis ſignis atrox prœlium inierunt, hinc inflatis recenti victoria Hiſpanis, illinc Romanis militibus priore ignominia accenſis. Cæſi Hiſpani adeo,vt ex numero ſupra XXXV. milliũ, quattuor millia effugerint, tria tãtum millia,qui arma retinuerunt,in propinquum montem ſe receperint, mille ſemiermes per agros palati ſint.

Romani,ſociiq. paulo plus ſexcenti,& prouincialium auxiliorum CL. ferme ceciderunt, Tribuni militum quinque amiſſi, & pauci equites Romani. Pro concione poſtero die laudati,donatiq. phaleris, catellis, & fibulis, equites, & centuriones,quorum maxime opera fuſi eſſent hoſtes.

Hæc eo anno, quo App.Claudius.M. Sempronius Coſs. fuerunt, ſunt geſta.

In sequenti anno, quo P. Claudius, L. Porcius erant Coss. in Hispania vlteriore, fractis proximo bello Lusitanis, res quietæ fuerunt, vt tradit Liuius.

Ex quo intelligimus prœlia duo, quæ paulo ante retulimus, cum Lusitanis, ac Celtiberis fuisse. Id etiam ex eo patet, quod veteres Prætores C. Calpurnius Piso, & L. Quintius Crispinus, qui eas pugnas pugnauerant, Romam cum rediissent, vtrique magno Patrum consensu triumphus est decretus. Prior C. Calpurnius de Lusitanis, & Celtiberis, paucos post dies L. Quintius ex iisdem Lusitanis, ac Celtiberis triumphauit.

In sequenti anno vlterior Hispania in pace fuit, quia P. Sempronius Longus, cui ea decreta erat, diutino morbo esset implicitus, & nullo lacessente peropportune quieuerant Lusitani. Hæc Liuius in fine libri noni quartæ decadis. Ex quo etiam patet illa tempestate belli, pacisq. momenta præcipue penes Lusitanos fuisse.

Inde Coss. Cn. Bæbio Pamphilo, L. Aemilio Paulo, anno ab vrbe condita DLXXII. P. Manlio Hispania vlterior obuenit, quam & priore prætura obtinuerat, inquit Liuius, quæ tunc P. Sempronij Proprætoris morte, sine imperio fuerat. Is secunda aliquot prœlia cum Lusitanis fecit, quæ Liuius non explicat. A. Posthumio Albino, & Calpurnio Pisone Coss. Hispa-

Hispanias sortiti Prætores, L. Posthumius Albinus posteriorem, citeriorem Tib. Sempronius Gracchus. Qui bene re gesta, centum quinque oppida ad deditionem coegit.

L. autem Posthumium eadem æstate in Hispania vlteriore bis cum Vaccæis egregie pugnasse, & ad. x x x v. millia hominum occidisse, scribit Liuius.

Codicem ego Liuij manu scriptum ab amico quodam accepi, in quo non cum Vaccæis, sed cum Bracaris habebatur, sicut & in Badiana editione legitur, probante Henrico Glareano docto, ac diligenti homine. Hoc aliquando Ioanni Vasæo indicaui, eramq in eam lectionem propensus, videlicet, quia in vlteriore Hispania Vaccæi non sunt, Bracari autem, iuxta vetustiorem terminationem, sicut & nostro æuo ad Lusitaniã pertinuerint. Quòd si ita esset, emendari oporteret Liuij quoque epitomen, libro quadragesimo primo, ac pro Vaccæis, reponendi Bracari.

Verum postea expendens Liuij paulo superius verba, vbi sic scribit: Eodem anno in Hispania L. Posthumius, & Tib. Sẽpronius Propræ. comparauerunt ita inter se, vt in Vaccæos per Lusitaniam iret Albinus, inde in Celtiberiam reuerteretur Gracchus, quòd maius ibi bellum esset, in vltima Celtiberiæ penetrauit, non audeo quidquam immutare.

Videtur enim Liuius fine consilij, quo inter

Pro-

Propraetores conuenerat posuisse, nempe. vt in Vaccaeos per Lusitaniam iret Albinus, sicut & Tib. ipse Gracchus Mundam vlterioris prouinciae vrbem oppugnauit, ac cepit. Ita enim e rep. fore vterque existimauit.

Gracchus Praetor ibidem iterum ducenta oppida expugnauit, & cepit. Ibidem, hoc est, in citeriore Hispania, iterum quia iam ibi centum quinque ad deditionē coegerat. ergo in citeriore, non in vlteriore prius legendum.

Quonam igitur modo in vlteriore Hispania gesta res fuisse narratur. Videlicet quia Propraetor vlterioris erat Albinus, & finitimi Lusitanis, Asturibusq. Vaccaei, vti superiore libro, cum terminos Lusitaniae definiebamus ex Strabone ostendimus, etiam si eas pugnas idem extra Lusitaniam Albinus pugnauerit.

Nisi & illic emendandus Liuij codex sit, vt legatur in Bracaros per Lusitaniam iret Albinus. Nam si cum Vaccaeis, & non cum Bracaris, hoc est, cum Lusitanis eae pugnae fuissent, quo iure Posthumio Albino de Lusitanis decretus est triumphus, non autē de Vaccaei? Verba Liuij haec sunt decadis quintae lib. primo: Triumphi ex hispania, deinde duo continuo acti. Prior Sempronius Gracchus de Celtiberis, sociisque eorum, postero die L. Posthumius de Lusitanis, aliisq. eiusdem regionis Hispanis triumphauit. Docti examinēt. Vnum addam, apud Orosium perperam

mutatas esse prouincias. Tiberium enim Sempronium in vlteriore Hispania centum quinque oppida, vt vetus habet codex, non centum quinquaginta, vt vulgata editio ad deditionem coegisse scribit. Eadem autem æstate L. Posthumium in citeriore quadraginta millia hostium bello interfecisse. Triumpharunt anno ab vrbe condita quingentesimo septuagesimo quinto.

Quinto Opimio Nepote. Lucio Posthumio Albino Coss. circa sexcentesimum vrbis annum a Lusitanis per arma vexatos fuisse Romanos scribit Iulius Obsequens in libello de prodigiis. Quamquam Consulum prænomina perperam sint posita. Quinti enim prænomen Opimio fuit, Lucij vero prænomen Posthumio, vt patet ex tabulis Capitolinis, sic Q. Opimius Q. F. Nepos. L. Posthumius. S. P. F. L. N. Albinus.

Posthumio tamen in magistratu mortuo, in eius locũ M. Acilius Glabrio suffectus est. Eodẽ auctore, M. Marcello, & L. Valerio Coss. in Lusitania varie pugnatum. Consentit epitome Liuij lib. 46. Hi autem Coss. M. Claudius Marcellus, & L. Valerius Flaccus fuere anno ab vrbe condita DCI.

His Coss. L. Mummi L. F. L. N. Proprætorem de Lusitanis triumphasse ostendit in Iberico Appianus, & qui in Capitolinas tabulas commentarios edidere.

Mendose legitur apud Eutropium lib. quarto: L. Memmius in Hispania bene pugnauit. Nam cũ hic sit, qui postea a deuictis Achæis, & Corinthiis, Achaicus sit appellatus, certum est, Achaicum L. Mummium L. F. L. N. fuisse, non L. Memmium.

Per hæc ipsa tempora L. Licinio Lucullo, Aulo Posthumio Albino Coss. Hispaniense bellum, cum parum prospere aliquoties gestum, ita confudisset ciuitatem Romanam, vt ne ij quidem inuenirentur, qui aut Tribunatum exciperent, aut legati ire vellent, P. Cornelius Scipio Aemilianus. L. Pauli F. Africani nepos, sed adoptiuus, qui & ipse postea Africanus est appellatus, processit, & excepturum se militiæ genus quodcumque imperatum esset, professus est. Quo exemplo ad militandi studium omnes inuitauit.

Iisdem Coss. Seruius Sulpicius Galba Prætor, male aduersus Lusitanos pugnauit, inquit, Liuij abbreuiator. Quam rem superiori volumine a nobis tactã hic suo loco latius repetere est visum, ex quarto Orosij libro capite trigesimo primo.

Sergius autem Galba Prætor a Lusitanis magno prælio victus est, vniuersoq. exercitu amisso, ipse cum paucis vix elapsus euasit, ex qua ignominia, cum vlcisci se postea Galba statuisset, immane, ac plusquam barbarum facinus perpetrauit. Quod Orosius ita narrat:

Igitur

Igitur in Hispania Sergius Galba Prætor, Lusitanos circa Tagum flumen habitantes, cum voluntarios in deditionem recepisset, per scelus interfecit. Simulans enim de commodis eorum se acturum fore circumpositis militibus, cunctos inermes, incautosq. prostrauit. Quæ res Hispaniæ vniuersæ, propter Romanorum perfidiam, causa maximi tumultus fuit. Valerius Maximus lib. 9. capite de perfidia sic ait. Seruius quoque Galba summæ perfidiæ. Trium enim Lusitaniæ ciuitatũ, conuocato populo, tamquam de commodis eius acturus, nouem millia, in quibus flos iuuentutis consistebat, electa, & armis exuta, partim trucidauit, partim vendidit. Quo facinore maximam cladem (codex manuscriptus habet partem) barbarorum magnitudine criminis antecessit.

Accusauit acriter M. Cato Galbam, pro interfectis cõtra interpositam fidem Lusitanis, vt testatur in Bruto M. Tullius, & obiter in diuinatione, quod explicat apertius Asconius Pædianus, & Liuij epitome libro quadragesimo nono.

Aetatis autem nonagesimum annum agebat Cato teste Liuio decad. quartæ lib. 9. cum Galbam accusauit, ardentissima oratione, quam in Origines suas retulit.

Reus vero Galba, cum se damnari videret complexus duos filios prætextatos, & C. Sul-

pitij filium cuius tutor erat, ita miserabilitér pro se locutus est, vt rogatio antiquaretur.

Misericordia ergo, inquit, lib. 8. cap. 1. Valerius Maximus, illam quæstionem non æquitas texit. Ceterum de prænomine Galbæ, quod alias Seruius, alias autem Sergius habetur, si quis forte inquirat, nescio an facere satis omnino possim.

Nam Cicero loco a me citato Seruium habet. Pædianus, & Orosius Sergium. Epitome Liuij prius Seruium, deinde Sergium. Liuius ipse vbi de accusatione eius meminit Sergium, at libro quinto decadis quintæ cum scribit Galbam impedire conatum, ne de capto Rege Perse, deuictaq. Macedonia. L. Aemilio Paulo triumphus decerneretur, ac M. Seruilium pro L. Aemilio ad populum verba facientem inducit, vbique eum Seruium Sulpicium Galbam nominat.

Valerius Maximus in altero locorum modò citatorũ Sergium, in altero vero Seruium, quemadmodum libro sexto capite quarto, de Scipione cum ait: Seruius Sulpicius Galba, quę varietas in impressis codicibus est. In manu autem scripto, vbique Seruium inuenio.

Plutarchus in Catone Seruilium, quod parum abest a Seruio. Suetonius vero in Galba Cæsare, cuius familiam ab hoc Galba deducit, Sergium semper vocat, familiam, inquit, illustrauit Sergius Galba temporum suorum

elo-

eloquentissimus, quem tradũt Hispaniam obtinentẽ, triginta Lusitanorũ millibus perfidia trucidatis, Viriatini belli causam extitisse, eius quoque filios, alterum Caium, alterum Sergium nominat. Ex quibus Tranquilli locis, in prænomen Sergium pedibus prope iam ibam, nisi me Eutropius libro septimo reuocasset. Scripto enim Neronis obitu, huic ait Seruius Galba successit antiquissimæ nobilitatis Senator. Non ergo quieui donec Dione Græco Auctore consulto libro quinquagesimoseptimo inueni Seruium, non Sergium ab illo nominari. Quare magis ad Seruij prænomen animus iam inclinat. Varietatem autem ex compendio scribendi euenisse puto. Nam prænomina cum fere compendio notentur, factum est, vt SER. a quibusdam Seruius, ab alijs autem Sergius legeretur. Sane tamen SER. magis Seruium notat, quam Sergium, vt mea fert opinio. Ego Sergium prænomen quattuor litteris scriberem; sic. SERG. vt Dionem video fecisse in initio eiusdem libri. Quòd si opinioni huic meæ obijciatur etiã tribum. SERGIAM. litteris tantum tribus scribi; & Sergiam intelligi, vt in Tarraconensi cippo vidi. P. FABIO. P. F. SER. LEPIDO. respondebo in tam nota tribu nihil opus fuisse pluribus litteris; at in prænomine, quod ad hoc, vel ad illud trahi poterat; in Sergio quartam litterã fuisse necessariam.

Tam ex Suetonio, quàm ex Orosio Seruii Galbæ perfidiam, ac crudelitatem maximi tumultus vniuersæ Hispaniæ, ac demum Viriatini belli causam fuisse didicimus, vt dederit Roma pœnas impuniti Galbæ, qui contra ius, etiam inter extremæ barbariæ hostes, sanctum, & inuiolabile vel nouem millium, vt Valerio placuit, vel millium triginta, vt Tranquillo, nefaria se cæde polluerit, & quem contra summi viri Catonis iustam acrimoniam, trium puerorum misericordia noxa capitali exemerat. Anno igitur ab vrbe condita DCVII. Cn. Cornelio Lentulo. L. Mummio Nepote Coss. Lusitanos Viriatus erexit. De quo hæc Auctores. Florus: Vir calliditatis acerrimæ, qui ex venatore latro; ex latrone subito dux, atque imperator, etsi fortuna cessisset, Hispaniæ Romulus, non contentus libertatem suorum defendere per quattuordecim annos, omnia citra, vltraq. Iberum, & Tagum igni, ferroq. populatus, castra etiam Prætorum, & præsidum aggressus, cum Claudium Vnimanum pene ad internitionem exercitus cecidisset, & insignia, trabeis, & fascibus nostris, quæ ceperat, in montibus suis tropæa fixisset, tandem eum Fabius Maximus consul oppresserat, sed ab successore Seruilio violata victoria est. Quippe qui conficiendæ rei cupidus, fractum ducem, & extrema deditionis agitantem per fraudem, & insidias, &

dome-

domesticos percussores aggressus, hanc hosti gloriam dedit, vt videretur aliter vinci non potuisse. Iustinus: In tanta sæculorum serie, nullus illis dux magnus præter Viriatum fuit, qui annos decem Romanos varia victoria fatigauit. Adeo feris propiora, quàm hominibus ingenia sunt. Quem ipsum non iudicio populi electum, sed vt cauendi scientem, declinandorumq. periculorum peritum, secuti sunt. Cuius ea virtus, continentiaq. fuit, vt cum consulares exercitus frequenter vicerit, tantis rebus gestis, non armorum, non vestis cultum, non denique victum mutauerit: sed in eo habitu, quo primum bellare cœpit, perseuerauerit, vt quiuis gregarius miles, ipso imperatore etiam opulentior videretur.

Velleius in posterioris voluminis initio: Triste deinde, & contumeliosum bellum in Hispania, duce latronum Viriato, secutum est, quod ita varia fortuna gestum est, vt sæpius Romanorum gereretur aduersa. Sed interempto Viriato fraude magis, quàm virtute Seruilij Cæpionis, Numantinum grauius exarsit.

Eutropius: Quintus quoque Cæpio ad idem bellum missus est, quod quidem Viriatus contra Romanos in Lusitania gerebat. Quo metu Viriatus a suis interfectus est, cum quattuordecim annos Hispanias aduersus Romanos mouisset. Pastor primo fuit, mox latronum

dux, postremo tantos ad bellum populos concitauit, vt adsertor contra Romanos Hispaniæ putaretur.

Plinius in libello de viris Illustribus: Viriatus genere Lusitanus, ob paupertatem primo mercennarius, deinde alacritate vector, audacia latro; ad postremum dux, bellum aduersum Romanos sumpsit, eorumq. Imperatorem Claudium Vnimanum, deinde C. Nigidium oppressit. Pacem a Popillio maluit integer petere, quàm victus: & cum alia dedisset & arma retinerentur, bellum renouauit. Cæpio cum vincere aliter non posset duos satellites pecunia corrupit, qui Viriatum humi depositum perimerent. Quæ victoria, quia empta erat, a senatu non fuit probata.

Orosius libro quinto capite quarto: Viriatus in Hispania, genere Lusitanus, homo pastoralis, & latro, primo insectando vias, deinde vastando prouincias, postremo exercitus Prætorum, & consulum Romanorum vincendo, fugando, subigendo maximo terrori Romanis omnibus fuit. Siquidem Iberũ, & Tagum maxima, & diuersorum locorum flumina late transgredienti & peruaganti. C. Vetilius Prætor occurrit. Qui continuo cæso vsque ad internitionem pæne omni exercitu suo, vix ipse Prætor cum fuga lapsus euasit. Deinde C. Plautium Prætorem ipse Viriatus multis prœlijs fractum fugauit. Post etiam

Clau-

Claudius Vnimanus cũ magno instructu belli contra Viriatum missus, quasi pro abolenda superiore macula, turpiorem ipse auxit infamiam. Nam congressus cum Viriato vniuersas, quas secũ adduxerat copias, maximasq. vires Romani amisit exercitus. Viriatus trabeas, fasces, ceteraq. insignia Romana, in mõtibus suis tropæa præfixit. Eodem tempore trecenti Lusitani cum mille Romanis in quodam saltu contraxere pugnam, in qua septuaginta Lusitanos, Romanos autem trecentos viginti cecidisse, Claudius refert. Et cum victores Lusitani sparsi ac securi abiissent, vnus ex iis longe a ceteris segregatus, cum a circumfusis equitibus pedes ipse deprehensus, vnius eorũ equo lancea perfosso ipsius equitis ad vnum gladij ictum caput desecuisset, ita omnes metu perculit, vt prospectantibus cunctis ipse contemptius, atque otiosius abscederet. Et paulo post: L. Cæcilio Metello, Q. Fabio Max. Seruiliano Coss. Igitur Fabius consul contra Lusitanos, & Viriatũ dimicans, Bacciam oppidum, quod Viriatus obsidebat, depulsis hostibus liberauit, & in deditionem cum plurimis aliis castellis recepit. Fecit facinus etiam vltimis Barbaris Scythiæ, non dicam Romanæ fidei, & moderationi execrabile: Quingentis enim principibus eorum, quos societate inuitatos, deditionis iure susceperat, manus præcidit. Pompeius sequentis anni Con-

ni Consul fines Numantinorum ingressus accepta maxima clade discessit, non solum exercitu pene omni profligato, verum etiam plurimis nobiliũ, qui ei militiæ aderant, interemptis. Viriatus autem cum per quattuordecim annos Romanos duces, atque exercitus protriuisset, insidijs suorum interfectus est. In hoc solum Romanis circa eum fortiter agentibus, quòd percussores eius indignos præmio iudicarunt.

Sex. Iulius Frontinus stratagematum libro secundo capite quinto: Viriatus ex latrone dux Celtiberorum, cedere se Romanis equitibus simulãs, vsque ad locum voraginosum & præaltum eos perduxit, & cum ipse per solidos, ac notos sibi transitus euaderet Romanos ignaros locorum, immersosq; limo cecidit. Celtiberorũm illum ducem appellat, quoniam non contentus vniuersam Lusitaniam ademisse Romanis, Iberum bella transferens, Celtiberiæ etiam populos occupauit, & aduersus Romanos erexit. Multa alia in libris his magni, ac sapientis ducis argumenta Frontinus de Viriato prodidit, quæ peti inde possunt.

Epitome Liuij lib. 52. Viriatus primum in Hispania, ex pastore venator, & ex venatore latro, mox iusti quoque exercitus dux factus est, & vniuersam Lusitaniam occupauit. M. Vetilium prætorem, fuso eius exercitu, cepit.

Post-

Postquem C. Plautius Prætor nihilo felicius rem gessit, tantumque terrorem is hostis intulit, vt aduersus eum consulari opus esset, & duce & exercitu. Et libro quinquagesimo quarto: Quintus Fabius Proconsul, rebus in Hispania prospere gestis labem imposuit pace cum Viriato æquis conditionibus facta. Viriatus a proditoribus, cōsilio Seruilij Cæpionis interemptus est, & ab exercitu eius multum imploratus, ac nobilissime tumulatus, vir, duxq. maximus per quattuordecim annos, quibus cum Romanis bellum gessit, frequentius superior. Hæc scriptores de Viriato, quem omnes latronem, latronumq. ducem fuisse dicunt, quemadmodum Strabo libro tertio. Noster quoque Cicero libro de officiis secundo: Quin etiam leges latronum esse dicuntur, quibus parent, quas obseruent. Itaque propter æquabilem prędæ partitionē, & Bargulus Illyricus, de quo est apud Theopompum magnas opes habuit, & multo maiores Viriatus Lusitanus, cui quidem exercitus nostri imperatoresq. cesserunt. Quem C. Lælius, is qui sapiens vsurpatur Prætor fregit, & comminuit, ferocitatemq. eius ita repressit, vt facile bellum reliquis traderet.

Vbi quoque aduertendum, quàm Viriati attenuet summus Orator victorias. Cui quidem exercitus nostri imperatoresq. cesserūt: Cesserunt verecunde, inquit quidam, cum

victos

victos significet. At vero C. Lælium quo ambitu, qua verborum amplitudine attollit? fregit, & comminuit, ferocitatemq. eius repressit. Et in Bruto: Egregium Viriati bello reperimus fuisse Lælium. Atqui nisi Seruilius Cæpio Lælij in consulatu collega, pecunia, qui Viriatum interimerent corrupisset, nondum sane debellatum erat. Alioqui quid est quod ait Plinius, Cæpio cum vincere aliter non posset, duos satellites pecunia corrupit, qui Viriatum humi depositum perimerent.

Redeo ad latronis nomen. Mihi videtur inuidiosius id a Romanis in magni viri odium, inculcatum; latronem autem, aut latronum ducem, aliter intelligo, vt & Liuius de Masanissa decadis tertiæ libro nono ait: Inde nocturnis primo, ac furtiuis incursionibus, dein de aperto latrocinio infesta omnia circa esse, maxime vero Carthaginiensis ager, quia & plus prædæ, quàm inter Numidas, & latrocinium tutius erat. Et statim vix regium videbatur, latronem vagum in montibus consectari. Latro autem vagus Masanissa erat, debitum sibi regnum reposcens. Ita ergo, cum propter Galbæ perfidiam, alienissimo a Romanis essent animo Lusitani, Viriato pastori primum, inde venatori, & qui mercenariam vecturam faceret, viro tamen calliditatis acerrimæ, periculorumque declinandorum perito adhærere nonnulli, cum quibus incur-

incursiones, ac latrocinium aduersus Romanos; Romanorumq. socios exercebat. Cuius felici audaciæ, cum ex Romanorum recenti iniuria multi fauerent, & copiæ indies maiores accrescerent, iusto tandem exercitu congregato, electus dux, ad bellum iam intrepide, patriamq. liberandam, non autem ad latrocinium processit. Quippe cuius miram virtutem, continentiamq. adeo Iustinus prædicet, vt tantis rebus gestis, neque cultioribus armis, quàm ceteri, sit vsus, neque vestitum, neq; victum mutauerit, vt quiuis gregarius miles ipso imperatore opulentior videretur. Quæ animi moderatio in latronum moribus esse non solet.

Interfecto Seruilij Cæpionis opera à duobus domesticis satellitibus Viriato, cum interfectores eius præmium a Scipione Cõsule peterent, responsum est, numquam Romanis placuisse, imperatores a suis militibus interfici, vt ait Eutropius. Duplicem in eius cæde perfidiam accusat Valerius Max. lib. 9. cap. 6. alterã amicorum eius, quòd eorũ manibus interemptus, alterã Q. Seruilij Cæpionis, quòd is sceleris huius auctor, promissa impunitate fuerit, victoriãq. nõ meruerit, sed emerit. Imperatores igitur Romani, quos Viriatus deuicisse legitur, fuere hi. Prætores C. Vetilius, vt Orosius, siue M. Vetilius, vt epitome Liuij habet. C. Plautius, Cl. Vnimanus.

C.Ni-

C. Nigidius, cum M. Popillio Lænate, tunc Prætore; vt arbitror. Nam consulatum non iniit, nisi post Quintum Seruilium Cæpioné, quo agéte domesticis insidiis periit Viriatus. Cum Popillio ergo, adhuc integer de pace agitauit. Sed quia tradere arma poscebatur, quòd ea res videretur victi esse confessio bellum renouauit. Cum Lælio varie pugnauit: nam si eum Lælius tam fregisset, quàm in eius gratia iactat Cicero, nequaquam censuisset Senatus, vt bellum aduersus Viriatum, non iam per Prætores, sed per Consules administraretur.

Cum Q. Fabio Maximo Consule etiam varie pugnauit. Cum eodem postea Proconsule varie quoque. Quare cum eo Fabius æquis conditionibus pacem fecit, cum tamé bonam ei Lusitaniæ partem ademisset. Vnde labem prospere gestis a se rebus imposuisse Fabius est iudicatus. Proconsul tum erat Fabius, vt patet ex Liuij Epitome. Emendandus est Flori Locus paulo ante citatus. Tandem eum Fabius Maximus Consul oppresserat. Sine dubio enim legendum Proconsul. Nam Fabius anno vrbis DCXII. Consul fuit. Postquam fuere Cn. Seruilius Cæpio, & Q. Pompeius Rufus. Quorum anno prorogatum Fabio imperium est, vt Proconsule aduersus Viriatum ex parte affectum bellum tandem conficeret. Anno sequenti designati Coss. C. Lælius Sapiens, &

Quintus Seruilius Cæpio auctor cædis Viriati, vt ex Eutropio ostensum ante est. Igitur pace rursus turbata futurus victor apparebat Fabius, nisi Q. Seruilius Cæpio, qui post Cn. Seruilium Cæpionem fratrem, & Q. Pompeium Rufum Consul est designatus, bellique cum Viriato successor, insidiis victoriam corrupisset.

Manent adhuc in Lusitania aliquot monumenta militum Romanorum, qui in Viriatino bello occisi sunt, vt in territorio Eborensi, Pomariensi prædio, hoc cuius ego testis sum oculatus.

L. SILO. SABINVS. BELLO. CONTRA VIRIATVM. IN. EBOR. PROV. LVSIT. AGRO. MVLTITVDINE. TELOR. CONFOSSVS. AD. C. PLAVT. PRAET. DELATVS. HVMERIS. MILIT. H. SEP. E. PEC. MEA. M. F. I. IN. QVO. NEMIN. VELIM MECVM. NEC. SERV. NEC. LIB. INSERI. SI. SECVS. FIET. VELIM. OSSVA. QVORVMQVOMQ. SEPVLCRO. MEO. ERVI SI. PATRIA. LIBERA. ERIT.

Id est,

Lucius Silo Sabinus bello contra Viriatum in Eborensi prouinciæ Lusitaniæ agro, multitudine

tudine telorum confossus, ad Caium Plautinum prætorem delatus humeris militum, hic sepultus est. pecunia mea mihi fieri iussi, in quo neminem velim mecum, nec seruum, nec liberum inferi. Si secus fiat, velim ossua quorumquomque, sepulcro meo erui. Si patria libera erit.

Honoratus Ioannes Valentinus, vir & natalibus, & luculenta eruditione nobilis, & hoc & tria, quæ subiiciam a Floriano Campensi accepta mihi Olysippone ostendit. Sed ego illi hoc emẽdatius tradidi. Alterum etiam ibidem simul inuentum esse narrabat, quod ego etsi diligenter perquisiui, hactenus tamen inuenire non potui, esse autem ferebat istiusmodi.

Q. LONGINVS. TARTAREO. ABSORPT.
HIATV. ANTE. TEMPVS. ARM. HOST.
IN. CAMPIS. LVSITAN.
M. REGVLVS. TRIB. MIL. MAR. SARCOPH.
OSSA·CONTEXIT·VALETE·MILIT·ROMANI

Hoc est,

Quintus Longinus tartareo absorptus hiatu ante tempus armorum hostilium in campis Lusitaniæ. Marcus Regulus Tribunus militum marmoreo sarcophago ossa contexit. valete milites Romani.

Et hoc

Et hoc prope Visæum vrbem.

L. Aemil. L. F. confect. vulnere Hosl. sub
Nigidio. Coß. cont. Viriatum Latronem
Lanciens. quorum Remp. tutarat. basim
Cum vrna, & statuam in loco publico erex.
Honoris. liberal. que ergo.

Hoc est,

Lucio Aemilio Lucij filio, confecto vulnere hostili sub Nigidio Consule contra Viriatum Latronem, Lancienses, quorum Remp. tutarat basim cum vrna, & statuā in loco publico erexerunt honoris liberalitatisq. ergo.

Hoc quoque neque ego vidi, neque C. Nigidium Consulem Viriatino bello fuisse inuenio, nisi consulari potestate bellum gessisse dicamus, quem a Viriato oppressum dicit Plinius. Fertur etiam testamentum Galli Fauonij, quod retulit Marlianus in vrbis descriptione, in Lusitania repertum, quod ab Iacobo Simoneta Pisauriensi Episcopo, & Rotæ auditore, se accepisse ait, in hæc verba.

EGO GALLVS FAVONIVS IOCVNDVS. P. FAVONII F.

Qui bello contra Viriatū obcubui, Iocundum, & Pudentem filios e me, & Quintia Fabia coniuge mea ortos, & bonorum Iocundi

patris mei, & eorum quæ ipse mihi acquæsiui, heredes relinquo, hac tamen conditione, vt ab vrbe Roma huc veniāt, & ossa hinc mea intra quinquennium exportent, & via Latina condant, in sepulchro iussu meo condito, & mea voluntate. In quo velim neminem mecum, neque seruum, neque libertum inseri, & velim ossa quorumcūque sepulchro statim meo eruantur, & iura Romana seruentur, in sepulchris, ritu maiorum retinendis voluntate testatoris. Et si secus fecerint, nisi legitimæ oriantur causæ, velim ea omnia, quæ filijs meis relinquo, pro reparando templo Dei Siluani, quod sub Viminali monte est, attribui. Manesq. mei a Pontifice maximo & a Flaminibus Dialibus, qui in Capitolio sunt, opē implorent, ad liberorum meorum impietatem vlciscendā. Teneanturq. sacerdotes Dei Siluani me in vrbem referre, & sepulchro meo condere. Volo quoque vernas, qui domi meæ sunt omnes a Prætore Vrbano liberos cū matribus dimitti, singulisq. libram argenti puri, & vestem vnam dari. in Lusitania in agro. VIII. cal. Quintiles bello Viriatino.

Testamētum hoc paulo diuersius mihi Honoratus Ioannes Floriani Campensis manu descriptum communicauit hoc modo.

EGO

EGO GALLVS FAVONIVS IOCVNDVS L. F.

Qui bello cont. Viriatum occub. Iocundum, & Pudentem fili. ex test. herr. relinquo, & honor. Iocundi patr. mei, & eor. quæ mihi adquæsiui. hac tamen conditione, vt ab vrbe Roma huc veniant, & ossa mea intra quinquen. e Lusitan. export. via Latina condant, sepulch. marm. cond. mea voluntate, si secus fec. nisi legitimæ oriant. causæ, velim ea omn. quæ fili. relinquo, pro templo Dei Siluani reparando adtribui. Manesq. mei opem pont. Max. & Flaminum Dial. qui in capitolio sunt, implorent, ad impiet. contra fili. vlciscendam. Teneanturq. sacerdd. Dei Siluani me in vrb. referre. & sepulch. me. cond. Velim quoque quotquot domi meæ vernæ sunt, liberos a Prætore, cum matrib. dimitti, singul. que libram arg. & vestem dari. Act. VI. Kalend. Quint. . . . R. Galba. Q. AVREL. Coss.

D E C V R R. Transcudani hoc testam. ore eiusd. Galli FAV. emiß. lapide iussere adsculpi.

Displicent tamẽ mihi affectata hic aliquot compendia cõtra sæculi illius morem. Ac nescio, an ita in marmore sit, an magis ita Florianus tradere voluerit, quo antiquitatem

ſuo iudicio maiorem repræſentaret, ſi lectori mutilatis dictionibus negotium faceſſeret.

Onuphrius Panuinius in primo faſtorum anno vrbis conditæ DCX. huius etiam meminit: Horum, inquit, conſulum mentio eſt in teſtamento Galli Fauonij ſecundi, qui bello Viriatino cecidit, ita: A C T V M . V I. KAL. QVINTILEIS. SER. GALBA. L.AVRELIO Coſſ. & de Viriato ſatis iam multa.

Decius inde Iunius Brutus. M. Iunij Penni filius, cum circa vrbis annum DCXVI. vna cum P. Corn. Naſica, qui Serapio appellatus eſt, conſulatum gereret, in Hiſpaniam venit, & iis qui ſub Viriato militauerant, agros, oppidumq. dedit, quod Valentia nuncupatum eſt. Ex epitome Liuij. Meminit etiam huius rei Sabellicus quintæ Eneados libro nono. Et nos in Vincentio Martyre, vt liqueat a Luſitanis ceteriſq. Viriati militibus Valentiam eſſe conditam & nominatam. Fabulam vero inanem eſſe, eam conditam ante Romam, & Romin appellatã a Romo Rege neſcio quo, apud commentitium Manethonem reperto. Quæ tamen fabula Floriano Campeſi, & quibuſdam ex neotericis Hiſpanicarum antiquitatum ſcriptoribus non diſplicuit.

Brutus igitur hic Luſitaniã, vſque ad Oceanum perdomuit. Quamquam vt Valerius Maximus libro ſexto, capite quarto ait: Pæne tota ſe ei ſponte dediderat, præter Cinauiam.

vrbem, quæ pertinaciter arma retinebat, vti in superioribus diximus, cum qualisnam gẽs Lusitani fuissent, disseruimus. Adortus etiam Bracaros Callæciæ gentem Callaicorum, qui Lusitanis auxilio venerant, sexaginta millia bello asperrimo, atque difficili; quamuis incautos circũuenisset, oppressit, in eo prœlio, inquit Oriosus libro quinto capite quinto, quinquaginta millia occisa, sex millia capta referuntur, pauci fuga euasere. Propter hanc igitur de Callaicis, & Bracaris victoriã, Callaici cognomen non autem a cetera Callæcia Brutum esse adeptum, hinc colligo, quòd Strabo libro tertio, vbi amnis Minij mentionem fecit, ita scribit. Hic expeditionis Bruti terminus est. Negligenter enim vertit interpres. Bruti Præturæ terminus, obiterq; notandum, iam non Consulem Brutum, sed Proconsulem; illic rem gessisse, eoq; tempore illi ad Limiam contigisse, quod supra retulimus, cum Bracarorum flumina recenseremus.

Triumphauit autem de Lusitanis, & Callæcis, anno vrbis DCXVII, quod in tabulis Capitolinis ita notatur.

D. IVNIVS. M. F. M. N. BRVTVS. CALLAICVS. ANNO DCXVII. PRO. COS. DE LVSITANEIS. ET. CALLAICEIS. EX. HISPANIA. VLTERIORE.

Hoc est: Decius vel Decimus Iunius, Marci filius, Marci nepos Brutus Callaicus anno sexcentesimo decimoseptimo Proconsul de Lusitanis ex Hispania vlteriore. Anno ab vrbe condita DCXLV. Q. Seruilius Cæpio. Q. Seruilij Cæpionis superioris filius. CN. nepos, Proprætor de Lusitanis, & Hispania vlteriore triumphauit. At anno DCXLIX. P. Rutilio Rufo: CN. Manlio Coss. exercitus Romanus a Lusitanis cæsus. Quod nisi a Iulio Obsequente quattuor tantum verbis esset notatum, per ceteros Romanos scriptores penitus ignoraremus. Tametsi de nominibus Consulum Obsequens & Cassiodorus nonnihil variant, sed ego Onuphrio Panuinio, qui eam rem exquisitius indagauit, adhæreo.

Anno inde conditæ vrbis DCLII. C. Mario IIII. Q. Luctatio Coss. deuictis Lusitanis pacatam vlteriorem Hispaniam, scribit Obsequens. Non tamen a quo deuicti sint, expressit. Opinatur Panuinius a D. Iunio. Syllano, propter Sexti Rufi verba. Rebellantes in Hispania Lusitanos, per D. Brutũ obtinuimus, & vsque Gades ad Oceanũ peruenimus. Post, ad Hispanos tumultuantes Syllanus missus, eos vicit, ego tamen & Obsequentis, & Rufi verba, aliter intelligo. Nempe deuictis a Bruto Lusitanis, vlteriorem Hispaniam fuisse pacatam, vsque ad Gades, & Oceanum

Syllanum vero ad tumultuātes Hispanos missum, non autem singillatim ad Lusitanos. Ad quos autem tumultuantes missum intelligat non explanauit. Verum quia Panuinio, & ceteris tabularum triumphalium explicatoribus ita videtur, ab illis non discedamus.

Anno vrbis DCLV. L. Cornelius Dolabella de Lusitanis triumphauit. Quod Verrij Flacci tabulæ ita ostendunt.

L.CORNELIVS.L.F.L.N.DOLABELLA.PRO.COS.EX HISPANIA.VLTERIOR.DE LVSITAN.V.K.FEB.

Hoc est: Lucius Cornelius, Lucij filius, Lucij nepos Dolabella, Proconsul ex Hispania vlteriore de Lusitanis quinto Kalen. Februarij.

Quinto post anno, id est ab vrbe condita DCLX. P.Licinius Crassus de Lusitanis triumphauit, testatur hoc Verrius Flaccus, sic.

P.LICINIVS.M.F.P.N.CRASSVS.ANNO.DCLX PRO.COS.DE LVSITANEIS.PRID.IDV.IVNI.

Hoc est: Publius Licinius, Marci filius, Publij nepos, Crassus anno sexcētesimo sexagesimo Proconsul de Lusitanis, pridie Idus Iunij. Hunc in Lusitania, & ea Callæciæ parte, quæ Bracarorū est bellū gessisse, inde conijcimus, quòd Strabo in calce libri tertij, tradit illum

etiam cassiteridas insulas e regione Celtici promontorij, pace conciliasse.

Sexcentesimo septuagesimo tertio vrbis anno, sparso per Macedoniam, Pamphyliam, atque Dalmatiam Romanorũ bello, cum quod in Hispania erat, ob id remissius gereretur, paulisper interquieuerant Lusitani, donec discordijs ciuilibus Sertorianũ exarsit; Syllanæ proscriptionis hereditas, vt inquit Florus. Quintus enim Sertorius, vir summæ quidem, sed calamitosæ virtutis, ac magnæ in rebus bellicis peritiæ dux, quod Marij partes fuerat secutus, cum proscriptus a Sylla esset, excessit vrbe atq; Italia varijs casibus vbiq; iactatus.

Cuius quia vitam, resq. gestas accurate perscripsit Plutarchus, & de eo multa ciuiliũ bellorum libro primo Appianus, & libro tertio L. Florus, quinto P. Orosius præter ea, quę sparsim Plinius Iunior de Illustribus viris, Valerius Maximus, Frontinus, Obsequens, & alij adnotarunt, minime opus est in ea re me laborare. Summatim ex Plutarcho, Appiano, atque Orosio dicam. Adscitus ex Africa a Lusitanis, cum duobus millibus, & sexcentis, quos Romanos vocabat, admixtis Afris septingentis, illinc venit, adiunxit Lusitanorum quattuor millia peditum, & equites septingentos; atque tam exiguis copijs aduersus quattuor Romanorum duces, sub quibus erant peditum millia centum viginti,

equitum septem millia, sagittariorum; & fun-ditorũ duo millia, & vrbes innumeræ, bellum gessit, cum ipse in initio viginti tantum Lusitanorum vrbes in sua ditione haberet. Validas non solum gentes, sed missos etiam aduersum se Romanos duces subegit. Cottam nauali prœlio ad Mellariam superauit, Phidium Prætorem ad Bætin, interfecitq. in ea pugna duo millia Romanorum ciuium, Domitium per Hirtuleium ducem oppressit. Qui etiam Manilium Galliæ Procoss. cum tribus legionibus, & mille quingentis equitibus in Hispaniam trangressum, castris, copiisq. nudauit, vt Orosij verbis dicam, & pæne solum Ilerdam compulit refugere.

L. Lucium Procoss. contriuit, Toranium à Metello missum cum toto exercitu deleuit. ipsum Metellum in tantam compulit necessitatem, vt L. Lollius ex Narbonensi Gallia ei ferre auxilium cogeretur, & Pompeius Magnus ex vrbe cum magna festinatione ea de causa mitteretur. Neque enim habebat Metellus, quo se verteret. Aquilium a Metello missum cum sex millibus cecidit, Pompeium iam Pyrenæos montes transgressum bello excepit, positisque iuxta castris superior fuit, Pompeium Palantiam obsidentem vi repulit, Et castra, quæ ad Calagurrim erant, adortus, ad tria millia interfecit. Eodem Pompeio spectante Lauronem vrbem expugnauit, atq;

incen-

incendit, neque ille tam magnifice Lauronensibus de se pollicitus, sociis pereuntibus auxilium ferre ausus est. Quibus vitam ex incensa vrbe dedit Sertorius, in Lusitaniam miserabili captiuitate traduxit. Ad Sucronem Pompeium prœlio superatum fugauit, ita vt vulneratus, & ex equo prostratus, pæne interfectus, & captus sit.

Afranium, qui cornu sinistrum regebat, cũ Sertorianos intento in Pompeium duce pelleret, suorum intellecto periculo accurrens, facile superauit, eiusq. milites dispersos occidit. Ad flumen Turiam Pompeium male multauit, & nisi Metellus superuenisset, actum de eo erat. Vnde illa Sertorij gloriatio: Ego puerum hunc, nisi venisset anus illa, castigatum verberibus, domum remisissem. Memmius Pompeij quæstor, & sororis eius maritus, ad Saguntum Sertorio superante, est interfectus. Et cum magna strage victor ad Metellum vsque peruenisset, pilo percussus Metellus interierat, nisi a suis pudore nimio affectis protectus esset. Didium Lælium Pompeij legatum, qui pabulatum exierat, scribit Obsequens à Sertorianis interfectum.

Et certe Sertoriani duces fere superiores erant, præcipue Hirtuleius, qui initio Metelli, antequam se Pompeio iungeret, multis prœliis fatigarat, tandem cum eodem Metello apud Italicam Bæticæ prouinciæ vrbẽ congressus,

greſſus, ex fiducia credo præteritarum victoriarum elatus, commiſſa pugna, viginti millibus amiſſis, victus in Luſitaniam cum paucis profugit. At Sertorius poſt id cum Pompeio congreſſus, decem millia militum eius interfecit, licet totidem & ipſe amiſerit, in tantamq. deſperationem duos egregios illos duces Metellum, atque Pompeium adduxit, vt publice Metellus præmia ſtatuerit ei, qui Sertorium necaret, centum argenti talenta, & viginti millia agri iugera, & ſi exul eſſet, veniam reductionemq. promitteret. Nempe, vt ſaltem proditione conſequeretur, quod armis non poterat.

Pompeius vero querulus ad Senatum ſcripſerit, niſi ſibi pecuniæ mitterentur, ſe milites è prouincia deducturum. Recipiebat ſe in Hiberna Sertorius in Luſitaniam, vnde appetente vere, cum M. Perpenna legato ſuo, ad hoſtes vſque in Celtiberiam properabat, Luſitanorum maxime opera ſemper vſus. Hoc diſerte aſſerit Appianus.

Eboram vero vrbem ad hiemandum peculiariter elegerat, ſagaci conſilio, cum fere in medio ſita ſit Luſitaniæ, & ſolo fertili, vnde in omnes partes præſto eſſe poterat, ſi vſus eueniret. Ibi domum, quæ adhuc extat, & Iuniam Donacen domeſticam, & libertos tres habebat. Inde cohortem vnam ad bellum duxerat, vti docemus latius, cum ventum

erit

erit ad vrbes.

Ita prospere in Hispania bellum gerentis Sertorij, cum fama etiam Pōtum complesset; Mithridates, si ducem rei militaris peritissimum sibi fœdere conciliasset, facilem de populo Romano victoriam se adepturum pollicebatur. De qua re non pigeat lectorem consulere Plutarchum. Ex quo, & qui vir, & qua probitate fuerit Sertorius, & quo amore patriam vnde exulabat, prosequeretur, liquido intelliget. Simul quanto digni fuerint odio Perpenna, & qui cum eo in cædem magni ducis coniurauere. Quorum tamen omnium exitus, vt proditorum esse conueniebat miser, atque infelix non multo post omnino fuit. Id breuiter atque eleganter Velleius Paterculus de Perpenna loquens commemorat: Sertorium, inquit, inter cœnam Oscæ interemit, Romanisq. certam victoriam, partibus suis excidium, sibi turpissimam mortem pessimo auctorauit facinore. Item Marcellinus sub libri xxvi. finem: Ad veteris Perpennæ exemplum, qui post Sertoriũ inter epulas obtruncatum dominatione paulisper potitus e frutetis, sub quibus latebat extractus, oblatusq. Pompeio eius iussu est interfectus. Sic decimo inchoati belli anno suorum dolis interfectus Sertorius, victoriam quidem Romanis dedit, verum sine vlla gloria, quod non virtute, sed fraude obuenisset.

Quo

Quo interempto Hiſpaniæ vniuerſæ ciuitates vltro ſe Romanis dedidere, præter Calagurrim, & Vxamam, ſed hanc Pompeius euertit, illam ſiue Afranius, vt ſcribit Oroſius iugi obſidione confectam, atque ad infames eſcas, ex inopia coactam, vltima tandem cæde, incendioq. deleuit; ſiue idem Pompeius, vt in libro ſeptimo capite ſexto refert Valerius. Quieuere itaque Luſitani, ac de Hiſpanis tam Metellus Pius, quàm Cn. Pompeius magnus adhuc eques Romanus triũpharunt, anno vrbis DCLXXXII. vt tabulæ referunt Capitolinæ.

Toto autem Sertoriani belli tempore nullum populo Romano vectigal ex Hiſpaniis fuiſſe, in oratione de Agrariis legibus, contra Rullum conqueritur M. Cicero.

Iulius deinde Cæſar, poſt Vrbanam præturam, vlteriorem ſortitus Hiſpaniam, in qua prius ſub Tuberone Prætore Quæſtor fuerat, Luſitaniam, ac Callæciam imperio Romano ſubdidit. De qua re non pigeat lectorem repetere, quæ ex Dione retulimus, cum de monte Herminio ageremus. Secuto paulo poſt triumuiratu, Cæſar Gallias, Aſiam Craſſus, Pompeius inuaſit Hiſpanias, quas per legatos tres, M. Petreium, L. Afranium, & M. Varronem adminiſtrabat, donec ciuile bellum conflatum eſt. Ac Cæſar in Hiſpanias veniẽs, eas pro tempore quieſcere coegit, M. Lepido

Procoss. Citeriorem, Q. Cassio Longino Vlteriorē Proprætore obtinentibus, quo tempore ad Dyrracchium Cæsar Pompeiū obsidebat.

Is Cassius Longinus inexplebilis auaritiæ, nec ob eam obscuræ crudelitatis homo, cum se prouinciæ odio haberi non ignoraret, magnasq. indies eius odij accessiones faceret, contra Prouincialium offensionem, exercitus amore sese munire studebat, donatiuorum largitionibus immoderatis, & præmiorum pollicitationibus, ex rapinis, grauissimisq. oneribus. Sestertia igitur centū militibus pollicitus, Medobrigam oppidum in Lusitania, mōtemq. Herminiū, quo Medobrigenses confugerāt, expugnauit, ibiq. Imperator appellatus, iterum Sestertiis centū milites donauit.

Anno inde ab vrbe condita DCCX. Cæsar post deuictum Pompeiū in Hispanias est profectus aduersus duos adolescentes Pompeios Magni filios, qui bellum instaurauerant. Pronior in Pompeij partes erat Lusitania, siue quia S.P.Q.R. magis eas fouebat, vt iustiores, siue recordatione iniuriarum Cæsaris, a quo in Prætura direpti nimis hostiliter fuerāt Lusitani, quāquam nec imperata detrectarent, & aduenienti portas patefacerent, vt inquit Suetonius. Et paucis verbis Catulli mordacissimus Iambus innuit.

Secunda præda Pontica, inde tertia
Ibera, quam scit amnis aurifer Tagus.

Vettonum igitur agrum, Lusitaniamq. pro Pompeio tenebat M. Petreius, antequam cum suis copijs, & equitibus, auxilijsq. totius Lusitaniæ ad Afranium in Celtiberiam proficisceretur, vt irrumpentem Cæsarem pariter reprimerent. Lusitanos Petreij beneficiarios vocat ipse Cæsar, in primo belli ciuilis commentario, quos custodiæ suæ causa semper habuisse confirmat. Fecit idem Munatius Flaccus in Bætica, Pompeiani nominis acrior quàm probabilior defensor, sed id credimus Valerio Maximo libro nono capite de crudelitate. Lusitanorum enim præsidio vallatus Cæsari cum resisteret pertinaciter ad Attegam barbarum in modum sæuijt in eos, quos Cæsaris studiosos esse comperit, & in eorum vxores ac liberos.

Videat qui velit Valeriũ, & Hispaniẽsis belli commẽtariũ, atque obiter Valerij codicem emendet, in quo perperam legitur: Numatius, pro Munatius, & Attinguensiũ pro Atteguensium. Sufficiet hoc ex Dione ostẽdisse lib. quadragesimo tertio ita scribẽte: Audiens autem in Attegua ciuitate magnam esse copiam commeatus. At paucis interiectis: Posteaquam vero milites intra vrbem recepti sunt, Munatium Flaccum ad eos misit. Munatius ergo Flaccus vocabatur, atque ita eum appellat Plutarchus in Catone. Præterea, inquit cum Pompeius commendationes reis dari in

Iudicijs consuetas, per legem vetuisset, ac postea ipse Munatio Flacco commendationem scripsisset, Cato qui in ea causa iudex erat, cum recitari cœpta est Pompeij cōmendatio, aures manibus clausit, legiq. illam prohibuit; vt mendum quoque sit apud eundem Plutarchum in Pompeio, vbi idem Catonis factum referens, Plancum eum, non autem Flaccum appellat. Nisi forte ijdem Munatij, tam Flacci, quàm Planci appellarentur. Probabile est Munatiam gentē in duas familias Flaccorum videlicet, & Plancorum fuisse diuisam. Et ideo apud Plutarchum in Pompeio ex Flacco factum Plancum.

Plancorū enim cognomen aliquot ex Munatijs habuisse, liquet ex L. Munatio Planco, qui cum Lepido triumuiro R. P. C. consulatū gessit, & ex ode septima libri primi Carminum Horatij. Præterea ex inscriptione, quam extare Caietæ Onuphrius Panuinius in secundum fastorum; & in libello de Romanorum nominibus, asseuerat. Ea est huiusmodi.

L. MVNATIVS. L. F. L. N. L. PRON.
PLANCVS. COS. IMPER. ITER. VII. VIR.
EPVLON. TRIVMPH. EX RAETEIS
AEDEM. SATVRNI. FECIT, DE MANVBIIS
AGROS DIVISIT. IN ITALIA BENEVENTI.
IN GALLIA COLONIAS DEDVXIT.
LVGDVNVM. ET RAVRICAM.

Hoc

Hoc eſt:Lucius Munatius,Lucij filius,& Lucij nepos,Lucij pronepos,Plancus,Cõſul Imperator,iterum Septemuir epulonum triumphauit ex Ræteis. Aedem Saturni fecit de manubiis,-agros diuiſit in Italia Beneuenti, in Gallia colonias deduxit Lugdunum, & Rauricam.

Sed multum ab inſtituto diuertimus propter Valerij locum. Redeo ad Munatium Flaccum,qui ſe Luſitanis ſtipatoribus munierat; quos tamen ſuæ crudelitatis ſatellites habuiſſe queritur Valerius, Dion tacet, ſubobſcure narrat Hiſpanienſis belli commẽtarius, neque Munatij, neque Luſitanorũ facta mentione. Petreianos, Afranianoſque milites, quòd aſſuefacti cum Luſitanis eſſent, eorum more pugnare ſolitos, ſcribit Cæſar in primo belli ciuilis commentario. Intantum autem Pompeij partes fouebant Luſitani, vt etiam illo iam interfecto,filiis Cn.& Sext.Pompeiis, in omnem euentum adhæſerint. Tranſeo Cotonem, vel potius Catonem, vt alij habent codices, qui Atteguæ cum Luſitanorum præſidio ſub Munatio erat, & cum Tullio legato ad Cæſarem venit.

Acerrimi Pompeianorum partium defenſores fuere, Philo tota Luſitania notiſſimus, ac Cæcilius Niger, qui cum bene magna Luſitanorum manu Hiſpali contra Cęſarem,pro Cn. adoleſcente mire laborarunt, multas ad

Bætin naues incenderunt, tandem victum ad Mundam, sauciumq. non deseruere. Sed cum se Carteiam recepisset, secuti sunt. De quo tradendo cum ciues legatos ad Cęsarem misissent, re intellecta Pompeius, vt in naues, quas ibi in præsidio habebat, confugeret, scapham ingressus est.

Sed pede casu funibus implicito, dum funē gladio secare nititur, pedis plantam gladio abscidit, vt libro bellorum ciuilium secundo ait Appianus, vel talum intorsit, vt hispaniensis belli commentarius refert.

Cum ab hostibus quæreretur, occurrente ad id Didio, qui Cæsarianæ classis Gadibus pręfectus erat, ex naui in qua curabatur egressus est, & in Lusitaniam profugiens lectica ferebatur. Sed vulneribus, & intorto talo cum ad fugiendum tardaretur, in itinere a Didio deprehensus, interfectus est, non ignaue sese protegens, inquit Appianus: cuius caput Hispalin allatum Cæsar in conspectum iussit dari populo, & sic vrbe potitus est.

Lusitani, qui ex pugna superfuere, cum se ad signa recepissent, aduersus Didium elatum ea gloria redierunt, & quotidianis eūm pugnis lacessentes, tripertito distributis signis, illius naues incenderunt, ipsum qui ad propellendum cum copiis processisset, prœlio excipientes interfecere, omnesq. eius copias deleuerunt, paucis exceptis, qui aut in scapha,

quæ

quæ ad littus erat, aut nando ad naues, quæ in salo erant confugientes, sublatis anchoris vitæ subsidium remis quæsiuerunt. Lusitani præda ingenti potiti sunt, vt refert ille Hispaniensis belli commentarius, alioqui mutilus, corruptus, impeditoq. sermone confusus. Quisquis auctor illius fuerit. Neque enim ad Hircium, aut Opium disertos satis homines referendum ego existimo. Miles tamen Cæsaris cum esset & eius laudes immodicus, ita scripsit, vt sæpe, neque quid uelit intelligas, neque si diuines, oratio ipsa sibi congruat.

Cn. Pompeio extincto, & maxima ex parte Hispania in potestatem redacta, Cæsar ad Vrbanam dominationem festinans, Sext. Pompeium alterũ ex Pompeij Magni filiis iuniorem, contempta eius adolescentia, neglexit in Hispania, non arbitratus eum aliquid magnum propter ætatem esse ausurum, sed aliter res euenit. Nam iuuenis primo cum paucis piraticam exercuit ignotus, deinde paulatim timorem exuens, seq. Pompeij Magni filium professus, ex iis, qui sub patre Pompeio vel sub Cn. Fratre militauerant, victiq. cesserant, validum conflauit exercitum, ad eum tamquam ad ducem suum confluentibus, quibus Pompeij nomen erat gratiosum. Adauctus igitur amplioribus copiis, formidini esse cœpit Præsidibus, qui sub Cæsaris imperio Hispanias obtinebant, ita vt vererentur cum

eo ad manus venire. Qua re intellecta Cæsar Carrinatem cum validioribus copiis misit, qui Pompeium debellaret.

Apud Appianum Carinam in his locis scriptum pro Carrinate reperias, nescio an interpretis vitio. Nã sermo est de C. Albio Carrinate, qui postea Consulatum gessit, cum Augustus abdicasset.

At vero iuuenis cognito Carrinatis aduento, statim aduolans illum oppressit. Ea ex causa Cæsar successorem Carrinati misit C. Asinium Pollionem, quo in vlteriore Hispania bellum gerente, Cæsar interemptus est. Et Senatus Pompeium vltro reuocauit. Ille vero cum Massiliam esset delatus, ad vrbem nequaquam rediit, sed quæ ibi fierent intentus expectabat.

Atque electus maris imperator, vt pater eius fuerat, assumptis, quæ in portu erant, nauibus, vna cum iis, quas vel secum, vel in Hispania habebat, cõtra Triumuirorum dominationem in Siciliam nauigauit. Multi illum Galli, multi Iberi, multi etiam Lusitani, secuti sunt, Pompeij patris amore, & Cæsaris adhuc odio. Nam etiã Bruto a Triumuiris proscripto, cum vna cum Cassio ad Nigrum sinum aduersus Antonium bellũ pararet, quattuor millia Celtarum, ac Lusitanorum equitum illi fuisse, scribit Appianus.

Pompeius igitur Sicilia potitus contra

Octa-

Octauium, & Antonium pugnauit plerũque victor. Et quidem magni famam ducis posteris reliquisset, si nihil tentasset vlterius. Verum mutata priori fortuna, quasiq. insolentiam eius indignante, qua se, & amictu cæruleo, & verborum vanitate, Neptuni filium esse iactauerat, tamquam Magni Pompeij esse, fuisset parũ, victus Antonij se duci Titio dedidit, a quo Mileti interfectus est. Qui copiosius ista scire velit, legat Appiani ciuilium bellorum libros quartum, & quintum. Nos in his immorati prolixius aliquãto sumus, propter Orosium, qui Sext. Pompeij mortem post Mundensem pugnam statim secutam scribit, nescio quem secutus auctorem. Eius hæc sunt verba libro sexto, capite decimo sexto: Vltimum bellum apud Mũdam vrbem gestum est, vbi tantis viribus dimicatum, tantaque cædes acta, vt Cæsar quoque veteranis suis cedere non erubescentibus, cum cædi, cogiq. aciem suam cerneret, præuenire morte futurum victi dedecus cogitarit, cum subito versus in fugam Pompeiorum cessit exercitus. Et statim Cn. Pompeius cum centesimo equite aufugit. Frater eius Sex. Pompeius contracta celeriter non parua Lusitanorum manu, cum Cæsonio congressus, & victus, fugiensq. interfectus est. Munda ciuitas cum immensa hominum cæde, Cæsare oppugnante, vix capta est.

Dubium tamen apud me non est, corruptũ Orosij locum hunc. Nam paulo post capite decimo octauo, & capite decimo nono, Octauij quartum bellum aduersus Sex. Pompeium Cn. Pompeij filium commemorat, narratq. eũ Siciliam occupasse, & tandem a Titio, & Furnio Antonianis ducibus victum, & captum, post paululum fuisse interfectum, vti ex Appiano ante diximus. Quare priori loco libenter legerem: Cum Cæsonio congressus, & victus fugiens pęne interfectus est. Euasit enim, atque ad piraticam inde se conuertit, quod etiam Orosius ipse confirmauit his verbis: Sex. Pompeius postquam se in proscriptorum numerum relatum comperit, conuersus ad latrocinia, omnem oram Italiæ cædibus, rapinisq. vastauit, Sicilia prærepta.

Ceterum vt ad C. Asinium Pollionem redeam, eius tres extant epistolæ inter Ciceronis familiares libro decimo, in quarum vna sic habetur: Sed vt rationem ineo, quo die prœlium Pansa commisit, eodem a Gadibus naues profectæ sunt. Nulla enim post hiemem fuit ante eam diem nauigatio. Et hercule longe remotus ab omni suspicione futuri ciuilis tumultus, penitus in Lusitania legiones in hibernis collocaueram. Inclinauit post hæc ad Cæsarem Augustũ fortuna, & Romani orbis imperium adeptus, Hispaniam, cũ per se, tum per suos duces, intra annos quattuor

pacatam

pacatam reddidit. Colonias partim deduxit, partim ampliauit. De quibus nonnihil inter vrbes referemus.

In primo volumine, cum terminos Lusitaniæ signabamus, diximus Bæticam prouinciam plebi attributam, ad quam Prætor mitteretur, qui Legatum, & Quæstorem haberet, reliquas omnes in Hispania Cæsaris fuisse, qui duos mitteret Legatos, Prætoriũ, & Consularem. Ex iis Prætorius Legatum secum habebat, qui Lusitanis Bæticæ adiacentibus, & ad Durium vsque protensis ius diceret. Consularis, quod reliquum erat Hispaniæ administrabat. Augustus enim omnium prouinciarum Romano imperio subditarũ administrationem ita diuisit, vt alię procõsulares essent, aliæ prætoriæ, aliæ præsidiales. Proconsulares Senatui, prætorias populo demandauit. Præsidiales sibi ipse sumpsit, in quas legatos mittebat, qui modo Præsides, modo Cæsaris, vel Augusti legati dicebantur.

IJq. Præsides Legatiue Cæsaris, nonnumquam honoris causa consulari potestate augebantur, vt eiusdẽ essent auctoritatis, cuius Proconsules, Proconsulum namque dignitas amplior, quàm Legatorũ, Præsidũmve erat, quoniam hi ex equestri ordine eligi poterãt, illi non nisi ex Senatorio, consularive prouincias sortiebantur. Proconsulares ergo, & Prætoriæ illæ sunt factæ, quæ vel pacatæ iam

essent, vel militari præsidio non indigerent.

Quæ vero adhuc rebelles, legionibus, armisq. retinendæ viderentur, sibi attribuit Cæsar, specioso quidem prætextu gratificandi Senatui, populoq. Romano, quasi eis laborẽ adimeret, re autem vera, vt ipse exercitus, copiasq. militares omnes in sua potestate haberet, ne vmquam Senatus, populusve inuasam rempublicam repetere auderent, vt scriptum reliquit Dion.

Hispaniæ igitur postea in sex prouinciæ diuisæ, Bætica, Lusitania, & Callæcia consulares factæ, Tarraconensis, Carthaginiensis, Insularis, & Tingitania, quæ transfretum Hispaniæ est contributa, præsidiales.

Tandem Lusitania in duas diuisa prouincias, quarum altera, videlicet maior veteris prouinciæ pars, suum sibi Lusitaniæ nomen retinuit, altera Vettonia dicta est, vti in primo libro abunde retulimus.

Paulatim emersere Comites, eorumq. vicarij, vsque ex Hadriano, qui Senatum quendam domesticum in palatio suo habuit, qui peregre euntem comitaretur. Cæsaris Comitatus ideo nuncupatus, & illi ipsi Senatores Comites Palatini, Donec diuus Constantinus oppida, vel prouincias illis attributas ad eorum transtulit heredes. Atque hæc origo est dignitatis Comitum, Ducumque.

Morem eum secuti Longobardorum reges

ges Italiam ſibi ſubiectam in Comitatus varios, atque Ducatus diuiſerunt. Limitanei quoque duces Marchiones nuncupati ſunt, quoniam limitẽ marcham vulgus appellaret.

Ab Auguſto igitur vſque ad Gothos, nihil quod magnopere ad Luſitaniam pertineat in tam deplorato ſcriptorum antiquorum interitu ego reperi; niſi Luſitaniam in Romanorum acquieuiſſe dominatu, eorumq. legibus domitam paruiſſe. Othonem poſtea Cæſarem fuiſſe a Nerone Luſitaniæ præfectum, vt Popæa illius vxore, amoto ex vrbe viro liberiùs frueretur, libro tertio ſcribit Tacitus. Vbi inquit, vſq; ad ciuilia arma, non ex priore infamia, ſed integre, ſanctéq. egit, procax, otij, & poteſtatis temperantior. Eadem fere repetit libro decimo ſeptimo.

Suetonius quoque Tranquillus in Othone. Sepoſitus, inquit, eſt per cauſam legationis in Luſitaniam. Iactatum etiam de hac re diſtichum.

Cur Otho mentitus ſit quæritur exul honore,
Vxoris mœchus cœperat eſſe ſuæ.

Illum tamen per decem annos moderatione, atque abſtinentia ſingulari, prouinciam adminiſtraſſe teſtatur.

Et pro Romanis etiam in Italia militauere Luſitani. Eodem enim libro ſcribit Tacitus, Luſitanorum cohortes ſub Vitellij ſacramento fuiſſe.

Septi-

Septimæ Lusitanorum cohortis meminit Alciatus in annotationibus in Taciti librum decimum sextum, ex inscriptione marmorea, quæ Comi adhuc sit, in memoriam Calpurnij Fabati Nouocomensis, C. Cæcilij Plinij prosoceri.

Sorranale vocatur oppidum inter Dertonam, Genuamq. non procul a montibus. Ibi ego inscriptionem vidi, quam aiebant ex diruto iuxta oppido Antilia, seu potius Attilia fuisse allatam. ea est huiusmodi.

Q. ATTIO. T. F.
MAEC. PRISCO
AED. II VIR. QVINQ.
FLAM. AVG. PONTIF.
PRAEF. FABR. PRAEF. COH. I.
HISPANORVM. ET. COH. I.
MONTANORVM. ET. COH. I.
LVSITANOR. TRIB. MIL. LEG. I.
ADIVTRIC. DONIS. DONATO.
AB IMP. NERVA. CAESARE AVG.
GERM. BELLO SVEBIC. CORON.
AVREA. HASTA. PVRA. VEXILL.
PRAEF. ALAE. I. AVG. TRHACVM.
PLEPS. VRBANA.

Hoc est: Quinto Attio Titi filio Mæcenati Prisco

Prisco Aedili Duumuiro quinque, Flamini Augustali Pontifici, præfecto Fabrum, præfecto cohortis primæ Hispanorum, & cohortis primæ Montanorum, & cohortis primæ Lusitanorum, tribuno militum legionis primæ adiutricis, donis donato ab imperatore Nerua Cæsare Augusto Germanico, bello Suebico corona aurea, hasta pura, vexillo, præfecto alæ primæ Augustalis Thracũ plebs vrbana.

Vbi illud animaduersione dignum iudicaui, Lusitanos separatim ab Hispanis esse positos. Abiere tandem in Romanorum mores Lusitani, & ciuilitatem linguamq. Latinam, sicut & Turdetani accepere, vti in libello ad Vasæum pro colonia Pacensi, disputaui, vt audiendus quidam non sit, qui se operepretium facturum existimauit, si post disputationem illam meam Genesio Sepuluedæ Badiozam Pacem fuisse Augustam asserenti subscriberet. Nos ad libellum illum remittimus lectorem, & ad ea, quæ postea inter vrbes commentabimur.

Cęsaribus etiam plerisque statuas erexere, vt alibi ostendemus. Quin si qua mira res suboriretur, quæ aut animum pasceret, aut oculos, ad illos protinus mittebant, vt Tiberio principi Olysipponenses, missa ob id legatione, nunciasse tritonem qua noscitur forma, in quodam specu canentem concha visum, auditumque scribit Plinius libro nono cap. 5.

Prouin-

Prouinciam in tres iuridicos conuentus diuisam, Emeritensem, Pacensem, & Scallabitanum, sic, vt triangulum æqualium prope laterum facerent. Et vrbium alias colonias appellatas, alias municipia, vel ciuium Romanorum, vel antiqui Latij, vel stipendiarias relictas, ex Plinio in Lusitaniæ descriptione, supra ostendimus, & postea ostendemus, diuisam quoque in duas non semel diximus.

Erant nihilominus in Lusitania aliquot siue reguli, siue dynastæ, aut toparchæ, imperio Romano subditi, qualis pater fuit Encratidis nobilissimæ virginis, & martyris Cæsaraugustæ, & in tota Celtiberia notissimę: & iam dominantibus Gothis, Castinaldus Nabantiæ princeps.

DE GOTHIS.

DE Gothorum autem origine ad institutum meum scribere nequaquam pertinet, maxime non conuenientibus inter se, qui de illis scripsere auctoribus. Verum quia lucem aliquam, iis quæ dicenda sunt, ea res afferet, in summa, Getas eos eos fuisse, ac Sarmatas, nonnullosq. alios populos illis finitimos, dixisse sufficiat. Multę siquidem gentes, siue ex Schandia, Cimbricę Chersonesi insula, siue ex vicinia, Gothicum effecere nomen priscis scriptoribus ignoratum, & sub

Getica

Getica appellatione confusum, donec viribus ipsi suis emersere magna vocabuli claritate, quod a duce proprio, qui Gothus vocabatur, vt asserit Vitichindus Saxonicorum libro primo, sortiti sunt. Nisi malimus a Guthis ipsius Scandię, iuxta Ptolemęum gẽtibus eos prius Guthos, deinde Gothos fuisse denominatos. Gothicę gentes, inquit Procopius belli Vandalici libro tertio, multę quidem & alię prius fuere, quàm nunc. Omnium autem maximę ac potissimæ, Gothi, & Vandali, & Vesogothi, & Gepedes, iamdudum, Sarmathę, & Melanchlęni appellati. Addamus & nos, Gothos in Ostrogothos, & Vesogothos, hoc est in Orientales, & Occidentales fuisse diuisos. Ita Iornãdes in Geticis. A loco orientali dicti sunt Ostrogothi, residui vero Vesogothi in parte occidua, & sępe alias. Ratio in promptu est Germanicam linguam non ignorantibus. Gothi enim veteris Germanię fuere populi, apud quos VVest. Occidens dicitur, & si Germanicę pronunciandum sit, VVestgothi, idem est, quod occidentales Gothi, & contra Oster Oriens vocatur. Vnde Carolus Magnus cum ventorum nomina in suam linguam mutaret, subsolanum Orientalem ventum Ostrenvvindt, appellauit.

Zephyrum vero, qui ab occidente spirat Vvestren. Sicut adnotauit is qui vitam eius mandauit litteris, vt obiter admoneam, ven-

torum nomina; quibus hodie nautæ Lusitani vtuntur a Carolo fuisse imposita.

Inter Gothos duæ nobilissimæ excellebant familiæ, Amalorum videlicet inter Ostrogothos, & Baltorum inter Vesogotos.

Iornandes in Gethicis. Diuisi, inquit, per familias populi, Vesogothi, familiæ Balthorum, Ostrogothi præclaris Amalis seruiebãt. Et quidem Amali, regem Amalam suæ stirpis & nominis auctorem fuisse gloriabantur. Balthi vero ab Alarico, qui ob audaciam Baltha idest audax, inter suos cognomen acceperat, deriuati sunt.

Ceterum Vesogothos nobilitarunt, Alaricus, quem dixi, & Vallia, & Theodoricus, is qui pro Romanis vna cum Aetio in Catalaunicis campis contra Attilam pugnans victor occubuit. Quem ex nostris quidam Theodoredum vocant, Gregorius Turonensis Theudonem; videlicet in barbaris his nominibus, vel suo more proferendis, vel paulo mollius pronunciandis, mutuo non consentiunt scriptores. Ostrogothos, quos Amalorum excellens familia illustrabat, longe illustriores reddidit magnus ille Theodoricus Amalus a Zenone Augusto adoptatus, & quasi alter imperator Romæ, & Italiæ destinatus. Alanos præterea Gothicum & ipsum genus, eodem Procopio auctore, minime prætereamus, quos Massagetas fuisse, scribit Ammianus

Mar-

Marcellinus libro vigesimo tertio. Tametsi cognatæ gentes ex secessionibus, ac factionibus inuicem diuisæ, etiam inter se frequenter bella gessere. Quo factum est, vt Alani, Sueui, & Vandali a Gothis vicinis, & consanguineis pulsi sedibus, fœdere inter se iuncti, primum in Pannonias, deinde in Gallias, postremo in Hispanias immigrarent.

Ex quibus Vandali Bæticam occuparunt, ab ipsis deinde Vandaliam, & Vandaliciam nominatam. Vnde à Vesogothis, qui postea inundarant & eorum rege Vallia, Honorio Augusto iam fœderato eiecti in Africam sunt. Alani Emeritam, maioremq. Lusitaniæ partem, cum Olysippone, quæ semel pecunia se redemerat, tenuere. Sueui Callæciam omnem. Verum qui ad Emeritam consederant, à Constantio prius Comite, deinde Cæsare ab Honorio declarato, & restitutæ Placidiæ matrimonio affine facto, cum eiusdem Valliæ, & Vesogothorum auxilijs graui prœlio superati, cum in pugna Athacem regem amisissent, pars ad petendam pacem inclinarunt, pars ad Sueuos, qui Olysipponem tenebant, confugientes, sub eorum tutela acquieuere. Omnesq. ij metu Romanorum territi, consilia pacis agitantes, hęc ab Honorio postulabant, vt Orosius ait: Tu cum omnibus pacem habe, omniumq. obsides accipe. Nos nobiscum confligimus, nobis perimus, tibi vincimus.

Immortalis vero quæstus erit Reip. tuæ, si vtrique pereamus. Ita illi tunc. Verum audita Constantij morte repudiato petitæ pacis consilio, ad ingenium redierunt. Et quidem Alani Emeritam reuersi, totam sibi Lusitaniam vendicabant, Vandalis, qui in Bætica superfuerant, adhortantibus. Erexerant enim animos, Vallia Tolosam reuerso, quam ei Honorius permiserat, cum nonnullis alijs Auxitanæ prouinciæ ciuitatibus. Vnde Vesogothia regio ea est nuncupata. Hispani nostri, Galliam Gothicam dicere maluerunt. Audaciam quoque auxit insecuta Honorij mors. Sed cum minor Theodosius, Valentinianum Placidiæ amitæ suæ, & Constantij filium Cæsarem declarasset, is contra Alanos, atque Sueuos in Lusitaniam Comitem misit Sebastianum. Qui sane gesta bene re Lusitania potitus erat, tyrannide tamen affectata, cum Vandalorũ reliquijs, & Vesogothis inijt fœdus: A quibus paulo mox circumuentus, & interfectus est.

Sueui ergo relicta socijs Alanis Lusitania, ad suos qui in Callæcia erant, cum se contulissent, atque in maius corpus coaluissent, regnum constituere. Quod ab Hermerico ad Leouigildum Vesogothorum regem, per annos CLXXVII. durauit, vt Isidorus testatur. Præualuere autem Vesogothi, & actis altius radicibus, cum in citeriorem Hispaniam,

tum

tum etiam in Narbonensem Galliam se extendentes, per annos tercentos, & octoginta, atque amplius regnauerunt, quod decus, & gloriam Roderico regnante amiserunt. Ad hunc modum, Hispanię Scythicis nationibus patuerunt, admiscentibus se semper, in istiusmodi demigrationibus vicinarum gentium populis, quos tristis cęli, glebæq. infœcundioris tædium cepisset. Vniuersos tamen propter amplitudinem, Gothicum nomen amplectebatur. Hæc breuiter, & summatim dicta sint, quæ ad susceptum a nobis opus facere videbantur.

DE VIIS MILITARIBVS.

VIas militares, atque publicas, faciles, & expeditas, cum in Italia, tum in prouincijs efficere Romani conabantur. Qua in re præcipuam, & supra reliquos principes egregiam nauauit operam Traianus, vt etiam annotauit medicus Galenus Methodi libro nono. Vias igitur publicas propter lutum sternebãt lapidibus, Lucretius libro primo dixit:

Strataq. iam vulgi, pedibus detrita viarum,
Saxea conspicimus ———

Vnde eas nos Lusitani stratas regias appellamus. Sternebant autem alibi impolito, rudiq. lapide, alibi pro vrbium claritate quadratis saxis, pæne insana profusione, vt memini in Narbonensi Gallia me vidisse.

Millia passuum erectæ columnæ distinguebant, cum inscriptionibus eorum, qui eas fecerant, eorumve qui refecerant.

Inde illa formula vulgatissima, primo ab vrbe, ad primum ab vrbe lapidem, & similia.

Locis autem vliginosis, ac depressis, addebant terræ aggerem, super quem lapideam crustam insternerent, eoq. factum, vt aliquando ipsa publica via, ac militaris, agger publicus diceretur, præcipue à scriptoribus Gallis, qualis Apollinaris est Sidonius, qui in propentico ad libellum dixit:

Antiquus tibi nec teratur agger,
Cuius per spatium, satis vetustis
Nomen Cæsareum viret columnis.

Et sæpe alias.

Virgilius etiam dixit Aeneidos quinto:

Qualis sæpe viæ deprehensus in aggere serpens.

Sed verbi insolentiam mitigauit, ac molliuit, quoniam nequaquam simpliciter, in aggere, sed in aggere viæ dixit.

Talium viarum septem in Lusitania, atque in Bracaris supersunt adhuc, & vna in Vettonia, altera Lusitaniæ prouincia. Verum magna ex parte adgestionibus, stratisq. vetustate corruptis, & collapsis milliariorũ columnis.

Prima cuius meminit Antoninus Pius in Itinerario, ab Olysippone ducebat Emeritã. Cuius verba apponam aliquãto emendatius, quàm vulgo circunferuntur.

ITEM AB OLYSIPPONE EMERITAM M. P. CCIIII. Sic.

Equabōna. M. P. XII.	*Cetobrica. M. P. XII.*
Ceciliana. M. P. XII.	*Malceca. M. P. XVI.*
Salacia. M. P. XII.	*Ebora. M. P. XLIIII.*
Ad Anā flumen. M. P. LX.	*Euādriana. M. P. XVII.*
Dippone. M. P. XII.	*Emerita. M. P. IX.*

Omitto oppidorum nomina, de quibus suo agetur loco. In hoc itinere in prædio, quod Pinarium vocāt, Illustrissimi ducis Auiariensis, XX. Mil. P. a Cetobriga. a Salacia vero XVI. M. P. Oppidi ruinæ supersunt, & ibi cippus non inelegans.

L. AELIO. AVRELI
O. COMMODO.
IMP. ANTONI
NI. AVG. PII. P. P.
FILIO. COS. DE
SIGNATO. P. M.
D. D.

Hoc est: Lucio Aelio Aurelio Commodo imperatori Antonini Augusti Pij patris patriæ filio consuli designato pontifici maximo dedicarunt.

Inter Salaciam, atque Eboram, in colle super flumen, cui Riuo Maurino nomen est, columna adhuc extat ad hūc modum inscripta.

IMP. CAES. DIVI
SEPTI . . . SEVERI PII
ARAB. ADIAB. PARTHI
CI. MAX. BRIT. . . AX. F
DIVI. M. ANTON. PII
GERM. SARM. NEP.
DIVI ANTONINI PII PRONEP.
DIVI HADR. . . . . . ABNEP.
DIVI TRAIANI PARTHIC. . .
ET DIVI NERV. . . . . . ADNEP.
M. AVR. ANTONIN. . . . . .
P. F. AVG. PAR. MAX.
BRI . . . MAX. GERM. MAX.
PATER MILITVM. TRIB.
POT. XX. IMP. III. COS. IIII
P. P. PROC. REST. . . . . .

Hoc eſt: Imperator Cæſar Diui Septimij Seueri Pij Arabici Adiabenici, Parthici Maximi filius, Diui Marci Antonini Pij Germanici Sarmatici nepos, Diui Antonini Pij pronepos, Diui Hadriani abnepos, Diui Traiani Parthici, & Diui Neruæ abnepos, Marcus Aurelius Antoninus Pius felix Auguſtus Parthicus, Maximus Britannicus, Maximus Germanicus, Maximus pater militum, tribunitia poteſtate vigeſimum imperator, tertium cõ-

ſul quartum, pater patrię, Proconſul reſtituit.

Ad duodecimum ab vrbe Ebora lapidem, itineris eiuſdem, in prædio quod vocant Tabularios, duæ ſunt columnæ, altera omnino corroſas vetuſtate litteras habet, altera cum hac inſcriptione manſit integrior.

IMP. CAES.
MAXI
MIANO
PIO FELI
CI. AVG. EBO
RA. M. P.
XII.

Hoc eſt: Imperatori Cæſari, Maximiano Pio, Felici Auguſto Ebora millia paſſuum duodecim.

Eodem itinere in veteri ædificio templum eſt Virgini Dei matri ſacrum, & magna religione cultum. Turegiam locum eum vocant. De quo multa in libello ad Kebedium Toletanum ſcripſi.

Ibi menſa marmorea eſt, quam ſepulchro Q. Iulij Maximi Calpurnia Sabina vxor imponendam curauit. In quo ſepulchro duo etiam filij eius viarum curatores fuere conditi. Ea ſic habet.

D. M. S.
Q. IVL. MAXIMO. C. V
QVAESTORI. PROVIN. SICI
LIAE. TRIB. PLEB. LEG
PROV. NARBONENS. GALLIAE
PRAET. DESIG. ANNO XLVIII.
CALPVRNIA. SABI.
NA. MARITO OPTIMO.

Q. IVL. CLARO. C. V. IIII. VIRO
VIARVM CVRANDARVM
ANNO. XXI.
Q. IVL. NEPOTIANO. C. I.
IIII VIRO VIARVM CVRAN.
DARVM. ANNO. XX.
CALP. SABINA. FILIIS.

Hoc est: Dijs manibus sacrum Quinto Iulio Maximo, clarissimo viro, quæstori prouinciæ Siciliæ, tribuno plebis Legato prouinciæ Narbonensis, Galliæ Prætori designato annorum quadraginta octo Calpurnia Sabina marito optimo. Quinto Iulio claro clarissimo viro, quartum viro viarum curandarum annorum viginti vnius. Quinto Iulio Nepotiano clarissimo iuueni, quartum viro viarum curandarum

rum annorum viginti Calpurnia Sabina filijs.

In agro Stermotiensi, non procul a pago Borbacena columnę duę sunt, altera collapsa, erasis omnino litteris præter primum & secundum versum.

IMP. CAES. DIV......
RI PII FIL.......
....

Hoc est: Imperatori Cæsari Diui Seueri Pij Filio.

Altera stat cum inscriptione hac, quæ tamen ægre iam legitur.

IMP. CAES. DIVI ANTONI
NI PII MAGNI FIL.
DIVI SEPTIMI SEVERI
PII NEPOTI M. AVRE
LIO ANTONINO
P. FEL. AVG. PONT. MAX.
TRIB. POT. II. COS. II......
PROC. P. P. ...
FORTISSIMO FELICISSI
MOQVE PRINCIPI
.....ORA. M. P.
... XXII. ......

Hoc est: Imperatori Cæsari Diui Antonini Magni filio, Diui Septimij Seueri, Pij nepoti, Marco Aurelio Antonino Pio, felici Augusto Pōtifici Maximo, Tribunitia potestate, secundum Consuli, secundum Proconsuli, patri patriæ, fortissimo, felicissimoq. principi Ebora millia passuum viginti duo.

Heluis in ædibus cuiusdam viri nobilis columnæ duæ scriptæ iacent, ex itinere eo delatæ, sed litteris tam corruptis, vt vix in quoque versu duæ aut tres appareant. Ex ea via nihil amplius vidi.

Ab vrbe autem Ebora Pacem vsque Iuliā, etiam apparent stratæ viæ vestigia. Columnæ extant multis in locis, partim adhuc erectæ, partim collapsæ, fractæ, & terra opertæ. Item super Exarramam, Murtariam, & Odiuellam fluuios pontium dirutorum hic subijces, illic pilæ, pilarumq. bases. Litteræ in columnis intercidere. In vna tantum has cum diutius cōsiderassem, ægre potui legere.

IMP. CAES . . . .
. . . .
. . .
. . . .
. . . VAE NEP
. . . IANVS HADR . . . .
. . . COS. III . . . .
. . . .

Hoc

Hoc eſt: Imperatori Cæſari Neruæ nepoti Traianus Arianus Conſul tertium.

Iter quod ab Eſuri Pacem Iuliam corruptiſſimum Antonini itinerarium ponit, ego quinque aut ſex modis intelligere, cum tentaſſem, nihil fere in tanta deprauatione confeci.

Quare ita vt apud illum habetur reliqui, ſi forte aliquando prodeat is libellus minus mendoſe ſcriptus, aut feliciora nodum explicent ingenia.

ITEM DE ESVRI PACE IVLIA, M. P. CCLVII. Sic:

Balſa M. P. XXIIII.
Oſſonoba M. P. XVI.
Arani M. P. LX.
Rarapia M. P. XXXV.
Ebora M. P. XLIIII.
Serpa M. P. XIII.
Fines M. P. XX.
Arucci M. P. XXV.
Pace Iulia M. P. XXX.

Et ſtatim ſequi debet alterum iter per cõpendium ab Eſuri Pacem Iuliam, quod bene ſignatum eſt. Ita enim habet: Item ab Eſuri per compendium, Pace Iulia. mil. paſſ. LXVI. Sic: Myrtili mil. paſſ. XL. Pace Iulia mil. paſſ. XXXVI.

Magna

Magna quoque deprauatione vitiatus numerus est in itinere, quod a Salacia Ossonobam describit, habet enim: A Salacia, Ossonoba, mil. pass. xvi. Cum sint supra cxvi.

Eodem itinere in colle sinistrorsum, iuxta semidirutum oppidum Aureolam, meta est, quæ olim terminum Eborensem a Pacensi dirimebat. De qua meta in meo ad Kebedium Toletanum libello, satis multa. Ea autem est huiusmodi.

D. D. NN.
AETERN. IMPP.
C. AVRE. VALER.
IO. IOVIO. DIOCLE
TIANO. ET
M. AVR. VALERI
O. ERCVLEO
MAXIMIANO
PIIS. FEL. SEMPER AVGG.
TERMINVS INTER
PACENS. ET EBORENS
CVRANTE. P. DATIANO
V. P. PRAESIDE. HH.
N. M. Q. EORVM
DEVOTISSIMO
HEINC PACENSES

Hoc est: Dominorum nostrorum æternitati imperatoribus Caio Aurelio Valerio Iouio Diocletiano. Et Marco Aurelio Valerio Erculeo Maximiano Pijs felicibus semper Augustis,

gustis, terminus inter Pacenses, & Eborenses curante Publio Datiano viro patricio præside Hispaniarum, numini, maiestatiq. eorum deuotissimo. Hinc Pacenses, hinc Eborenses.

Duplex inde iter Antoninus ponit ab Olysippone Emeritam, sed vtrũque numeris corruptissimis, oppidisq. aut iam non extantibus, aut diuersissime commutatis. Alterum sic.

ALIO ITINERE AB OLYSIPPONE EMERITAM M. P. CXLV. Sic.

Aritio Prætorio. M. P. XXXVIII.
Abelteri. M. P. XXVIII.
Matusaro. M. P. XXVII.
Ad septem Aras. M. P. VIII.
Budua. M. P. XII.
Plagiaria. M. P. VIII.
Emerita. M. P. XXX.

Corruptos esse numeros hinc apparet. Nã recto isthac itinere ab Olysippone Emeritam, numeramus tres & quinquaginta leucas, eæ conficiunt ducenta duodecim millia passuum. Sic.

Ab Olysippone Beneuentum, traiecto ad villam Francam Tago, leucæ octo. Inde Saluaterram, quæ an Aritium prætorium sit, alij expendant, leuca vna. Inde Culucci, quod an Tu-

Tubucci sit, alij quoque expendant, & inde tota via suburipontana.

Alterum per Scallabin, sic.

ITEM ALIO ITINERE AB OLYSIPPONE EMERITAM. M. P. CC. XX. SIC.

Hierabriga M. P. XXX.
Scallabis M. P. XXXII.
Tubucci M. P. XXXII.
Fraxinum M. P. XXXII.
Medobriga M. P. XXX.
Ad septem Aras M. P. XIIII.
Plagiaria M. P. XX.
Emerita M. P. XXX.

Huius viæ columnæ partim vetustatis iniuria diffractæ, partim crebris ignibus adustæ tantum abrasarum litterarum vestigia demonstrant, quas mihi videre contigit. Ita habent.

Iter autem a Scallabi supra Almerinum oppidum, per Alpiarsæ fluuij initia ducebatur.

Alicubi fragmenta rudia columnarum apparent, ex quibus nihil erat quod scriberem. Postea cum quattuor collapsas inuenissem in vna earum hæc tantum potui legere.

IMP.

I M P.
CAES. CAIVS
IVL. VER. . . . . .
NOB. IMPERA
TOR. V. TRIBVNI
CIAE. PO
TEST. COS. PRO. P.
PATRIAE . . . .
. . . .

Hoc eſt:Imperator Cæſar Caius,Iulius,Verus nobilis imperator quintum Tribuniciæ poteſtatis Conſul, Proconſul,pater patriæ.

Poſt mille paſſus columnæ tres collapſæ.

IMP. CAES . . . . .
. . . .
. . . .
TRAIANVS. AVG
GER.PONT.MAX.
TRIB.POTESTAT
IS. II. RESTITV
IT.

X
I

Hoc

Hoc eſt:Imperator Cæſar Diuus Traianus Auguſtus, Germanicus, Pontifex Maximus, tribunitiæ poteſtatis ſecundum reſtituit vndecim.

Secunda fractà erat, & has tantum litteras habebat in fine.

RESTITV
TOR VRBIS.
....
....

IMP.
CAESARI
CLAVDI
O.TACITO
PIO.F.IN.
VICTO
AVG.
PONT.M.
TRIB.PO
TESTA
TIS.II.
COS.PRO.
......

Hoc eſt: Imperatori Cæſari Claudio Tacito, Pio, felici inuicto, Auguſto, Pontifici maximo,

mo, tribunitiæ poteſtatis, ſecundum Conſuli Proconſuli.

Poſt mille paſſus, tres columnę duæ collapſæ abraſis vetuſtate litteris, vna erecta, quæ ſic habet:

IMP.
CAESARI
M
CLAVDIO
TACITO
PIO.F.IN
VICTO
AVG.PONTIF.
M.TRIB
POTESTA
TIS.II.COS.
P. P.

Hoc eſt: Imperatori Cæſari M. Claudio, Tacito Pio Felici inuicto Auguſto, Pontifici maximo, tribunitiæ poteſtatis ſecundum Conſuli patri patriæ.

Poſt mille paſſus duæ collapſæ in fine vnius hæ tantum legi poſſunt litteræ.

H COS.

. . . .

. . . .

. . . . COS.

IIII. PROCOS

REFECIT.

Post mille passus, iuxta diuersorium, quod vocant Mestas, quattuor sunt columnæ collapsæ, tres corruptas habent inscriptiones. In vna sic legitur:

IMP. CAES. CAIVS IVLIVS
VERVS MAXIMINVS PIVS. FE
LIX. INVICTVS. AVG. PONT.
MAX. PATER PATRIAE. TRI
BVNICIAE POTESTATIS. TER COS
GERMANICVS MAX. DACICVS
MAX. SARMATICVS MAX. ET
C. IVLIVS VERVS MAXIMVS
NOBILISSI. CAESAR. PRINCEPS
IVVENTVTIS. GERMANICVS MAX.
DACICVS MAX. SARMATICVS MAX.
IMP. CAESARIS. CAI IVLI VERI MAXI
MINI. PII. FEL. AVG. GERMANICI.
MAX. DACICI. MAX. SARMATI.
MAX. FORTISSIMI. CAESA
RIS FILIVS.

IIII.

Hoc


Hoc est: Imperator Cæsar Caius Iulius Verus Maximinus Pius, Felix, inuictus, Augustus, Pontifex maximus, pater patriæ, tribunitiæ potestatis, ter Consul, Germanicus Maximus, Dacicus Maximus, Sarmaticus Maximus, & Caius Iulius verus Maximus nobilissimus Cæsar princeps iuuentutis, Germanicus Maximus, Dacicus Maximus, Sarmaticus Maximus Imperatoris Cæsaris Caij Iulij Veri Maximini, Pij Felicis Augusti, Germanici Maximi, Dacici Maximi, Sarmatici Maximi fortissimi Cæsaris filius quattuor.


Finis Libri tertij.



DE ANTIQVITATIBVS LVSITANIAE

Liber Quartus.





ORBES nunc aggrediar, non minimam intentionis meæ partem. Quarum pleræque etiam Romanis temporibus prisca nomina amiserunt. Multas nominat Liuius a vetustioribus acceptas, aut nullo nunc modo, aut ægre intellectas, quoniam iis alia Romani postea vocabula imposuerunt.

Incipiamus ab illa parte Bæticæ, quæ modo appendix est Lusitaniæ, in qua Oliuentiã, Mauranum, Mauram, Serpam, Mortiganum, ac Noudarem esse primo libro commemorauimus.

Ac de Oliuentia vrbe nihil quod ad antiquitatem faciat, adhuc habeo, nisi cippi ibi inuenti inscriptionem ad me illinc missam.

D.M.S.

D. M. S.
C. ANTESTIVS CALVVS.
C. ANTESTIVS PROGV
LVS. H. SS. CORNELIA
TERTVLLA. VIRO ET FILIO
DE. S. P. F. C.

Hoc eſt: Diis Manibus ſacrum. Caius Anteſtius Caluus, Caius Anteſtius Proculus hic ſiti ſunt. Cornelia Tertulla viro & filio de ſua pecunia fieri curauit.

De Maurano æque nihil.

DE MAVRA.

MAuram inſigne oppidum, Nouum fuiſſe Arucci, ex cippo iſtius modi, quem ibi legi perſuaſum habeo.

IVLIAE. AGRIPPINAE
CAESARIS. AVG. GERMANICI
. . . . MATRI. AVG. NOVA
CIVITAS ARVCCITANA.

Hoc eſt: Iuliæ Agrippinæ Cæſaris Auguſti Germanici matri Auguſtæ noua ciuitas Aruccitana.

Nouum autem Arucci dici puto, quoniam adhuc ſupereſt Arucci vetus, nomenq. retinet. Vulgo enim *Aroche* dicitur, profer-

turq. plane Græce vt a Ptolemæo vocatur. Parum tamen iam frequens est Arucci vetus.

Accommodant Maurenses nouo nomini, haud scio an fabulam appellem. Fuisse Maurum Regulum quendam tractus illius dominum, qui cum de finibus cum altero potentiore bellum gereret, atque in prœlio cecidisset, eiusq. vxorem forma luculenta mulierem sæpe victor interpellasset, additis nisi acquiesceret minis, illam contumaci odio interfectoris postulata respuisse. Cumq. Arucci veteri, propter hostis vicinitatem diffideret, migrasse ad nouam ciuitatem Aruccitanam, vt tutiorem situ, ita bonitate vberioris agri magis accommodam. Cumq. ab indigenis Maura ex Arucci vulgo appellaretur, factum esse, vt etiam ipsa vrbs Maura exinde nominata sit.

In territorio quoque oppidi eiusdem multa antiquitatis supersunt vestigia. Inter Mauram, atque Ficalium semidirutum oppidum, ad pagum, quem vocant Vallemuargi, in fani antiqui ruinis, vbi sacellum Michaeli sacrum posteri meliori religione extruxerunt, quattuor cippos fractos, excisq. vetustate literis deformatos inueni. Vnus qui reliquus integer est, fideliter a me descriptus ita habet:

DIS.

DIS. MAN
IBVS. AVRIILIAII
M. F. GALLAII. A.
NNO. XII.
H. S. E. S. T. T. L.

Hoc eſt: Diis Manibus Aurelię Marci filiæ Gallæ annorum duodecim, hic ſita eſt, ſit tibi terra leuis.

Et ne quis forte miretur inuſitatam ſcripturæ rationem, AVRELIAII GALLAII pro AVRELIAE Gallæ. Sciat in Epigrammatis quoque antiquæ vrbis pagina 149. legi.

M. PONTIVS HIIDISTVS. DAIINI CO
IVGI BIINII MIIRIINTI FIICI VIXIT.
MIICVM ANNIS TRIBVS.

Pro eo quod eſſe deberet: M. Pontius Hediſtus Daeni coniugi bene merenti feci. Vixit mecum annis tribus. Et annotauit corrector, alibi etiam duo II pro E poſita ſe inueniſſe.

Ficalij quoque cippus hic eſt:

D. M. S.
VLPIA. M. F.
MARCELLA
ANNORVM
LIII.
H. S. E. S. T. T. L.

Hoc est: Diis Manibus sacrum. Vlpia Marci filia Marcella annorũ quinquaginta trium hic sita est, sit tibi terra leuis.

Ad pagum Callęcum inter Ficalium, & Arucci vetus in fano S.Mametis cippus.

D. M. S.
VIBIA. CR
ISPIA....RV
FINI. ARA
BRICENSIS
ANNOR.
LXVII.
H. S. E. S. T. T. L.

Hoc est: Dijs Manibus sacrum. Vibia Crispia Rufini Arabricensis, annorum sexaginta septem, hic sita est, sit tibi terra leuis.

Insigne quoque oppidum Serpa non multum mihi negotij exhibuit. Nomen enim illęsum vsque ex antiquo retinet, vt apud Antoninum in itinerario est, & in cippo iuxta oppidum reperto.

D. M. S.
FABIA PRISCA
SERPENSIS. C. R.
ANN. XX. H. S. E. S. T. T. L.
C. GEMINIVS. PRIS
CVS PATER. ET
FABIA CADILLA MA
TER. POSVERVNT.

Hoc

Hoc eſt: Dijs Manibus ſacrum: Fabia Priſca Serpenſis ciuis Romana annorum viginti, hic ſita eſt, ſit tibi terra leuis: Caius Geminius Priſcus pater, & Fabia Cadilla mater poſuerunt.

LVSITANIAE ALGARBIVM.

TRanſgrediamur nunc Anam, & Luſitanię vrbes, de quibus, vel indubitato conſtabit, vel certe probabili coniectura antiquitatum ſtudioſis explicemus. At Luſitania, inquit Pomponius, qua mare Atlanticũ ſpectat, primum ingenti impetu in altũ abit, deinde reſiſtit, ac ſe magis etiam, quam Bætica abducit. Qua prominet bis in ſemet recepto mari, in tria promontoria diſpergitur, Anæ proximum quia lata ſede procurrẽs, paulatim ſe, ac ſua latera faſtigiat: Cuneus ager dicitur, ſequens Sacrum vocant Magnum, quod vlterius eſt.

Aduertant lectores promontoria hic non vocari ipſa tantum terrę acumina, quæ mari imminent, ſed totos late etiam tractus, qui tandem acumine in mare deſinunt. Ita Liuius Decadis tertiæ libro primo: Prægreſſus ſigna Hannibal in promõtorio quodam. patet hoc ex ipſa Pomponij deſcriptione. Quia lata ſede procurrens paulatim ſe, ac ſua latera faſtigiat, Cuneus ager dicitur, videlicet ad ſi-

militudinem cunei; quo ligna ſcinduntur: Græci Sphina vocarunt promontorium hoc, Latini Cuneum. Noſtra ætas ſanctæ Mariæ caput appellat, ſicut & ſequens, quod Sacrum dicebatur, ſancti Vincentij caput vulgo dicitur. Priſci tamen nominis veſtigium ibi in oppido Sacris adhuc perſeuerat. Promontorium vtrumque Strabo Celticos, ac Luſitanorum pleroſque habitare dixit. Ptolemęus etiam Turdetanos adiungit: ſicut latius a nobis pro Pacenſi colonia diſputatum eſt. Nos Algarbij regnum vocamus a Mauris, cum id tenuere indito vocabulo. In cuneo vero hoc, Myrtilis, Oſſonobæ, atque Balſæ oppidorum meminit Pomponius.

DE MYRTILI.

MYrtilis, quam Mertolam appellamus, Anæ fluuio eſt impoſita, multis antiquitatum monumentis plena, cippis, columnis, ſtatuis, quibus tam Gothi, quàm Mauri, ad reficiendos muros pro cæmentis abutebantur, vt erant, & hi, & illi ingenio plane barbaro. Octo, vel decem ſtatuas annis ab hinc aliquot terra effoſſas Myrtilenſes homines inde tollere permiſerunt affabre inſculptas, ſed ſine capitibus. Arbitrantur capita fuiſſe ænea, & inſititia, atque ideo a corporibus in alium vſum euulſa.

Abeſt

Abeſt a Pace Iulia iuſtis xxxvi. paſſuũ millibus, hoc eſt noſtratibus nouem leucis, quod Antoninus in itinerario dixit. Myrtilin Plinius, ſicut & Eboram, & Salaciam veteris Latij municipium fuiſſe, ſcriptum reliquit Ptolemęus Iuliæ cognomen illi tribuit.

DE BALSA.

OLim vocatam Balſam, eam eſſe coniicimus, quæ noſtro tempore Tauilla nominatur, maxima Algarbij ciuitas. Eius præter Pomponium, meminere Plinius, Ptolemæus, & in Itinerario Antoninus.

DE OSSONOBA.

OSſonoba vero diruta pæne eſt, cuius priſcæ nobilitatis nonnulla adhuc extant veſtigia, paſſimq. per viciniam, pręcipue in muris Phari propinquæ ciuitatis, magiſque littoralis. Hęc vrbs ſedes fuit Epiſcopalis, vt liquet ex conciliis, in quibus Oſſonobenſis Epiſcopus ſubſcripſit. Nomen Maurorum temporibus paululum inuerſum eſt. Raſis Maurus Exubonam eam vocat, ingenito linguæ Punicæ vitio. Cuius de ea teſtimonium, ad verbum, ſed ad ſenſum iſtiuſmodi eſt.

Exubana ſolo fertili, ac frumẽtario ſita eſt, plano, & fructiferis arboribus conſito. Habet

etiam pineta, & montes ad alenda pecora maxime accommodatos, hortos quoque irriguos multos, quoniam fontibus, ac fluentis abundat; electrum producit optimum; mari vicina est, vbi aliquot sunt insulæ paruę, cymbis, ac nauiculis, ad vsum, & inuectiones opportunæ. Ciuitas inter eadem magnitudine pares de melioribus totius est orbis. Sub iure, ac dominio suo habet oppida nõnulla, e quibus Siluis est sita super æstuarium, quod a mari egressum paruo fluuio commiscetur. Hactenus ille. Fortunæ vicissitudine facta, Siluis pontificio exornata est, Ossonoba vero in vicum redacta. de cuius quoque ruinis, proxima Pharus nobilitatur, & crescit. Nec ipsum nomen iniuriæ non patuit. ex Ossonoba in Exubanam transiit, & cum iam prope non sit, Estoi nuncupatur. Phari in muro inter propugnaculum nouum, & alterum a Roderico Barreto extructum, cippus est.

IMP. CAES. P. LICINIO
VALERIANO. P. F. AVG.
PONT. MAX. P. P. TR. POT.
III. COS. RESP. OSSON. EX D
ECRETO ORD. DEVOT. . . . .
NVMINI MAIESTAT.
IS. EIVS. D. D.

Hoc est: Imperatori Cæsari Publio Licinio Pio. Felici, Augusto, Põtifici maximo, patri pa

triæ

triç tribunitia poteſtate tertiũ Cõſuli,Reſpu blica Oſſonobenſis ex decreto ordinis deuotiſſima numini maieſtatis eius dedicauit.

In quadam turri ex parte maris cippus.

D. M. S.
CATVRISAE PRI
MAE. CONIVGI PIISSIMAE
QVAE. VIXIT. ANN. XXV.
M. VIII. L. CALP. THE
ODORVS. MARIT.

Hoc eſt: Diis Manibus ſacrum. Caturiſæ piiſſimæ, quæ vixit annos viginti quinque, menſes octo Lucius Calpurnius Theodorus maritus.

Inter Pharum, & Tauillam in turri, quam vocant marini cippus:

D. M. S.
C. ANNIVS
ROMVLVS
ANNORVM
XXVIII.
H. S. E. S. T. T. L.

Hoc eſt: Diis Manibus ſacrum. Caius Annius Romulus annorum viginti octo hic ſitus eſt, ſit tibi terra leuis.

Phari ad portam maris, cippus.

M.COR-

M. CORNELIVS ERIDIMVS. C.
IVNIVS. RECEPTVS. OB HONO
REM. IIIIII. VIR. D. S. P.
D. D.

Hoc est: Marcus Cornelius Eridimus, Caius Iunius receptus ob honorem Seuiratus de sua pecunia dedicarunt.

Sequitur promontorium Sacrum, ita vocatum propter Herculis templum, & quia religio indigenis erat, locum nocturnis inambulare temporibus, quod eum tunc ab diis possideri fabularentur, vt initio tertij libri Strabo scriptum reliquit.

Promontorium ipsum duobus cornibus in altum se præcipitat, effecto inter vtrumque modico sinu, cuius est ambitus quinque fere millium. In sinistro cornu Sacris oppidũ est, quod adhuc promontorij nomẽ refert. In dextro nobile sancti Martyris, ac Leuitæ Vincẽtij templum, cuius corpus, quonam pacto ex Valentia delatum eo sit, tyrannidem exercente in Sanctorum reliquias Abderramene, cum in meo de eodem Sancto poemate, tum in libello ad Kebedium Toletanum, late explicaui. Veteres Geographi, vrbium huius tractus nequaquam mentionem faciũt. Vnus Pomponius, vtpote Bæticus, & non longo interuallo dissitus, Lacobrigæ, ac portus Hannibalis

nibalis maritimarum ciuitatum meminit: In sacro, inquit, Lacobriga, & portus Hannibalis.

DE LACOBRIGA.

LAcobrigam mutilato, atque nonnihil deflexo nomine Lagos appellat vulgus, nobilissimum nostro æuo, frequensq. oppidum, ac nuper a Sebastiano Rege in ciuitatis titulum, & honorem euectum, sicut & Pharo ab Ioanne tertio Sebastiani auo.

Legi ante multos iam annos in Agelariis Baptistæ Mantuani, qui me puero per omnium ora volitabat, magnum de Lacobriga testimonium:

Dicitur Ardiburi posuisse Lacobriga septem
Victori toties statuas, totiesq. per illum
Eruta Vandalicis bello insurgente procellis.

Quod nescio vnde fuerit mutuatus, cuius poetæ, quoniam multum iam fama refrixit, cetera, quæ ad Lacobrigam attinent, videre poterunt si velint, quorum in manus liber is deuenerit.

DE PORTV HANNIBALIS.

DE portu Hannibalis dubitanti, duo se ostia obiiciebãt, alterum ad Villam nouam cognomine Portimanam, eius fluuij, qui

Vrbem

vrbem Siluin, ad quam Offonobense pontificium translatum est, præterfluens in mare delabitur. Alterum ad Alborem oppidũ non obscurum, vtrumque in sinu magnarum, multarumq. nauium capaci. Sed quarum interius per ostia ingressus, non nisi æstu accedente fiat. Facilior Villanouanus recto cursu, paulo Alboritanus difficilior, propter flexus varios & in modum Syrtis obstruentes ostium arenas. Verum vbi penetrarint pandẽte se æstuario, commodissima statio est nauigiorũ. Parua insula intus est situ editior, in summo plana, in qua olim oppidum fuit. Supersunt vndique muri a fundamentis vsque ad mediam altitudinem cæmentitij, in superioribus formacei Punico opere. Summa planities, ruderibus, parietinis, fractis testis, tegulisq. tota plena, ædificiorum monstrat ruinas. Hoc nimia vetustate extincto, Alborem nostri maiores ibi iuxta intima ęstuarij ora construxerunt. Hunc fuisse Hannibalis vocatum Portum potius arbitramur, quàm Villamnouam, oppidum reuera nouum, propter loci situm, vnde defendi naues egregie poterant, & aditu arceri hostes, quod a peritissimo bellicę rei duce conueniebat prouideri. Quando autem oppidum hoc Hannibal condiderit, pro comperto ego asserere nequaquam audeo. In Lusitania fuisse Hannibalem, tertio volumine ostensum a me est.

Potuit

Potuit quoque ex Gadibus, cum vota Herculi exſoluiſſet, nouiſq. ſe obligaſſet. Quod primo tertiæ decadis libro ſcribit Liuius ad promontorium hoc Hannibalē accedere propter dicatum Herculi templum, &. diſſipatā de diis locum tenentibus famam. Sicut Strabone referente paulo ante narrauimus, maxime inuitante maritima tractus illius amœnitate, & ad res gerendas opportunitate.

DE MEDOBRIGA.

A Sacro promontorio vſque ad Callipodis fluuij egreſſum, hoc eſt ad ſinum Salacienſem, multa ſane ſunt oppida, neque contemnenda, ſed quorum mentionem veteres non fecerunt. Plinius Merobrigæ meminit, ac mirum eſt Cetobrigam omiſiſſe in ora poſitam, cum Salaciam multo interius locatam non prætererit, neque Merobrigam, ſex fere millibus paſſuum ab littore ſeparatam. Verba illius ſunt: Oppida memorabilia a Tago in ora, Olyſippo, equarum e Fauonio vento conceptu nobile, Salacia cognominata vrbs imperatoria, Merobriga, promontorium ſacrum, & alterum Cuneus.

Interiit autem Merobriga, in cuius locum ſucceſſit iuxta oppidū S. Iacobus cognomine Cacem, oppidū in excelſo colle poſitum. De

quo

quo postea. Muri cum turribus,alibi integri, alibi vero semidiruti, aquæductus, pons in intermedia valle, & quadrato lapide perennis fons, antiquæ me ciuitatis admonuerunt.

Habeo etiam ex ære Cyprio Vulcani paruum simulacrum ibi repertum, & elegans æneum candelabrum. Templum ibi est sancto Blasio dicatum, & super aram lapideam.

Mensa cum hac inscriptione.

G. COCILICO. FVSCO
PATRI
EX TEST. COCILICI
A PASTOS

Hoc est: Gaio Cocilio Fusco patri ex testamento Cocilicia Pastos.

In semicollapsa turri cippus.

C. NVMISIO. C. F. FVSCO
VI. VIRO. SEN.
TATINIA. Q. F.
FVLVIANILLA
VCSOR
PERMITTENTE. ORD.
NEROBRIG.

Hoc est: Caio Numisio Caij filio Fusco, sextum viro Sentatinia Quinti filia, Fuluianilla vxor permittente ordine Merobrigensi.

SAN-

SANCTVS IACOBVS DE CACEM.

Dixi succeſſiſſe Merobrigæ oppidum ſanctum Iacobum in excellenti colle, qui maris proſpectum aperit, nec a Merobriga diſtat ducentis integris paſſibus.

Loco dominabatur Cacem tyrannus Maurus, cum a Chriſtianis receptum oppidum eſt. Cauſam nomini dedit Apoſtoli Iacobi marmorea ſub terra effigies, eo loci reperta, quæ nunc quoque religioſe ibi colitur. Factumq. eſt nomen a Sancti effigie, cognomen autem a regulo, ſub cuius fuerat poteſtate. Expugnationem referunt oppidani ad heroidem Batazam, cuius quia ſemiſepulta fama eſt, non ab re fuerit, operæ pauxillum impendere. Viam nobis aperuerit Hieronymus Zurita Cæſarauguſtanus, vir doctus, & hiſtoriæ diligens ſcriptor. Sed quia Ioannem Batazen cum Ioanne Comneno, quem Caloiannem quidam appellant, Manuelis Comneni patre, confundere videtur, ex Nicæta Choniate Græco auctore, qui ea tempeſtate fuit, & ex Baptiſta Egnatio rem ipſam petamus.

Græciæ imperator Alexius Angelus cum duas haberet filias adoleſcentulas ac viduas, & eas ob adoleſcentiam & formam, vt ait Niceta, ſecundas nuptias deſiderare videret; Irenen Alexio Palæologo, Annam Theodoro

Lascari, adulescenti animoso & bellicosissimo despondit, dotisq. nomine, inquit Egnatius, imperij titulos genero tribuit. Et quidem Lascaris, depulso & profligato Manuele Maurozome rubro calceo induto, ab omnibus Orientalibus vrbibus imperator consalutatus est, vt testatur Niceta. Ceterum ex vxore mascula illi proles nulla fuit, femina tantum Irene.

Hanc Ioanni Diplobatazio in matrimoniũ iunxit, imperiumq. illi per manus tradidit. Ita Egnatius. Sed quem Ioannem Diplobatazium ipse vocat, Ioannem Batazem appellant alij, & quidem Græci. Inter quos Nicephorus Callistus, & Batazem tam Zonaras, quam Niceta sepæ nominant. Ioannes itaque Batazes filium Theodorum Lascarem minorem successorem reliquit. Qui moriens Ioannem filium, & filiam Lascaram Michaeli Palæologo, tutorio nomine commendauit. Verum Palæologus, interfecto puero, per summum scelus, sibi imperium vindicauit.

Redeamus modo ad Zuritam in Aragonicis libro quinto capite vltimo. Lascara puella verita, ne & ipsa in tyranni sæuitiam incurreret, Ligurum mercatorum auxilio Genuã venit. Nubsitq. in Liguria Vilelmo comiti, Entemelij, vel vt vulgo dicitur Vigintimilij, peperitq. ex eo filium Ioannem Lascarem, & tres filias. Mortuo marito, filium Genuæ

reliquit.

reliquit, qui patri in Entemelij ditione successit. Ipsa filias secum ducens, ad Petrum Aragoniæ regem, cuius ingens erat fama se contulit, si forte dignaretur auxilium ferre, ad recuperandum paternum imperium sibi per tyrannidem ereptum. Suscepit illam rex nobilis honorificentissime, & in Valentiæ regno retinuit. Filiarumq. maximam Iolanthē ex Græcia cognominatam, vxorem dedit Petro Baroni Aierbæ, regis Iacobi nepoti.

Secundam Beatricem ex Græcia vocatam prætermitto, huic operi non necessariam, Bataza quoque ex Græcia, in matrimonio nondiu fuit, peperitq. filiam, cui suum nomen imposuit. Hanc Iolanthę matertera, vbi per ætatem licuit, nuptui collocandam curauit.

Interea cum Isabella Petri regis filia nupsisset Dionysio Lusitaniæ regi, Bataza iam vidua, propter morum, & vitæ probitatem, vna etiam venit, fuitq. in Lusitania, quo ad Constantiam ipsius Dionysij, & Isabellæ filiā, Ferdinandus Castellę duxit in matrimonium. Tunc quoque Bataza spectatæ virtutis matrona, nouam nuptam comitata est, tamquam moderatrix eius adolescentiæ. Quæ cum partu edidisset Alfonsum postea regem, non diu superstite marito, regis filij cū Bataza nutricationem sedulo curabat. Sed subducto a materna cura infante auiæ cōsilio, quæ ad suam potestatem transferre illum maluit, Regina

mater & recenti viduitate mæsta, & præcipue nutriendi filij solatio destituta, insuper alendæ familiæ impar, quòd peranguste admodumq. tenuiter, nec pro regia dignitate, sumptus suppeditaretur, ex dolore morbum incurrit, decessitq. in oppido sancto Facundo. Et cum eius suppellex, mundusq. muliebris ad satisfaciendum alumnis minime sufficeret, testamento à Dionysio patre, atque Isabella matre petiit, vt quod illi deerat, ipsi supplerent. Bataza autē, cum se inuidiosam ex præterita potentia indies persentiret, re cum suis communicata, nauem adornari præcepit, beneq. tam ex suis copiis, quàm sororum auxilio instructam cōscendens per mediterraneū mare exiit, ac circumitis Gadibus, & sacro promontorio, ad flexum, vbi oppidum Sinis est, excensionem fecit. Conuenerunt ad illam Christiani multi, & ex sacra spathophororum militia equites non pauci, qui vicina loca tenebant, atque ad non spernendas copias aucti, Cacem regulum oppido exuerunt. Extructoq. templo Bataza bonam ligni sanctæ crucis partem, quam a Lascara matre Constantinopoli delatam acceperat, in quadam templi pila conclusit. Quæ diu ignorata latuit, donec miraculo fuit prodita. Ob hoc solenne ibi est, dominicis, ac celebrioribus diebus, cum post sacrificij Euangelium populum sacerdos alloquitur, etiam adhortari, vt precentur

centur Deum pro Bataza Lascara, Græciæ Imperatoris nepte. Relicto in potestate Christianorum oppido, venerabilis matrona Conimbrigam se contulit, adhuc illa tempestate vrbem regiam. Vbi facultates opesq. suas iis, qui sibi inseruierant distribuens, pauperum nequaquam immemor, Ecclesiam cathedralem donariis multis ac prædiis locupletauit. Sepulta ibi est in lapideo, nec operoso monumento inscriptione simplici.

HEIC SITA EST BATAZA IMPERATORIS GRAECIAE NEPTIS.

DE CETOBRIGA.

CEtobriga, quæ Ptolemæo Cetobrix appellatur in ora & ostio sinus Salaciensis quondam stetit, vrbis tenue vestigium modo est, arenis obrutæ, nisi qua irrumpentis maris violentia, sub aqua nonnumquam, nonnunquam vero a tumulo in tumulum in arenas radentibus ventis, deteguntur ędificia. Causa nominis a Cetis, & Briga orta est. Briga siquidem vetere Hispanorũ lingua vrbem significat, vt Arabriga, Conimbriga, Cetobriga, Lacobriga, & multę alię. Prima vero compositi nominis pars, a cetis est facta. Cete magnos pisces, vt thynnos, omissis marinis belluis significare, & qui pisces eos saliũt,

condiunt, ac vendunt, cetarios appellari notum eſt, lacus autem in quibus ſaliuntur cetariæ & cetaria dicuntur, vnde Horatius:

Plures adnabunt thunni, & cetaria creſcent.

Quoniam vero in vrbe hac, de qua nobis ſermo eſt, celebris erat piſcatio, & ſalſura talium piſcium, ſicut etiam nunc Cecimbrigæ, quod oppidum e regione eſt in extimo fere Barbarij promontorij littore, Cetobriga vocata ciuitas eſt. Durant adhuc in Cetobrigenſi littore ipſa cetaria, ſignino opere antiquitus fabricata. In medio obrutæ arenis ciuitatis fanum peruetus eſt, quod inſtauratum Virgini Chriſti matri ſacrauit Chriſtiana religio. Ad cuius ingreſſum, ſupra portam, arietis caput viſitur contortis cornibus, factum ex marmore, & quidem elegantiſſime. Neque diſſentaneum eſt fanum id, atque ſimulacrum Iouis Ammonis olim fuiſſe, contra frequentes arenarum turbines, ab ethnicis ibi culti. Statua quoque marmorea ſtolata illinc Neocetobrigam delata eſt, abſque tamen capite. Inſcriptio quoque hæc in quadrato iaſpidis albi lapide, in parthenone virginum ſancti Dominici inſtitutum profitentium Neocetobrigæ extat.

L. IVLIVS. L. ET. T. LIB.
VALENS. ANNOR.
XXV. H.S.E.S.T.T.L.
COPIRVS. FRATRI.

Hoc

Hoc est:Lucius Iulius Lucij & Titi libertus, Valens annorum viginti quinque hic situs est. Sit tibi terra leuis Copirus fratri.

Antiquitus Cetobriga ab Occidente Eborensem episcopatum terminabat, ex Bambæ optimi regis diuisione, qui finium cathedralium ecclesiarū terminatione episcoporum lites voluit dirimere. Episcopatus, inquit ille, Eborensis habeat a Cetobriga vsque ad Petram, & a Rutella vsque Paratam. Nostris quoque temporibus, Eborensis diœcesis finis, Cetobriga vetus est. Corrumpi cępit nomen in Cetobram, quam postea, multo corruptius vulgus ineruditū Troiam fecit.

DE NEOCETOBRIGA.

POst dirutam Cetobrigam, mutata colonia est, ad alteram sinus oram Septentrionem versus, ab hinc annos circiter quadringentos quinquaginta, conuenientibus eo loci piscatoribus; tantaq. & ibi & Cecimbrigæ, sitæ, vti dixi, in extimo fere Barbarij promontorij litore, nobilium piscium captura est, cum mare piscosissimum sit, vt etiā ex intima Hispania plenis vijs confluant mercatores. Accedit ingens candidissimi salis copia, propter salinarum toto sinu multitudinem. Cuius gratia, externarum quoque nauium magnus semper numerus aut exit,

aut ingreditur. Commercio itaque tam inuectionum, quàm reuectionum, factum insigne oppidum est, opulentissimumq. adeo vt magnarum vrbium nequaquam inuideat claritati. Vocata quoque Cetobriga posterior hæc colonia est, retento prisco nomine, & vulgo Cetobra. Indies autem pergente corruptione, Cetobala. Florianus campensis in commentitijs suis originibus, à Cetobala corrupto nomine, cœtum Tubalis confinxit, originemq. oppidi vsque à Tubale fabulatur. Ego Neocetobrigam soleo nominare distinctionis gratia, liberum cuiq. est alterutro vti, siue enim Cetobrigam, siue Neocetobrigam dixerit, erudite loquetur.

DE PACE IVLIA SIVE AVGVSTA.

Dicta ora est, ab exitu Anæ vsque ad Salaciensem sinum. Quem prius quàm transgrediamur, redire ad continentem oportet, per ciuitates, non quidem omnes. Neque enim omnes recensere propositum mihi est, sed eas, quæ vel a veteribus auctoribus nominatæ sunt, vel quæ inscriptionum vetustarum beneficio, aut maxime insigni quopiam facto, nomina sibi suo merito prodiderunt. Idq. semel hoc loco præfatum esse me, candidi lectores meminerint. Ceterum Pacem Iuliam, siue Augustam descripturus

modo

modo eram, nisi satis superq. id fecissem, in bene longa ad Vasæum epistola, pro Pacensi colonia & in libello ad Franciscum Nonium, & alijs non paucis scriptorum meorum locis. Si quidem ostendi eam esse, quæ vulgo Bexa dicatur, corrupto a Mauris nomine, sitam vero in Celticis Lusitaniæ populis, iuxta Strabonem, vel in confinio Celticorum, Turdetanorumq. iuxta Ptolemæum Coloniam fuisse, & secundum Lusitaniæ conuentum, & quo pacto ab ea pontificatus dignitas translata Badiosam sit prolixe etiam exposui. Ante vniuersalem Hispaniæ cladem, floruit in hac vrbe Apringius Episcopus scriptor eruditus, cuius in Apocalypsin interpretationem veteribus omnibus præfert Isidorus. Floruit etiam Isidorus Pacensis cognominatus, cuius opuscula horrido parumq. culto sermone, eaq. imperfecta, & mendis senticosissimis scatentia circumferuntur. Floruere quoque iuuenis Sisenandus martyrio Cordubæ coronatus, & Tyberinus presbiter. Extant ibi complura Romanorum monumenta, ex quibus aliquot adscribam, quæ per muros ipsius ciuitatis dispersa visuntur.

Ad portam Maurensem, versus nouam.

C. IVLIVS. C. F. . . . .
II VIR BIS PRA. . . .
VTRIQVE. SEN. . . .
. . . .

Hoc

Hoc est: Caius Iulius Caij filius, Duum vir.

Postea fragmentum in muro.

EQVIT. PRAEF.
FABRVM.

Hoc est: Equiti præfecto fabrum.

Cippus semifractus.

M. AVRELIO. C. F.
GAL. II VIR. FLAMIN
TI. CAESARIS. AVG.
PRAEFEC. FABR.
D D
....

Hoc est: Marco Aurelio Cai filio Galeria duum viro Flamini Tiberij Cæsaris Augusti præfecto fabrum Decreto Decurionum, vel dedicarunt.

Ad Portam Myrtilensem.

Q. PETICIO. T. F.
RVFO
MATER. FILIO.

Hoc est: Quinto Petitio Titi filio Rufo mater filio.

Fragmentum, vltra portam Maurensem, littera bessali. Desiderantur lapides in vtroque capite.

CVRIAE. PONT
FLAM. PACIS IVLIAE
VE. FLAMI....

Hoc

Hoc est: Curiæ pontifices, Flamines Pacis Iuliæ.

Extra Muros.

D. M. S.
HEL. AERIA
NVS. ANN
ORVM XII
H. S. E. S. T. T. L.

Hoc est: Dijs Manibus sacrũ Helius Aerianus annorum duodecim, hic situs est, sit tibi terra leuis.

In quodam horto.

C. IVLIO L. F. GAL
AVITO FRATRI
VS. SABINVS.

Hoc est: Caio Iulio Lucij filio Galeria auito fratri Sabinus.

In gradibus summi templi.

. . . .
. . . PAX. IVLI. . . .
. . . Q. PETRON . . .
. . . .

Hoc est: Pax Iulia Quinto Petronio.

Ad Sanctum Saluatorem.

D. M. S.
IVL. PATERNA
ANN. XV.
IVLIA
TERSPICORE
LIBERTAE OB
SEQVENTISSIMAE
H. S. E. S. T. T. L.

Hoc est: Dijs Manibus sacrum. Iulia Paterna, annorum quindecim Iulia Terpsicore libertæ obsequentissimæ, hic sita est. Sit tibi terra leuis. Errore sculptoris positū est Terspicore pro Terpsicore, sed ego mutare nolui.

In foro Cippus.

L. AELIO AVRELIO
COMMODO
IMP. CAES. AELI. HA
DRIANI ANTONI.
NI. AVG. PII. P. P. FILIO
COL. PAX. IVLIA
D. D.
Q. PETRONIO MATERNO
C. IVLIO IVLIANO
II VIR.

Hoc

Hoc eſt: Lucio Aelio Aurelio Commodo Imperatoris, Cæſaris Aelij, Adriani, Antonini, Augusti, Pij Patris patriæ filio Colonia Pax Iulia dedicauit Quinto Petronio Materno, Caio Iulio Iuliano Duum viris.

In cochlea ſummi templi.

A ✠ ω
SEVERVS
PRESBIT. FAM
VLVS CHRISTI VI
XIT. ANN. LV.
REQVIEVIT I
N PACE DOMINI
XI. KAL. NOVEMBRIS. ERA
DCXXII.

Hoc eſt: Alpha, & omega. Seuerus preſbiter famulus Chriſti vixit annos quinquagintaquinque, requieuit in pace Domini vndecimo Kalendas Nouembris, era ſexcenteſima vigeſima ſecunda.

In agro quattuor mil. paſſ. ab vrbe. Repreſam prædium vocant.

D. M. S.
MERCATOR
ANN. XXXII.
VXOR MARITO
MERENTI POSV
IT. H. S. E. S. T. T. L.

Hoc

Hoc est: Dijs Manibus sacrum Mercator annorum triginta duorum vxor marito merenti posuit. Hic situs est, sit tibi terra leuis.

Sunt in ea vrbe fragmenta alia, sed minutiora. Caput imaginis Vespasiani, taurorum capita decem, aquæductus alicubi sub terra integer, alibi confractus, murorum portæ tres adhuc Romana architectura.

Inuentus marmoreus lapis duorum cubitorum, in quo erant vir & puella equestri cursu certantes, mirabili elegantia.

DE ORICHIENSI AGRO.

ORichiensis ager, Turdetanis ac Celticis iunctus, regionem paruam efficit, octo vel ad summum decem oppidorum, prę-ter vicos ignobiles. Nomen accepit ab Orichio, regionis nobiliori oppido & quia campestris ager est, frumentarius, ac pascuus, vulgo campus Orichiensis nominatur.

Non piget eius meminisse, propter regni nostri illic cœptam originem. Quam vt paulo altius repetam, ab æquis lectoribus condonari mihi postulo.

Magnus Alfonsus Hispaniæ rex qui Toletum expugnauit, & imperator est appellatus, ex diuersis vxoribus tres filias habuit, Eluiriam, Therasiam, atque Orracam. Et quidem Eluiriam ac Therasiam, Rodericus

Toletanus, parum Lusitanis æquus, quique illi adhæserunt, ex concubina Simena Munione natas, vt aiũt. Verum apud me chronicon Hispanica vetusta lingua habeo, factum septuaginta annos ante Rodericum, in quo eadem Simena minime concubina, sed iusta vxor & Regina diserte perhibetur. De qua re ad Ioannem Barrum scripsi & quidem prolixe.

Ad Alfonsum igitur imperatorem, in asserenda Hispania laborantem, conueniebant magni viri, militiam suam Christo deuouentes. Inter quos emicuere Raimundus comes sancti Aegidij, & Henricus Lotharingiæ comes, ex Germana Raimundi natus, quem illa Vngariæ regi, cui nupta erat, secundo edidit partu. Hos vt talium necessitudine arctius se muniret Alfonsus filiarum connubiis sibi deuinciendos existimauit. Eluiram igitur comiti sancti Aegidij, Therasiam Henrico Lotharingiæ comiti, Orracam vero trium vt alij scribunt natu maximam, vt alijs autem placet minimam, atque post Simenam defunctam, ex Constantia vxore natam, Raimundo comiti siue Burgundiæ, siue Tolosæ (neque enim inter ipsos Hispanicarum rerũ scriptores satis conuenit) in matrimonium dedit. Quorum nos opinionibus prætermissis, de Henrico tantum loquamur, cui valde dilectã sibi Therasiam tradidit. Atque vt nexu deuin-

ctiore

ctiore virum maximum quasi ad manum haberet, Callæciæ partem Bracaros, a Minio vsque ad Durium totumq. id, quod recentiore vocabulo Portugalle tunc dicebatur, a Durio vsque ad Lusitaniæ vrbem Conimbrigam, dotis nomine assignauit, liberũq. ei reliquit, vt de Saracenis Lusitaniam armis recuperaret, suoq. dominio, & ditioni adderet. Is ex Therasia coniuge, quæ semper regina appellata est, filium genuit Alfonsum Henricum, qui patri successit in principatu, & vbi per ætatem licuit, bella gessit quàmplurima, vrbes multas expugnauit, Saracenorum potentiam fregit. Qua re commotus Ismarius, magnæ partis Africæ, Bæticæq. rex, conuocatis quattuor aliis regibus, tam ex Africa, quàm ex tota vlteriore Hispania, tantas congregauit copias, vt millia quadringenta exercitus superaret. His confisus in Alfonsum properabat, lentis itineribus, sed animo ad vindictam concitatissimo. Nec ille segniter processit obuiam. In agro igitur Orichiensi, paulo infra Castrum viride oppidum, non procul a confluente Cobris, & Tergis fluuiorum, in mutuum conspectum venientes castra posuerunt. Insedit tumulum Alfonsus, vbi vetus sacellum erat, in quo senex quidam prouectæ ætatis eremiticam vitam agebat, inter Mauros & ob paupertatem, & ob vitæ sanctimoniam, nullius iniuria lacessitus. Ismarij

copiæ

copię prope infinitæ vndequaque campos opplebant, iamq. agmina circumclusa spe deuorabant. Non videbatur militibus nostris sani esse consilij, cum tanta multitudine confligere. Vnus enim quisque supra centum hostes aduersum se in prœlio erat habiturus. Sed militum animos oratione spei ac fiduciæ plena princeps confirmauit; dimissosq. curare corpora iubet, & crastinum diem, qui Iacobo Apostolo Hispaniarum patrono sacer erat, lætos expectare. Cum aduesperauisset, Anachorita ille ad Alfonsum venit, atq; oraculi denũciatione, forti esse animo admonet, vt qua noctis ora tintinnabuli, quod in sacello erat, sonum audiret, tentoriũ egrederetur, appariturum illi Christum in aere Cruci subfixum. Lætus tam optato, tamq. insperato nũtio Alfonsus, totius noctis peruigilio promissum expectabat. Primo itaque ante lucem diluculo, ad tintinnabuli sonum prætorium egressus, suspexit in aere Crucifixum Dominum. Cuius visi voluptate propemodum extra mentem absorptus, ita adorans dicebat: Ecquid Seruator mundi, tune mihi, tunc appares? Quid eo opus est, in te credenti, & te summa pietate colenti? Perfidis his, tuis atq; ideo meis hostibus, tuæ diuinitatis ignaris, potius apparere digneris, vt Crucis tuæ mysterium intelligant, ac desinant insanire.

Hæc atque alia his similia, cum ex mentis

quasi abstractione prosequeretur, Christi colloquentis, & victoriam pollicẽtis voce iucundissime affectus, in cœlum recepta diuina illa specie, arma postulat, armari milites, acies ordinari, & canoro tubarum concentu imperat signum dari. Quem ex proceribus quidam exercitus nomine adeuntes postulant, inquiunt, fortissime imperator, milites tui, vt regem te salutari permittas. Quibus ille: Ego fidissimi commilitones honorificum satis inter vos nomen titulumq. principis sortitus sum, alium non ambio. Neque si maxime expertem, vel poscentibus vobis morem gerere vellem, id tempus, aut locus patiuntur. Sed operam dabo, vt vos ducis vestri non pœniteat, vos date, vt milites dux non desiderem. Contra illi, & quæ postulas pollicemur, & nobis non deerimus, sed pro rege pugnabimur ardentius, vincemus honestius, moriemur alacrius. Cum igitur prope intulissent vim recusanti, magnis vocibus, & tubarum, lituorum, tympanorumq. sonitu ter acclamatum: Alfonso Henrico primo Lusitaniæ regi vita, & victoria. Data inde militibus tessera, ferebatur in hostes.

At parte ex alia innumerabilis ille Barbarorum exercitus, tam dissonis clamoribus, tam terribili fragrore perstrepebat, vt cælum ruere, terra quassari tremoribus viderentur. Commissum prœlium est sanguinolentũ, pertinax,

tinax, diuturnum, a prima diei hora vsque ad meridiem; donec Ismarius, cuius iam vita periclitabatur, quamq. maxime nostri appetebant, rebus desperatis, & amisso in conflictu cōsobrino, cui sui corporis custodiam mandauerat, nomine Homar Atagor, Halli regis nepote, fugit ipse, & vna reges qui cum eo erant. Tantum autem sanguinis effusum est, vt ex cædis loco riuuli in Cobrin atque Tergem decurrerent. Quin insecuta paucos post dies pluuia, cum tinctam atro sanguine superficiem lauisset, creuissentq. riui, Terges qui ad confluentes Cobrin recipit, etiam vsq; ad Anam aquas infectas pertulit. Id nos in Vincentio martyre hisce carminibus breuiter adnotauimus.

Vbi paupere Terges
Flumine, ab Orichio segnis delabitur agro,
Excepti cecidere duces, fusæq. cohortes
Barbaricæ. Ac tellus tanto est imbuta cruore,
Vt postquam pluuiæ cædem elauere, pigerq.
Riuus ijt, contage sua, quacumque meabat,
Polluerit spatium late, fluctusq. petitos
Funestarit Anæ, torrens inglorius ante,
Atq. vaporatis æstu Quintilibus impar.
Post illa, indigenis factus de clade superbi
Nobilis Ismarij.

Alfonsus igitur nouus rex, consueto victoribus more in castris triduo permansit, & concessa militibus præda, ipse qui eatenus ni-

ueo ſcuto vtebatur, inſignia commentus eſt, quæ rem ibi geſtam deſignarent. Ac primum, quia Chriſtum in aere cruci ſubfixum conſpexerit in argenteo ſcuto cæruleam crucem formauit. Deinde quod quinque reges viciſſet; ſcuta quinque per ipſam crucem diſtinxit. In vno quoque triginta numos argenteos figurauit, quod totidem mundi ſeruator venditus exſtitiſſet.

Mutata a poſteris regibus numorum figuratio eſt commodiori ratione, & in ſingulis quibuſque ſcutis, ſinguli quinque numi poſiti, decuſſatim ad figuram litteræ X. bis numerato, quod in medio eſt, & cum a ſummo deorſum, & cum a latere ad latus fit ſupputatio, vt numerus triginta expleatur. Hæc tunc ibi ſumpta inſignia. Caſtella vero aurea ſeptem, quæ in rubro campo ſcuti regij oras ambiunt, ad alterius hiſtoriæ tractationem pertinent.

Expoſuimus quanta potuimus breuitate, regum noſtrorum, regniq. initium & cauſam, ab hinc annos quadringentos triginta quattuor. Geſta enim res eſt, vt mei veteres annales habent era milleſima centeſima ſeptuageſima ſeptima. Cui annorum numero ſi demantur triginta & octo, manebit Seruatoris annus milleſimus centeſimus trigeſimus nonus. Cum hæc proderem, agebatur annus M. D. LXXIII. Subducta ergo ad calculos ra-

tione

tione apparebit, interfluxisse quadringentos triginta quattuor, quos dixi, annos.

DE ARCV EXTRVCTO A Sebastiano Rege in victoriæ loco.

IAm discessissem ab Orichio, nisi piaculum esset, regis nostri Sebastiani recens factum non commemorare. Is initio huius anni, Algarbij regnum adiit, vt oppida omnia maritima, quàm munita essent, suis oculis perspiceret. Et si quid ad munimentum deesse videretur exactissimo suo iudicio, & rei bellicæ peritorum consilio præsens vel suppleret, vel nouaret, vel corrigeret. Fecit autem iter per Orichiensem agrum, & victoriæ memorabilis loca omnia perlustrauit.

Nullum ibi erectum trophęum, nullam inscriptionem, tantum sacellum illud ignobili fabrica, non semel refectum, rusticorum tamen cultu religiosum reperit. Puduit illum incuriæ, ac socordiæ sæculi superioris. Atqui, vt excusari mereatur, ætas hominũ illorum, qui in continuis bellis vitã agebant, & promptiores ad prœliandum dextras habebant, quàm ad litteras illa tempestate sepultas, inclinatiora ingenia: non tamen miranda non est, florentibus postea rebus, & renata philologia obliuio tam diuturna. Nisi quod natura comparatum ita est, vt quæ optima sunt,

non omnia ſimul, ſed per temporum interualla emergant. Sebaſtianus igitur mira pietate affectus, vt & apparitionis Chriſti, & Regis maximi, inclytæq. victoriæ memoriam rediuiuam faceret, diruto veteri ſacello, templum inædificari pręcepit, atque extructo nobili arcu, mihi inſcriptionis curam demandauit, ita vt altera ex parte latine, ex altera Luſitano idiomate, latina ſic habet:

Heic contra Iſmarium, quattuorq. alios Saracenorum reges, innumeramq. barbarorũ multitudinem pugnaturus felix Alfonſus Hẽricus ab exercitu primus Luſitan. rex adpellatus eſt, & a Chriſto, qui ei Crucifixus adparuit ad fortiter agendum commonitus. copiis exiguis tantam hoſtiũ ſtragem edidit, vt Cobris ac Tergis fluuiorum confluentes cruore inundarint. ingentis ac ſtupendæ rei. ne in loco vbi geſta eſt. per infrequentiam obſoleſceret. Sebaſtianus I. Luſit. rex, bellicæ virtutis admirator. & maiorum ſuorum gloriæ propagator erecto titulo memoriam renouauit.

DE COLLA.

Colla fuit interius in media Orichienſi prouincia, non procul a Meſſagena inter colles, nec ſcio an hodiernum nomen hoc inde traxerit. Non mediocre erat oppidum. Extant muri & turres cæmentitio opere neq;

ſatis

ſatis polito. Aditus perdifficilis eſt, & ad defenſiones accommodatus. Non habitatur. tantum dominicis, & ſolennibus aliis diebus ruſticorum vicinia eò confluit, ad tẽplum Virgini Chriſti matri dicatum, vbi ſacerdos iiſdem diebus ſacris altaribus operatur. In angulo turris ſemidirutæ menſa elegans marmorea.

. . . . .

C. MINICIVS. C. F. LEM. IVBATVS
. . . LEG. X. GEM. QVEM IN PRAELIO
CONTRA VIRIATVM VOLNERIBVS
SOPITVM IMP. CLAVDIVS VNIMA...
PRO MORTVO DERELIQVIT. EBV...
TIS LVSITANI OPERA SERV...
RARIQVE IVSSVS. PAVCOS SV...
DIES. MAESTVS OBI. QVIA...
MERENTI. MORE ROMA...
AM NON RETVLI.

. . . .

Hoc eſt: Caius Minicius Caii filius Lemonia iubatus Tribunus legionis decimæ geminæ, quem in prœlio contra Viriatum volneribus ſopitum, imperator Claudius Vnimanus pro mortuo dereliquit, Ebutij militis Luſitani opera ſeruatus, curariq. iuſſus, paucos ſuperuixi dies, mæſtus obij, quia bene merenti more Romano gratiam non retuli.

Ad ianuam templi ingens cippus eſt, inter columnas ibi iacẽtes olim ornatus cauſa poſitus, qui me amplius horis tribus ad faſti-

dium detinuit. Tam male a Barbaris hominibus habitus est, vt spem percipiendi integre sensum plane deposuerim.

Auis in modum Gracculi, altera similis mutuo se respicientes.

D. M. S.
B. SVRSI F. VC.....
BRIANE. COIVGI......
NCTISSIME. TV....
VM. POSITE VICS.....
N. XXXVIII DIE.....
S. XVII. SI QVAN....
PIET... SERM. TI....
ANTVM FORTV....
GER. LITE AVREC.....
IT. T. POSVI. S....
VALE.

Hoc est: Diis Manibus sacrum. Balbus Sursi filius coniugi sanctissimæ tumulum posuit. vixit annos triginta octo, dies septemdecim..

D E S I N I.

NOn omittenda Sinis est, maritimum oppidum,& propter piscationem non parum

rum

rum vicinæ regioni conducibile. Ibi in templo cippus fractus est cum his litteris.

. . . .
AN. L. CLAVD.
THALASSINVS
MARITE ME
RENTISSIME
H. S. E. S. T. T. L.

Hoc est: Annorum quinquaginta, Claudius Thalassinus, marite merentissime hic situs es, sit tibi terra leuis.

Per murum, iuxta terram, & quasi iam ruderibus coopertum.

D. M. S.
FVLVIVS. L. F. QVIN
TIANVS. FABER
MATERIARIVS
PIVS IN SVOS
VIXIT ANN. XLVI.
RVBRIA. Q. F. SER
GILLA. MEROBR
MARITO. B. M. FEC
H. S. E. S. T. T. L.

Hoc est: Diis Manibus sacrum. Fuluius

Lucij

Lucij filius Quintianus faber materiarius, pius in suos, vixit annos quadraginta sex, Rubria Quinti filia Sergilla Merobrigēsis marito benemerenti fecit, hic situs est, sit tibi terra leuis.

In quadam turri.

D. M. S.
IVLIA. C. FIL.
MARCELLIN
A. A. XXX.
H. S. E. S. T. T. L.

Hoc est: Diis Manibus sacrum. Iulia Caij filia Marcellina annorum triginta, hic sita est, sit tibi terra leuis.

DE HELVIS.

PRimo libro admonuimus vrbem Heluas in Celticis nostratibus esse. Nomen accepit ab Heluis Celticæ Galliæ populis, inter Garumnam & Ligerim habitantibus, de quibus Strabo 4.lib.agit. Plinius Albam eorum ciuitatem nominat. Ab Heluis igitur Celtarum populis, qui inter Celtas olim ad nos venere, Heluæ ciuitas nominata, quod nomen a conditoribus obtinuit, etiam hodie retinet. Vrbs fertilitate soli, & nobilitate ciuium

uium, vt postremas non fert, ita olei bonitate sine controuersia primas obtinet. Diœcesis Eborensis hactenus fuerat, verum agente Sebastiano rege Episcopalem dignitatem adepta, metropolim vnde excisa est, nihilominus agnoscit. Non multa ibi sunt Romanorum monumenta, & quæ sunt, pessime a Barbaris habita, ita inueni.

Iuxta portam arcis, quam Alcassauam vocant, fragmentum.

. . . .

FEL. CEPAL
ONIS F. SE
VERVS. AN. . .

. . . .

Hoc est: Felix Cepalonis filius Seuerus annorum.

In domo cuiusdam viri nobilis, tabula elegans.

C. AXONIVS. Q. F. PAP.
LEG. XX. NAT. COL.
FIR. PICENO. SE VIVO
MONIMENT. FEC. SIBI. ET
FR. Q. AX. Q. F.

Hoc est: Caius Axonius Quinti filius Papiria

ria legionis vigesimæ natus coloniæ Firmicæ Piceno se viuo monimentum fecit sibi, & fratri Quinto Axonio Quinti filio.

Iuxta parthenonem Virginum instituti sancti Dominici, cippus.

ANTHYMVS REB....
SCIENTINI. ET CE....
LERIS SVR....
V. S. A. L....

Hoc est: Anthymus Reburri Scientini, & Celeris seruus votum soluit animo libenti, vel libens.

In agro, quem vocant Ventosæ, lapis oblongus, videlicet cubitorum septem, latus cubitum, & semissem, rudis atque impolitus, quem fabulantur sepulchrum esse Bertrandi vnius ex duodecim Franciæ paribus.

CACALO
AVIOLI
L. I. B.
H I C
S I T.

Hoc est: Cacalo Auioli libertus hic situs.

In do-

In domo tabula marmorea fracta eleganti littera.

. . . .

INSIGNEM PARVO. . . . .
MANS CARMINE AMOR. . . .
REQ. IN PACE D. XIII KAL. . . .
MART. ERA. DLXXXII. . . . .

Hoc est: Insignem paruo mansurum carmine amorem, requieuit in pace Domini decimo tertio Kalendas Martias era quingentesima octuagesima secunda.

VILLA VIZOSA.

AB Heluis digredientem intercipit nobilissimum oppidum, Brigantij ducum sedes, quod ab amoenitate Lusitanus idiotissimus Villam Vizosam nominauit. Vno nomine latine dici non potest, nisi Callipolin græce confingamus, audaci fortassis exemplo, sed lectoribus postquam ea vox assiduitate percrebuerit, minime displiciturо. Proserpinæ ibi delubrum fuit, vbi modo S. Iacobi ædes est, in suburbio, vbi hæc inueni monumenta.

PRO-

PROSER
PINAE
SANCTAE
G. IVLIVS
PARTHENOP
AEVS. VOT
QVOT FECIT
A L P

Hoc est: Proserpinæ sanctæ Gaius Iulius Parthenopæus, vota quot fecit animo libenti posuit.

Q. HELVIVS
SILVANVS
PROSERPIN
AE VOTVM
S. AN. L. P.

Hoc est: Quintus Heluius Siluanus Proserpinæ votum soluens animo libens posuit.

PROSERPINAE
SERVATRICI
C. VETTIVS SIL
VINVS. PRO EV
NOIDE PLAVTIL
LA CONIVGE SIBI
RESTITVTA
V. S. A. L. P.

Hoc eſt: Proſerpinæ Seruatrici Caius Vettius Siluinus pro Eunoide Plautilla coniuge ſibi reſtituta, votum ſoluens, animo libens poſuit.

D. M. S. . . . .

PVLTARIVS

AN. XXIII. H. S. E. S. T. T. L.

SEMNE. ET. SEMN. . . . .

MATRI. POSVERVNT

Hoc eſt: Diis Manibus ſacrum. Pultarius annorum viginti trium, hic ſitus eſt, ſit tibi terra leuis. Semne & Semnine matri poſuerunt.

Ibi etiam modo viſuntur inſcriptiones Endouellici, quas clariſſimus dux Theodoſius ex antiquo fano, quod extat iuxta oppidulũ Therennam, aſportari curauit, & inſeri in frontiſpicio cœnobij fratrum ordinis S. Auguſtini. Sunt autem huiuſmodi:

DEO. ENDOVEL
LICO PRAESTAN
TISSIMI. ET PRAESEN
TISSIMI NVMINIS
SEXTVS COCCEIVS
CRATERVS HONORI
NVS. EQVES. ROMA
NVS. EX. VOTO

Cippus

Cippus fractus.

ENDO VELLICO
ALBIA
IANVARIA.
. . . .

ENDOVOLLICO
SACRVM. MAR-
CVS. IVLIVS.
PROCVLVS
ANIMO. LI
BENS. VOTVM
SOLVIT.

DEO ENDOVELLICO. SAC.
IVNIA. ELIANA. VOTO. SVCCEPTO
ELVIA. YBAS. MATER. FILIE
SVAE. VOTVM. SVCCEPTVM
ANIMO. LIBENS. POSVIT.

Hæ inscriptiones adeo claræ sunt, vt expositione non indigeant.

D. ENDOVELLICO. SA-
AD RELICTITIVM. EX
T. NVMIN. ARRIVS. BA
DIOLVS. A. L. F.

Hoc est: Deo Endouellico sacrum ad relictitium ex testamento numini Arrius Badiolus animo libens fecit.

Q. SE-

Q. SEVIVS. Q. F.
PAP. FIRMANVS
VOTVM DEO
ENDOVOLICO.
S. L. M.

Hoc est: Quintus Seuius Quinti filius Papiria Firmanus votum Deo Endouolico Soluit Libens merito.

ENDOVELLICO
CRITONIA
MAXVMA
EX. VOTO. PRO
CRITONIA. C. F.

Hoc est: Curauit faciendum.

Hic Cippus allatus est illinc ad arcem oppidi Lendroalis, vbi nunc extat.

C. IVLIVS NOVATVS
ENDOVELLICO
PRO. SALVTE
VIVENNIAE
VENVSTAE
MANILIAE. SVAE.
VOTVM. SOLVIT.

Nominis Endouellici causam, aut originem ego penitus ignoro. Nisi si ab oppido propinquo, quod Endouellia forte diceretur, nomen esset impositum. Quòd si nebuloso infelicis gentilitatis æuo superstitionibus ad

dicti Lusitani fuere, certe euangelica luce radiante morati diu non sunt, quin veri Dei cultum, & religionem amplecterentur. Mancio Christi discipulo gloriantur Eborenses, a quo cælesti doctrina sunt initiati. Debēt hoc Bracarenses Petro Ratensi, Apostoli Iacobi discipulo. Propagata breui religio est, & inuitis tyrannis mira pietate adoleuit. Quam natio Lusitana incorruptam, vt a sanctis patribus accepit, ad nostra hæc tempora custodiuit. Et quod non sine magno Dei munere nobis contigit, nec sine magna mea voluptate refero, quassantibus orbem sectis, incolumi religione, integraq. sacrosanctæ Apostolicæ sedis auctoritate perseuerat. Nec solum id, sed longe lateq. etiam per vasti Oceani recessus, & ante nunquam prioribus cognitas regiones, Orientemq. totum, & Antipodas, ipsum Seruatoris nomen propagare non cessat.

D. M. S.
P. PETRONI
VS. CAVTIN.
ANN. LXXXXI
LAVDICE
MARITO PIIS
SIMO POSVIT
H. S. E. S. T. T. L.

Hoc est: Dijs Manibus sacrum Publius Petronius

tronius Cautinensis annorũ nonaginta vnius Laudice marito pijssimo posuit, hic situs est, sit tibi terra leuis.

DE IOVIS FANO.

SVper Exarramam fluuium, duobus pass. millibus infra Terranum oppidum, Iouis fuit olim fanum. Quod adulta iam Christiana pietate in templum sanctornm martyrum Iusti & Pastoris conuersum est. De quo egi in libello ad Ambrosium Moralem Complutensem virum sæpe alias, luculentæ eruditionis gratia in his commentarijs nominandum.

Supra ianuam templi Gothica inscriptio.

✠ HVNC DENIQVE EDIFI
CIVM SANCTORVM NO
MINE CEPTVM IVSTI ET
PASTORIS MARTIRVM
QVORVM CONSTAT ESSE
SACRATVM CONSVMA
TVM EST OC OPVS ERA
DCCXX.

Hoc est: Hunc, pro hoc, denique ædificium sanctorum nomine ceptum Iusti, & Pastoris martyrum, quorũ constat esse sacratum consumatũ est oc, pro hoc, opus era septingentesima vigesima.

I O V I. O. M.
FLAVIA. L. F. RVFINA
EMERITENSIS. FLA
MINICA PROVINC
LVSITANIAE. ITEM COL.
EMERITENSIS. PERPET.
ET MVNICIPI. SALACIEN.
D. D.

Hoc eſt: Ioui opt. maximo. Flauia Lucij filia Rufina Emeritenſis. Flaminica prouinciæ Luſitaniæ, item coloniæ Emeritenſis perpetua, & municipij Salacienſis dedicauit. Ex vno latere eſt arbor mihi incognita. Ex altero latere Aquila expanſis alis quaſi ſubuolatura, in vnguibus triſulcum fulmen habens.

Cippus aliquanto minor ſed elegantior.

I. O. M.
OB PVLSOS A Q. SER
TORIO METELLVM
A D Q. POMP.
IVN. DONA CE
CORON. ET SCEPTRVM
EX ARG. MVNVS
ADTVLIT
FLAMINICAE PHIA
L A M C A E L A T A M
HIERODVLIS COE
NAM DEDIT.

Hoc eſt: Ioui optimo maximo. Ob pulſos a Quinto Sertorio Metellum atque Pompeium

ium Iunia Donace coronam, & ſceptrum ex argento munus adtulit, Flaminicæ Phialam cælatam, hierodulis cœnam dedit.

Alter cippus elegantiſſima littera.

L. RVBRIVS
PRISCINVS
ANN. XXVI. H. S. E.

Hoc eſt: Lucius Rubrius Priſcinus annorũ viginti ſex, hic ſitus eſt.

Sunt tres cippi, ſed poſiti in parietibus templi, contectis interius litteris.

Cubæ non procul Pace Iulia in tẽplo Cippus.

D. M. S.
TERENTI
VS. CRYS
OGONVS
ANN. XXXII. H. S. E. S. T. T. L.

Hoc eſt: Dijs Manibus ſacrum. Terentius Cryſogonus annorum triginta duorum, hic ſitus eſt, ſit tibi terra leuis.

In territorio Ferrarienſi, ſuper Callipodẽ fluuium, quem Sadanum vocari noſtra ætate ſuperius diximus, templum Sanctæ Margaritæ dicatum eſt, vbi olim fortunæ Obſequentis delubrum fuerat, a Flauia Modeſtina Sergij Terentij Aemiliani Centurionis vxore ædificatum. Qui, vt apparet, ſub L. Poſthumio Albino militauerat & emeritus ac diues, ad quietem ſe cõtulit, in prædio vxorio. Hoc ex duobus ibi Cippis colligitur. E quibus alter ſic habet.

FORTVNAE OBSEQVEN
TI. SACRVM
FLAVIA MODESTINA
PERP. EIVS ANTISTES
EX VOLVNTATE TEREN
TI. AEMILIANI VIRI
SVI. IN PRAEDIO
A PATRE FL. MODESTO
SALACIENSI SIBI
RELICTO. A. L. F.

Hoc est: Fortunæ obsequenti sacrum. Flauia modestina perpetua eius antistes ex voluntate Terentij Aemiliani viri sui, in prædio a patre Flauio Modesto Salaciensi sibi relicto animo libens fecit.

Alter vero in duas partes fractus sic.

D.... M. S.
SERG. TERENTIV ... S
SERG. F. AEMI ... LIANVS
CENTVR. EMER. VIX. N ... LXX
ORDIN. DVX. SVB....
L. POST... VMIO MODES
...TINA MARITO
MERENTISSIMO
P. H. S. E. S. T. T. L.


Hoc est: Dijs Manibus sacrum. Sergius Terentius, Sergij filius Aemilianus centurio Emeritus, vixit annos septuaginta, ordines duxit sub Lucio Posthumio, Modestina marito merentissimo posuit, hic situs est, sit tibi terra leuis.

SCHO-

SCHOLIA IACOBI MENOETII VASCONCELLI

In quattuor libros Resendij.





IN vita Andreæ Resendij, in ode ad Coclenium. Phosphorus igneus. Hoc est Lucifer stella. Martialis libro octauo epigrammate vigesimo primo ad Luciferum.

Phosphore redde diem, quid gaudia nostra moraris?
Cæsare venturo, Phosphore redde diem.

Liber Primus.

PAg. 1. lin. 5. *Asserit Plinius.* Libro videlicet tertio cap. 1. his verbis: In vniuersam Hispaniam Marcus Varro peruenisse Iberos, & Persas; & Phœnicas, & Pœnos tradit. Lusum enim Liberi patris, aut Lysam cum eo bacchantes, nomen dedisse Lusitaniæ, & Pana præfectum eius vniuersæ.

Ead. pag. 1. lin. 10. *Alij Lusum non hominem, sed ludum potius, seu Lusionem interpretantur*. Marcianus Capella libro sexto, qui de Geometria inscribitur in ea fuit sententia, vbi ita tradit agens de Lusitania. Cui nomen fabula a Lusu Liberi patris, vel cum eo Bacchantium sociauit. Addit & aliam non minus ridiculam opinionem, credēs Anam fluuium a Lusitaniæ vocabulo cognominari, hisce verbis: Hæc quoque cognominis sui fluuio permeatur, licet eam Tagus quoque arenis illustret auratis.

Ead. pag. lin. 18. *Nec desunt, qui pro Lysa, Lyssam reponant*. Fuit in ea sententia Sigismundus Gelenius in obseruationibus in Plinium lib. 3. cap. 1.

Pag. 2. lin. 11. *Suppostititius Berosi auctor intellexit*. Ioannes Annius in libro de Regibus Hispaniæ cap. 20.

Ead. pag. lin. 27. *Vt in quadam contra Verrem oratione affirmat Cicero*. In sexta actione, quæ incipit: Venio nunc ad istius, quemadmodum ipse appellat, studium, non longe a fine orationis. eius autem verba sunt hæc; Aristæus, qui vt Græci ferunt, Liberi filius inuentor olei fuit.

Pag. 3. lin. prima. *Vnde ipse etiam Bacchus Lysius cognominatus est*. Pausanias in Bœoticis circa medium libri noni, dum Thebanæ vrbis antiqua monimenta enarrat, ita scribit:

bit: Theatro proxima est Liberi patris ædes cognomento Lysij. Cognominis causa, quòd cum olim captiuos complures ex Thebanis vinctos Thraces abducerent, eos cum ad Haliartiorum fines ventum esset, vinculis solutos dimisit, moxq. illis Thracas somno oppressos, occidendos præbuit. Hæc] ille. Aliqui vero credunt a dissoluendis, & eneruandis animis, quod ex vini copia accidere solet: vel quòd curis liberos eos reddat ita Bacchum fuisse appellatum.

Pag. 3. lin. 12. *Stephanus autem in lib. de Vrbibus*. in dictione Belitani. Nec mirum est in hoc errasse Stephanum, vtpote Græcum scriptorem, & qui Hispaniæ situm, ac vrbes, minime ipse peragrasset, quod alios quoque Græcos decepit teste Polybio.

Extat etiam similis error apud eundem Stephanum in dictione Lusitania, dum eam asserit partem esse Bæticæ, cum vlterior Hispania in duas prouincias diuisa olim fuerit, Bæticã videlicet, & Lusitaniam, quod obiter admonere volui, ne eius auctoritas quemquam decipiat. hoc Resendius etiam animaduertit.

Pag. 5. lin. 11. *Strabo enim*. vide Strabonem lib. 3. fol. 103.

Pag. 8. lin. 4. *Ptolemæus*. Libro secundo, vbi agit de Lusitaniæ situ.

Pag. 9. lin. 14. *Ante annos quadraginta, &c.* Hæc de Artabro promõtorio tam diffuse tra-

dita

dita mihi ſemper ſuperuacanea ſunt viſa:quia meo iudicio,neque Pintianus, neque ipſe Reſendius exactè ſenſum Plinij ſunt aſſecuti. Vnde accidit, vt eius verbis vim inferre ſint conati. Plinius enim, cum prius de Celtico,ſeu Nerio promontorio lib.4.cap.20. verba feciſſet, & a Minio, ac Limia fluuiis ad Durium peruemiſſet, tunc demum de Luſitania agere cœpit in ipſo vigeſimo capite, cuius initium eſt: A Durio Luſitania incipit. Nec aliquid eorum, quæ mox ſequuntur ad Nerium promontorium pertinere poteſt. Miror autem tam inſignes viros non aduertiſſe Celticum Promontorium numquam apud Geographos Artabrum appellari, ſed ſemper Nerium, aut Celticum, quamuis omnes conſentiant iuxta illud Artabros populos, ſeu Artotrebas, vel Arotebras habitare. In eo etiam decepti ſunt quòd crediderint Nerium frontem eſſe Hiſpaniæ,cum aperte Plinius eodem capite vigeſimo afferat frontē Hiſpaniæ tribus effici promontoriis, videlicet Olyſipponenſi, Sacro,& Iunonio, ita vt Sacrum e media quoque fronte erumpat. Certum eſt etiam Olyſipponenſe, ſeu Artabrum, Cœlum, terras,& maria diſterminare, vt tradit Plinius. Nā quemadmodum Iunonium ſeu Calpe auſtrale,& occidentale latus Hiſpaniæ diuidit,ita magnum ſeu Olyſipponenſe, vel Artabrum frontis occidentalis eſt terminus, & ab eo ſeptentrionale

nale latus incipit, quamuis ad occasum etiam aliquantulum vergere videatur vsque ad circuitum Nerij promontorij, a quo penitus ad septentrionem terra conuertitur, vt Pomponius Mela tradit lib. 3. ca. primo. Quod vt facilius intelligatur, expendantur verba eiusdem Pomponij libro 2. cap. 6. quæ sic habent: Lusitania Oceano tantummodo obiecta est, sed latere ad septentriones, fronte ad occasum, ex quibus aperte constat ea littora, quę a promontorio Olysipponensi, vsque ad Minium amnem extenduntur, latus septentrionale Lusitaniæ efficere. Quæ vero a Celtico seu Nerio ad Gallicum Oceanum tendunt, latus septentrionale Hispaniæ totius, non autem Lusitaniæ constituunt.

Pag. 11. lin. 12. *oppidum & flumen Aeminiū &c.* Aeminium Ptolomęo oppidum est in Lusitania, Plinio oppidum & flumen lib. 4. cap. 21. & 22. Fit etiam illius mentio ab Antonino in Itinerario, cum illud iter describit, quod ab Olysippone Bracarum ducebat. Fuit autem Aeminium eo loci vbi hodie est oppidum dictum vulgo Agata seu Augeda, quod flumine eiusdem nominis alluitur, & recepta hac sententia, in qua etiam fuerunt Vasæus & Barrerius, emendari debet codex Antonini hoc ordine Conimbrica Aeminium quadraginta millia passuum, Talabricam decem millia passuum. Est autem Çonimbrica oppidum

pidum illud antiquum, quod dirutum cernitur & vulgo Condexa vetus dicitur. Talabrica vero fuit prope oppidum maritimum, quod hodie Aueiro dicitur, & sic bene quadrat passuum numerus a me restitutus. Nam a Condexa Agatham sunt decem circiter leucæ, & ab Agatha Talabricam duæ cum dimidia. Erat autem in codice Antonini numerus transpositus, & præpostere mutatus. Hinc apparet reijciendam esse illorum opinionem, qui existimarunt idem esse oppidũ Aeminium, & illud quod hodie Conimbrigam seu Colibriam appellamus; & eundem fluuium Mundam & Aeminium. Nam vt cetera argumenta breuitatis caussa omittam, id aperte Plinianis verbis repugnat, qui in allegato ca. 22. libri quarti cum prius Aeminium flumen & oppidum nominasset, statim hæc verba adiecit. A Durio Tagus ducentis millibus passuum, interueniente Munda. Præterea habeo apud me Codicem vetustissimum, cuius sæpe mentionẽ faciunt Vasæus, & Resendius, qui inscribitur Chronica Gothorum. Vbi inter cetera, quæ gesta fuisse narrantur ab Alphonso quarto Ordonij filio, cognomento magno, hæc ad verbum scripta sunt.

Multos quinetiam inimicorũ terminos acquisiuit rex iste. Cepit namq. castrum, quod dicitur Nazan. Antensam vero pace acquisiuit.

fuit. Conimbriam ab inimicis possessam hereditauit, & ex Gallæcis postea populauit. Multa quoque alia castra sibi subiecit. Eius tempore Ecclesia creuit, regnumq. ampliauit. Vrbes quoque istæ à Christianis po pulantur: Scilicet Bracharensis, Portugallensis, & Aminiensis, atque Lamecensis. Hactenus ille. Ex cuius verbis aperte colligitur Aeminium, & Conimbriam diuersas fuisse ciuitates, & ex consequenti Mundam, & Aeminium diuersa flumina.

Pag. 25. lin. 2. *De Vettonibus, &c.* Florianus Campensis libro 2. cap. 10. Ait Vettones à Beronibus corrupto vocabulo denominatos fuisse, & eorum regionem, quæ Lusitaniæ pars erat, fuisse figura triangulari, seu triquetra, ita vt latus Septentrionale inciperet ab eo loco, quo Piiorga fluuius Durio miscetur, vsque ad XX. M. Passuum, seu quinque leucas infra oppidum vulgo dictum Fermosel, quod ad ripas ipsius Durij situm est, intra terminos antiquæ Lusitaniæ, qui viginti sex leucis circiter extendebantur ab eo latere. Alterum vero latus a dicto oppido Fermosel per Rodericopolin, & Capramvsque ad fluuium, quo Lusitania a Bætica diuiditur, extendit. Latus vero Orientale describit a flumine Ana, vsque ad Durium, vbi Pisorgam excipit, ducta linea per eum tractum, in quo est oppidum dictum hodie

die Villa Noua de la Serena, ita vt includeret hæc regio intra fines suos Salmanticam, Bletisam, Fermosel, Beiar, Rodericopolin, seu Merobrigam. Licet aliqui putent Mirobrigam seu Mirobricam esse oppidum vulgo dictum Guadramiro: Ciuitatensem autem, seu Rodericopolin esse Augustobricam. Vide Vasæum tomo primo capite decimo.

Pag. 51. lin. 4. *Cetratos pugnare pedites, &c.* Cetram nonnulli crediderunt esse illud scuti genus, quod vulgo Adargua dicitur, inter quos fuere noster Resendius, & Ambrosius Moralis lib. 8. cap. 25. Sed illorum opinioni aperte refragatur locus Silij Italici lib. 3. vbi ita canit.

Fibrarum & pennæ, diuinarumq. sagacem
Flammarum misit diues Callæcia pubem,
Barbara nũc patrijs vlulantem carmina linguis,
Nunc pedis alterno percussa verbere terra,
Ad numerum resonas gaudẽtẽ plaudere Cetras.

Cum enim Cetras resonas hoc est tinnitũ & sonitum edentes vocet, manifeste innuit esse illa parua scuta, quæ Bluqueria dicuntur ex ligno fabrefacta atque ære contecta, quæ clarissimum sonitum inter se collisa edunt, ad quem (veluti Sistris olim Corybantes) Hispani milites tripudiare solebant, quod coriaceis illis & maioribus scutis, seu parmis nequaquam conuenire potest. Adstipulatur huic sententiæ Imago Ipsius Hispaniæ, seu effigies,

figies, quam idem Ambrosius Moralis apponi curauit in principio operis sui, quæ altera manu Iacula & Cetram hoc est Bluquerium, altera vero spicas gerit.

Pag. 179. lin. 1. *Item ab Olysippone, &c.* Videtur Antoninus propter Emeritensis Coloniæ dignitatem, quæ eius tempore in Hispania fere principatum obtinebat, complura itinera ad eam ducentia ex diuersis locis describere voluisse, inter quæ tria ab Olysippone commemorat, duo per extrema latera & ita longiora, tertium vero quasi medium & cōpendiosum. Sunt autem hoc loco exemplaria mire deprauata.

PRIMVM ITER ITA emendari debet.

Ab Olysippone Emeritam M. P. 212.
Sic vel 208.

Equa bona	M.	P.	12.	Couna.
Cetobrica	M.	P.	12.	Setuual.
Ciciliana	M.	P.	12.	Agualua
Malceca	M.	P.	8.	Marateca.
Salacia	M.	P.	20.	Alcacer.
Ebora	M.	P.	40.	Euora.
Ad Anam fl.	M.	P.	60.	Guadiana por Badaios.
Euandriana	M.	P.	12.	Talaueruela.
Emerita	M.	P.	36.	Merida.

Sunt

Sunt M. P. 212. Forſ. 208. Leucæ autem 53.

SECVNDVM ITER ITA legi, & emendari debet.

Ab Olyſippone Emeritam M. P. 212. Forſ. 210. Leucæ vero quinquaginta tres, in hunc modum.

Hierabrica	M. P.	30.	Pouos.
Scalabi	M. P.	22.	Santarem.
Tubucci	M. P.	32.	Abrantes.
Fraxinum	M. P.	32.	Alpalhão ou gauião
Medobriga	M. P.	30.	Aramenha.
Ad ſeptẽ Aras	M. P.	14. Forſ. 16.	Acumar.
Plagiaria	M. P.	20.	
Emerita	M. P.	30.	

TERTIVM ITER SIC emendandum eſt.

Ab Olyſippone Emeritam M. P. 186. vel 196. In hunc modum.

Aritio prætorio	M. P.	38.	Benauente.
Matuſaro	M. P.	50.	Ponte do Sor.
Elteri	M. P.	20.	Alterdochão.
Ad ſeptem Aras	M. P.	28. Forſ. 38.	Acumar.
Budua	M. P.	12.	Noſſa S. de Betoue

Pla-

Plagiaria M. P. 8.
Emerita M. P. 30.
M. P. 186. vel 196. Leucæ vero 46. & dimidia vel 49.

Et ita compendiosum hoc iter breuius erat spatio sexdecim P. M. Quæ leucas quattuor constituunt.

Suspicor etiam Antoninum describere voluisse aliud iter a Salacia Ossonobam, cuius mansiones omnino desunt, nisi pro Salacia Balsam reponamus, vt numerus sedecim M. P. recte quadret, licet mihi non fiat verisimile, tam exiguum locorum interuallum pro itinere esse computandum.

VRBIVM CIVITATVM ET oppidorum nomina latina, & vulgaria.

Forum Limicorum	Ponte de Lima.
Næbis	Neiua.
Bracara Augusta	Bragua Colonia.
Aquæ Flauiæ	Chaues.
Concia seu Contium	Miranda de Douro.
Calem	O Porto.
Lama & Lameca	Lamego.
Lancobriga	A Feira.
Talabrica	Aueiro.
Aeminium	Agueda, vbi etiam flu- (men.

Conimbrica	Condexa a Velha.
Seilia	Seire.
Eburobritium	Euora de Alcobaza.
Collipo	Leiria ex ruinis.
Scallabis, seu Iulium	Santarem.
Ierabrica (præsidiũ)	Pouos.
Moro	Almourol ou Punhete.
Olysippo felicitas Iu-	Lixboa.
Tubucci. (lia)	Abrantes.
Fraxinum	Alpalhão, ou Gauião.
Igædita	Idanha, Velha, Aguar-
Amæa	Portalegre. (da.
Medobrica	Aramenha.
Ad septem Aras	Azumar.
Elteri	Alter do chão.
Matusarum	Ponte do Sor.
Aritium Prætorium	Benauente.
Equa bona	Couña.
Cetobrica	Setuual.
Ceciliana	Agualua ou Agoa de
Malceca (toria)	Marateca. (Moura.
Salacia vrbs Impera-	Alcacer do sal.
Ebora liberalitas Iulia	Euora.
Calantica	Arraiollos.
Cœllium	Ceice iũto de Thomar
Saurium	Soure.
Heluij (tana)	Eluas.
Noua ciuitas Arucci-	Moura.
Serpa, vnde populi Ser	Serpa.
Pax Iulia (penses)	Beja.

Myrti-

Myrtilis Iulia	Mertola.
Merobrica	Santiago de Cacem.
Lacobriga	Lagos. (mão ou Aluor
Portus Hannibalis	Villa noua de Porti-
Offonoba	Estoi prope Pharum.
Balsa	Tauilla.

POPVLORVM NOMINA, seu prouinciarum, in quas Lusitania diuiditur.

TVrdetani populi, qui hodie Algarbienses, inter Anam fluuium, & Oceanum vsque ad Pacem Iuliam extenduntur, ita vt etiam Orichij campum occupent. Algarues, & campo de Ourique. Lusitani dicuntur proprie & peculiari nomine illi, qui Turdetanorum latus septentrionale contingunt, & a Celticis, seu Heluiis vsque ad Cetobricenses, & Olysipponenses, per Eborenses, & finitimos populos extenduntur. Vulgo Entre Teio & Guadiana. Pesures, seu Pæsuri vltra Tagum per Herminios montes vsque ad Cudam fluuium incolunt. Comarca de Couilham & Serra da Estrella. Transcudani populi, qui vltra fluuium Cudam, hodie Coam inhabitant. Riba de Coa vulgo. Barbarij statim post Lusitanos a Cetobrica vsque ad mare collocandi sunt, vbi etiam Barbarium promontorium. Turduli populi a Durio vsque ad Mundam

pertinent non procul a Mari, qui tractus hodie Beira dicitur. Bracari populi sunt, qui a Minio vſque ad Durium incolunt. & ideo Interamnenſes appellantur. Antredoraminho. Aquiflauienſes populi ſunt, qui vltra Bracaros ad orientem ſolem, & verſus ſeptentrionem extenduntur vſque ad Brigantium, & Mirandenſem ciuitatem iuxta Durium ſitam, & vltramontani vulgo dicuntur, ibiq. maxima eſt Luſitaniæ latitudo. Tralos montes.

FLVVIORVM NOMINA.

Anas fluuius Auus	Godiana Rio Auce.
Minius	Minno.
Tagus	Tejo.
Callipus	Cadam.
Durius	Douro.
Limia, ſeu Lethe	Lima.
Vacua	Vougua.
Munda	Mondeguo.
Tamaca	Tamagua.
Cuda	Coa
Ozecarus	Zezere.
Subur	Sor.
Ancus	Rio de Soure.
Seilia	Seire, eſt etiã oppidũ.
Aeminium	Rio Dagueda & opp.
Næbis	Neiua rio & oppidũ.

Celan-

Celandus Rio Grefões.
Cadauus Rio cauado inter fam,& ſposẽde.
Malceca Marateca ribeira,& oppidum.
Ceciliana Agualua ou agoa de Moura.
Naban Flu. qui Tomarium interfluit.

Pag.205.lin.17.*Dicitur Ardiburi profuiſſe Lacobrica ſeptem, &c.* In chronico, quod Vuandalia inſcribitur, cuius auctor fuit Albertus Krantz libro primo cap. vigeſimo, fit mentio Ardaburi ducis rei militaris peritiſſimi tempore Valentiniani Imperatoris. Conſtat autem ex ratione temporis eũdem fuiſſe illum, & hunc, quem Baptiſta Mantuanus Ardiburum nominat.

Pag.231.lin.9.*C. Minicius, &c.* Hæc inſcriptio mihi omnium, quæ hactenus in Luſitania repertæ ſunt, digniſſima ſemper eſt viſa, quæ in hominum notitiam deuenire, & a Luſitanis perpetua memoria conſeruari deberet. Cõtinet enim pium quoddam, & illuſtre facinus cuiuſdam militis Luſitani, cui (quantum ex confractis litteris coniicere licet) Ebutio nomen fuit, a quo Caius Minicius tribunus militum, qui a ſuis pro mortuo derelictus fuerat, ſeruatus, & omnibus humanitatis officiis excultus fuit. Quod exemplum in hoſte tam rarum, tamq. admirabile eſt, vt gens Luſitana non minus Ebutij pietate, quàm Viriati victoriis gloriari merito poſſit.

Vnde Minicius ipſe, vt virum fortem de-

cuit, & Romano nomine dignũ, tam insignem Lusitani viri virtutem, cum summa pietate coniunctam, memorabili etiam grati animi exemplo, quantum in ipso fuit celebrare, & ad perpetuam hominum memoriam conseruare studuit.

Colligitur etiam ex hac inscriptione, id quod apud eruditissimos viros hactenus incertum erat, quo loco videlicet commissa fuit ea pugna, in qua Viriatus Claudium Vnimanum cum vniuerso exercitu fere vsque ad internitionem profligauit. Quis enim iam dubitet in Orichiensi campo non procul ab eo loco, vbi cippus hic visitur, prœlium fuisse commissum?

Pag. 237, lin. 22. *Callipolin, &c.* Simili nomine vocatam vrbem in Calabria tradit Pomponius Mela libro secundo capite quarto. Plinius etiam libro quarto capite duodecimo, vbi Cycladas insulas enumerat, in Naxo Callipolin collocat, quam aliqui Dionysiada a vinearum fertilitate, alij Siciliam minorem appellabant. Quod si ob amœnitatem, & situs pulchritudinem, tam speciosum nomen oppida, & vrbes sortiri queũt, merito noster Resendius Vizosam Amœnam, seu Callipolin nominauit.

Pag. 241. lin. 25. *Nominis Endouellici causam, aut originem, &c.* Sunt qui putent Endouellicum dici a dictione Græca Balos, seu Valos,

ideſt via & endon; hoc eſt intus, & eſſe eum, quę Ethnici vijs pręeſſę crederęt, quemadmodum Terminus agris præeſſe credebatur. Sed inſcriptiones aliud innuere videntur, dum eum pręſentiſſimi numinis vocant, quod viarum cuſtodi parum conuenit. Quare potius a vellendo dictum fuiſſe puto, quod cæca illa ætas iacula, ſagittas, oſſa, & ſimilia corporibus affixa, & hærentia eum auellere, atque extrahere falſo exiſtimaret. Et tunc particula endo, pro valde accipi debet, vt antiqui accipere ſolebant, teſte Feſto. Nam vt cum Reſendio ſuſpicemur, ab oppido Endouellia, quod tunc extare potuit, dictum fuiſſe, adduci nullo pacto poſſum, cum apud Geographos, & ceteros auctores nulla eius fiat mentio.

Laus Deo Opt. Max.



VITA
IACOBI MOENETII VASCONCELLI
AB IPSO CONSCRIPTA.


IHI ex optimis, & piissimis parentibus nasci contigit. Nam pater meus Gondisaluus Mœnetius Vasconcellus, ex antiqua Vasconcellorum familia originem trahens, vir fuit inculpatissimis moribus, & insigni erga Deum pietate, vitæq. integritate memorabilis. Præterea singulari animi fortitudine præditus, qua aduersus fidei hostes tam in Africa, quàm in India strenuam operam Reipublicæ impendit. Mater vero faustum Beatricis nomen sortita, soror fuit clarissimi viri D. Condisalui Pinarij Visensium Episcopi, cuius vitam, & res gestas posteritati tradidimus. Cum vero pater ex India, vbi septennio militauerat, in Lusitaniam rediisset anno salutis millesimo quingentesimo vigesimo secundo, pestilentiæ vitandæ causa, Cetobrica proficiscens, in oppidum inde viginti leucis distans secessit, quod vulgo Alter dicitur, & olim Elteri a Romanis vocatum fuisse constat, ex itinerario Antonini:

vbi

vbi veteres clientelas, & amicos, atque consanguineos habebat: a quibus perhumaniter exceptus, & loci amœnitate captus, ibi ædes ædificauit, in quibus ipse natus sum Kalendis Maij, anno vigesimotertio supra sesquimillesimum.

Nata est etiam in eodem oppido soror mea Leonora Pinaria, quæ nupsit Michaeli Cabedio Senatori Regio, & triumuiro ciuitatis Olysipponensis gubernandæ, cui arcta sanguinis necessitudine coniuncta erat. Fuit enim Michael Cabedius filius Therasię Pinarię, matris meæ sororis: quem ego fraterno amore prosecutus sum, & ab ineunte adolescentia, socium semper habui, & participem omnium consiliorum, & studiorum meorum. Cum ergo in eo amœnissimo secessu, parentes mei quinquennij spatium, cum summa animi tranquillitate, & felici rerum successu, transegissent, dum pater a labore diutinæ militiæ, & longinquæ nauigationis molestiis cõquiescere cupit: Callipolin (quæ vulgo Ciuitas amœna, seu Vizosa dicitur) sedes transtulit, enocatus humanissimis litteris præstãtissimi Ducis Brigantij Iacobi, cuius cliens erat. Quò etiam venit auunculus ipse Gõdisaluus Pinarius eiusdem familiæ addictus. Qui aliquot annos domo nostra vtens, incredibili amore, & beneuolentia, præterea omnibus humanitatis officiis a charissima sorore exceptus, atque

que excultus, in maxima concordia cum parentibus meis vixit, vsque ad annum M D XXXI quo grassante in eo tractu pestilentia, auunculus in vicinam oppido villam, vnà cum matre, & reliqua familia secessit, pater autem domi remansit. Nec multo post auunculus Conimbricam profectus, inde ad ecclesias inuisendas recessit, quas in Vltramontana regione obtinebat, vt in eius vita diffusius narrauimus. Cessante vero ea lue, quæ complura Lusitaniæ oppida afflixit, transactis ruri quindecim circiter mensibus, Callipolin reuersi sumus. Rediit quoque dux ipse, qui Conimbricam confugerat. Nec diu postea vixit.

Mater etiam mea ex puerperio vita excessit, summum dolorem marito, liberis miserandam orbitatem, maximū vero relinquens sui desiderium, non solum fratribus, sororibus, ceterisq. propinquis, sed etiam Illustrissimæ Ioãnæ Ducis vxori, & Isabellæ filiæ, quæ postea Eduardo, regis Emmanuelis filio, nupsit; reliquisq. principibus feminis, cum quibus illi arctissima intercesserat familiaritas. Fuit enim inter nobiles matronas sui temporis, incomparabili virtute, singulari prudentia, & incredibili morum grauitate conspicua. Quas egregias animi dotes ornabat staturæ proceritas, cum decora vultus venustate coniuncta. decessit autem ætatis suæ anno quadragesimo quinto. Nec pater diu conce-

pto ex chariſſimæ coniugis obitu dolori obſiſtere potuit. Anno itaque milleſimo quingenteſimo trigeſimo quinto menſe Februarij graui ægritudine correptus, mortem obiit, cum prius fratrē meum natu maximum Ioannem Menœtium Vaſcōcellum in Indiam miſiſſet, me autem auunculo tradidiſſet, ſub cuius tutela receptus, & liberaliter educatus, Eboræ primum, deinde Olyſippone in eius familia, permanſi, vſque ad annum milleſimum quingenteſimum trigeſimum ſeptimū, quo auunculus iam Zaphienſis Epiſcopus creatus, in Galliam cū ampliſſima legatione miſſus eſt. Nec ſtatim me ſecum ille abduxit, ſed cum Baionam Aquitaniæ vrbem perueniſſet, in qua ei diutius erat immorandum, litteris acerſitum, ad ſe proficiſci iuſſit, vnà cum conſobrinis meis Ioanne Pinario & Michaele Cabedio fratribus, ſub Pædagogo Aluaro Bernardo Cetobricenſi, pio, & graui viro, ſacerdotij ſacris initiato. Erat Pinarius biennio me maior, ego Cabedium eodem temporis ſpatio anteibam, qui tunc decimumquintum annum attigeram. Igitur anno 1538. Octobris menſe ineunte, rebus neceſſariis ad iter opportune inſtructi, Cetobricaq. profecti, Baionam peruenimus. vnde paucis interiectis diebus, ab auunculo Burdigalam miſſi ſumus, ad capiendū ingenij cultum, in celebri Gymnaſio, quod ibi eo tempore florebat ſub mode

ramine

ramine Andreæ Goueani Lusitani, ex Pace Iulia oriundi, viri grauissimi. Vbi in litteris humanioribus biennij tempore versati, quas iam in Lusitania addiscere incœperamus, Baionam ad auunculum ab eodem Goueano perducti fuimus. Nec multo post Tolosam adiuimus, ad iuris prudentiæ studia capessenda, in illa nobili academia, in qua insignes iurisconsulti, tunc ius ciuile, & pontificium interpretabantur. Inter quos Corasius, Monsabracus, Ferrerius, & Ferdinandus Berengarius præcipui habebantur. Illic ergo aliquandiu morati, anno 1542. mense Maij, ab auunculo rursus accersiti Baionam reuersi sumus ego & Cabedius. Nam Pinarius Tolosæ sancti Dominici religionem fuerat amplexus: in qua postea doctor Theologus Parisiis creatus, summam eruditionis, & virtutis famam adeptus est: sed immatura morte præuentus, cum ad Tridentinam Synodum à Lusitaniæ rege missus esset, Romæ vltimum vitæ diem obiit, ætatis suæ anno trigesimo nono. Imminente autem bello, quo rex Franciscus Perpinianum per duces suos obsedit, summum imperium in exercitu obtinente Henrico filio, qui ei postea in regno successit: auunculus e Gallia profectus, & in oppido Cātabriæ, quod vulgo Sancti Sebastiani dicitur, trimestre tempus moratus, inde in Lusitaniam iter direxit. Sed cum in vrbem, quæ Methina Campestris

pestris cognominatur, peruenisset, & a rege iterum in Galliam redire, & apud Franciscum oratoris munere fungi iuberetur: me & Cabedium in patriam proficisci voluit, vt desiderio Therasiæ sororis satisfaceret, quæ filiorũ diuturna absentia, & viduitatis ærũnis afflicta, id ab eo summis precibus efflagitauerat. Cetobricam igitur peruenimus decimoquinto Kalẽdas Ianuarij, anno 1543. vnde ineunte Martio Conimbricam profecti sumus, ad Legalis scientiæ curriculum peragendum: vbi Martinum Aspilcuetam Cantabrum, & Antonium Soarium Olysipponensem, hunc ciuile, illum verò ius canonicum publicè interpretantes, integro triennio audiuimus. Anno autem 1545. mense Iunij, iterum ambo in Galliam ab auunculo accersiti fuimus, quem Rothomagi inuenimus. inde verò Aurelianensem academiam inuisimus, in qua Pamelij Belgæ, Iurisconsulti magni nominis, familiaritae vsi sumus. Deinde Lutetiam, regiam vrbem, totius Galliæ caput adire iussi. (vbi eo tempore & Catholica religio, & litterarum cultus magnopere florebant.) ibi Petrum Rebuffum ius Canonicum perlegentem audire, & eius singulari doctrina frui nobis contigit. Postea in Lusitaniam auunculum secuti sumus anno 1548. sub finem mensis Iunij, quò peruenimus, ante initium Septembris, & aliquandiu morati in re

gione

gione Interanensi, quæ vulgò inter Dúrium & Minium dicitur, vbi auunculus monasteria quædam obtinebat, tandem mense Octobris ad regem Olysipponem peruenimus. A quo ego Tridentum missus sum, ad Concilium sub Iulio III. Pontifice maximo redintegratum, vnà cum Iacobo Siluio viro nobilissimo legationis Principe, & Iohanne Paez Iurisconsulto, ac Iacobo Goueano Theologo. Itaque è Lusitania profecti & felici vsi itineris successu, superatis hiberno tempore, in Hispania Pyrenæis, in Gallia Alpinis montibus Tridentum peruenimus die quinta Martij 1552. Vnde post intermissionem Synodi, quæ contigit die XVIII. Aprilis, Venetias secessimus, vt ibi regium Nuntium expectare, & vrbem totius Europæ pulcherrimam per otium inspicere possemus. Vbi æstate consumpta, Siluius, & Goueanus iterum in Lusitaniam redierunt: nam Paccius Patauij decesserat. Ego verò discedens Verona, ex ædibus clarissimi Antistitis Aloysij Lipomani, qui nos hospitio omnes exceperat, Romam per Ferrariam, Rauennam, Ariminum, Vrbinumq. petens, eò perueni die decimatertia Septembris, anno 1552. Quam florentem & aureo quodam sæculo fruentem comperi, sub Iulio sanctissimo, & sapientissimo Pontifice, quo regnante, sacrosanctæ Ecclesiæ Romanæ Senatus, viris, & vi-

tæ integritate conſpicuis, & omnium diſciplinarum cognitione claris, ac generis ſplẽdore admirandis abundauit. Inter quos cõmemorare libet nonnullos, vt ipſe ex illius temporis memoria, aliquam voluptatem animo percipere poſſim, & ſi qui hæc legent, eis per me, tam clara reipublicæ Chriſtianę lumina innoteſcant. Princeps tunc erat Senatus, & vt vulgò dicitur, Collegij Decanus, Ioannes Petrus Carafa. Aderant Iacobus Mediceus, & Marcellus Ceruius, qui poſtmodũ, omnes tres Summi Pontifices fuerunt. Prętereà Alexander, & Rainutius Farneſij. Ferrarienſis, Mantuanus, Carpenſis, Moronus, Cæſius, Trucſes, Germanus, Criſpus, Sarracenus, Puteus, Cicada, Montis Pultiáni, Sanctæ Floræ, Cornelius, Sabellus, Verallus, Polus Anglus, duo Galli, Bellaius, & Armeniacus. Hiſpani quattuor, Sancti Iacobi, Paciecus, Cueua, Mendocius. Vnus Luſitanus, Michael Siluius illuſtriſſimo genere ortus, & bonarum litterarum ſcientia clarus. Erat prorſus ſuaue in tanta rerum tranquillitate, & in ea hominum luce viuere, atque in tot principum ſingulari humanitate conquieſcere. Sed inuidit tunc fortuna Romanis rebus. Nam mortuo Iulio Pontifice ſummo, ac mox Marcello, qui paucos vixit dies, è vita ſublato, cum ad ſummum Pontificatum perueniſſet Paulus quartus, anteà vt

dixi.

diximus, Petrus Carafa dictus, ea tempora ijq. tumultus, & bellorum semina extiterũt: vt qui rempublicam florentem viderant, eam perturbatam, & afflictam videre, minimè sustinerent. Anno itaque *1556. die vigesimatertia Septembris vrbe egressus sum magnis itineribus, vnà cum illustrissimo viro Dionysio Alencastrio, cuius pater Alphonsus Lusitaniæ Regis apud summum Pontificẽ Orator erat. Cumq. Senas peruenissemus, excepti hospitio a Marchione Sarriæ Dionysij patruo, ipse in Galliam Cisalpinam, quo iter habebat, inde profectus est, ego verò Florentiam, & Pisas, ac mox Genuam perueni. Vnde conscensis triremibus duce Iohanne Mendoncio, Barchinonem appuli sub exitum mensis Octobris. Ex qua vrbe, terrestri itinere, per Celtiberos, & Vaccæos, Pintiam clarum in primis Hispaniæ Tarraconensis oppidum perueni. Ac inde per Methinenses, & Salmanticenses, eam Lusitaniæ partem petij, quæ a Castellæ Regno apud ciuitatem Rodericiam disiungitur: vt auunculum tunc Visensium Episcopum cõuenirem, qui trium dierum itinere, ab eo tractu aberat. Apud quem duos ferè menses commoratus, Olysipponem profectus sum: vbi a præstantissimo Rege Iohanne, benignè exceptus (quæ ipsius fuit humanitas incredibilis) ac de itineris causa, deque Romanarum rerum

suc-

ſucceſſu, familiariter interrogatus, cum ei expoſuiſſem, Eboram mihi eſſe adeundam, ad capiendam canonicatus poſſeſſionem, qui ex auunculi reſignatione, annuente Summo Pontifice, mihi Romæ obtigerat. Gratum id ſibi eſſe dicens, ſuumq. fauorem mihi, meisq. rebus minimè defuturum pollicitus, me honorificè demiſit. Ebora igitur pueritiæ meæ altrix, & altera patria, veluti iure quodam ſuo, fructum ſtudiorum, laborumq. meorũ ſibi vendicans, operamq. meam, & induſtriã, pro collato in me prioris educationis munere repetens, Deo optimo maximo ita diſponente, Roma aduenientẽ excepit anno 1557. menſe Martij, quo tempore Eborenſis Archiepiſcopus erat Henricus Cardinalis, qui poſtea Rex fuit. Agebam tunc ipſe ætatis annum trigeſimumquartum: integra vigebat valetudo, quam etiam Tranſtagani cæli natura non parum iuuare viſa eſt: ſub quo nempe natus, & educatus fueram. Itaque vſque ad annum ætatis ſexageſimumoctauũ, quo hæc memoriæ prodimus, vnum tantum ancipitem morbum pati in ea vrbe mihi contigit, cum iam in ea triginta quattuor annos permanſerim. Quo tempore non ſolum Canonicatus munera obiui, ſed etiam Inquiſitor fidei cum eſſem ab Henrico Principe creatus, anno 1563. integro decennio in ea functione Reipublicę operam nauaui. In qua

S col-

collegas habui viciſſim quattuor (nam a duumuiris apud nos is magiſtratus vt plurimum geritur) quibus cum ſumma concordia comes fui, & ſocius in eo munere obeundo. Collegas verò ipſos hic nominare mihi liceat, propter ſummam meam in illos, dum viuerent beneuolentiam. Primus fuit Doctor Antonius a Caſtro, qui ipſius Henrici Vicarius generalis fuerat, iuris vtriuſque ſcientia, & forenſis exercitationis vſu clarus. Cui ſucceſſit Petrus Aluarez Paredes omnium Inquiſitorum Luſitaniæ Antiquiſſimus, & de ſacroſancto fidei negotio optime meritus. Quo mortuo, cum octuagenarius fere deceſſiſſet, in eius locum ſucceſſit Frater Emmanuel Veiga ordinis ſancti Dominici, inſignis Theologus.

Poſtremum, & quartum collegam nactus ſum, doctorem Hieronymum Sauſam, iuriſprudentiæ cognitione, generis nobilitate, & virtutum omnium ornamentis præſtantem. Cum igitur hos quattuor collegas habuiſſem, ac multo etiam tempore, ſolus tantum munus obiuiſſem, & incredibiles exhauſiſſem labores, nec mihi ſucceſſor à principe daretur: cœpi ab illo ſummis precibus contendere, vt mihi liceret, onus illud tam graue, tandem aliquando deponere. Quod mihi demum quamuis renitens, ac veluti coactus cōceſſit, ea tamen conditione, vt aſſeſſoris no-

mine,

mine, Inquisitoribus in posterum adesse, & definiendis fidei causis interesse vellem, assignato mihi ad vitam eodem salario, quod cum essem Inquisitor habueram, sed libero, & sine aliquo prorsus onere, nisi tantum spontaneo. Ego vero ab anno 1573. quo ab ordinaria illa functione, me abdicaui, nunquam destiti, pro mea virili parte, fidei negotia apud tribunal sanctæ Inquisitionis iuuare, nec desinam, quamdiu id vires ferre poterũt. Quam bene autem, quantaq. cum animi moderatione, diligentia, & integritate, munere eo functus fuerim, satius est aliorum permittere iudicio, quàm a me hìc commemorari. Anno deinde 1577. cum Ebora discedens Olysipponem peruenissem, a serenissimo Rege Sebastiano humanissime exceptus sum, & ad capessendã iterum Rempublicam, ac grauissima obeunda negotia inuitatus: quæ cum ipse recusassem, tantũ abest, vt magnanimus Rex, aliquã ex eo offensionis ansam arripuerit, vt etiam nouum quodam honestissimæ functionis genus excogitauerit, cuius occasione, me retinere, & opera mea vti posset.

Quæ omnia eius immatura mors, & rerum omnium commutatio postea secuta turbauit. Nam eo mortuo, ego iam in senium vergens, & natura ipsa, magis ad honestum, & tranquillum otium, quàm ad negotium propensus, iterum Eboram mihi repe-

tendam, & in ea vrbe sedem stabilem figendam esse decreui. Sed paulo post, Henrico Rege è viuis sublato, & pestilentia non solum apud Eborenses, sed fere per vniuersam Lusitaniam grassante, in villam amœnissimam Silueriam Ebora sex M. P. fere distantem, secessi mense Maij, anno 1580. vbi sub finem Augusti, grauissimo morbo correptus, parum absui ab extremo vitæ periculo. Valetudine autem aliquantulum recuperata, sed nondum plane confirmata, natalis soli, & patriæ desiderio affectus, eo iter intendi, accidit autem, vt eodem tempore, potentissimus Rex noster Philippus, ab Heluensi ciuitate profectus, illac etiam iter haberet, quem tūc minime salutaui, quia ita macie & pallore confectus eram, vt timuerim, propter pestis recrudescentis famam, ne ei molesta, & intempestiua, ea salutatio videri posset. Sed Olysippone postea cōmorantem adiui, & ab eo pro singulari eius, & vere regia benignitate, humanissimis verbis exceptus sum. Cuius nomini, ita deditus semper, atque addictus fui, vt neque amore, nec studio erga ipsum, quisquam me vllo vmquā tempore superauerit. Qua de re, ac etiā de meo erga patriæ incolumitatem studio, incredibiliq. sollicitudine plura dicere potuissem, nisi innata mihi verecūdia, a proprijs laudibus, & captanda inanis gloriolæ aura vehementer abhorreret.

DE ANTIQVITATIBVS LVSITANIAE

Liber quintus.

Auctore Iacobo Moenetio Vasconcello.

DE EBORENSI MVNICIPIO.



ANTIQVITVS hanc vrbem Eboram dictam fuisse, & sic ab eruditis nominari debere, constat tum ex Plinio, Pomponio Mela, Antonini itinerario: tũ etiam ex antiquis Concilijs in Hispania celebratis, & vetustis lapidum inscriptionibus, intra vrbis ambitum, & in eius agro repertis, de quibus mox agemus. Vnde apparet locum Ptolemæi deprauatum esse, qui hanc vrbem Eburam, & quamdam in Bætica sitam, Eboram appellat, cum è diuerso nostra hæc Ebora, altera vero Ebura sit, cognomento Cerealis dicta, teste eodem Plinio, libro tertio, capite secundo, & Pomponio, qui ex eadem Bæticæ prouincia ortus, Mellaria, nempe oppido, fide dignus est testis. Hæc nominis similitudo Strabonem etiam fefellit, & Stephanum in libro de Vrbibus, qui Stra-

bonis verba minus exacte perpendens, quod alterius erat, alteri attribuit, Ἔβουραm pro Ebora accipiens. nec mirum est istos, cum Græci fuerint, & in longinqua regione nati deceptos nominum propinquitate fuisse.

Latinos vero Geographiæ scriptores, quales fuerunt, quos antea nominauimus, non est verisimile hæc nomina incognita habuisse, quos hac in parte nos sequimur. Alteram etiam Eboram Ptolemæus nominat, nō procul à Cæsaraugusta. De nominis autem, & huius vrbis origine, & quisnam primum eam ædificare cœperit, quis quæso certi aliquid asserere queat, in tanta rerum antiquarum obscuritate, nisi qui fabulosis, & confictis originibus, otio abuti, & bonas horas male collocare cupiat? Datum hoc fuerit priscis rerum scriptoribus & vt ita dixerim, Gentilitati sit venia, quòd vrbium primordia, ad deorum, dearumq. fabulas, plusquam aniles referre sint ausi. Nobis, qui eorum superstitionem, non minus ridendam quàm miserandam censemus, veritas in primis cōstare debet, & nihil est asserendum, nisi quod pro comperto habetur, aut grauis alicuius auctoris testimonio, aut verisimilibus coniecturis, aut ipsis etiam inscriptionum veterum monumentis. Sed ne omnino hanc curam neglexisse videamur, non pigebit ea, de vtraque re adducere, quæ nobis sæpe, diuq.

de

de nomine cogitantibus, apud Geographos, & ceteros ſcriptores occurrerunt. Plinius itaque libro tertio capite primo ſcribit Marcum Varronem aſſerere in vniuerſam Hiſpaniam perueniſſe Iberos, & Perſas, & Phœnices, Celtaſq. & Pœnos. Et vt ceteros modo miſſos faciamus, de Celtis, ſeu Gallis, idem aſſerit Strabo libro tertio, tradens eam Luſitaniæ regionem, quæ eſt inter Anam, & Tagum maiori ex parte, à Celtis incoli, & paulò poſt, cum de Nerio agit promontorio, ita habet: Extremi Artabri incolunt, circa Nerium promontorium, quod Occidentalis, & Aquilonaris finis eſt lateris. Circumhabitant Galli, qui colentes Anam fluuium cognatione contingunt. Hæc ille. Ex quibus apertè conſtat, hunc tractum, vbi Ebora ſita eſt, à Celtis fuiſſe habitatum, qui ante Carthaginienſes, & Romanos in Hiſpanijs rerum potiti ſunt. Veriſimile eſt igitur ab Eburonibus Belgis, ſeu ab Eburonicibus Celticæ Galliæ populis, hanc vrbem, & conditam, & denominatam fuiſſe, vt Heluiam, ſeu vt vulgò dicimus Heluenſem ciuitatem, ab Heluis Gallis originem trahere, ſuo loco dictum eſt. Tam pertinax autem fuit, tamq. diuturna Gallorum in Hiſpania mora antiquis illis temporibus, vt cum lingua, & moribus Hiſpanis ſimillimi haberi vellent, Celtiberi dicti ſint. Linguam autem ab illis vſurpatam,

patam, eam fuisse puto, quæ hodie Cantabris in vsu est, & Vasconica dicitur, vel à Vasconibus vltimis Hispaniæ populis, vel ab Aquitanis, qui etiam Vascones dicuntur. Hanc autem Vascônicam linguam Celtis communem, aut etiam Celticam fuisse, confirmat versiculus Ausonij Burdigalensis, cum patriam celebrat, & fontem ibi scaturientem nimijs laudibus extollit in hunc modum. Libet enim Carmina apponere, quia digna sunt, & quia Burdigalensibus, quibus puerilis ætatis cultũ debeo, obiter gratificari cupio.

Salue fons ignote ortu, sacer, alme, perennis,
Vitrèe, glauce, profunde, sonore, illimis, opace.
Salue vrbis genius, medico potabilis haustu.
Duiona Celtarum lingua, fons addite diuis.
Non Aponus potu, vitrea non luce Nemausus
Purior, æquoreo non plenior amne Timauus.

Duiona Gallice fontem diuinum significare innuit, cuius nominis forma, & sonus Vasconicæ Cantabrorum linguæ apte quadrat. Sic enim finiunt vrbium & complura alia vocabula, & hæc vox Ona, apud illos, bonum seu diuinum sonat.

Aquitanos autem nõ modo lingua, sed etiam corporibus, Hispanis magis, quàm Gallis similes fuisse, suo tempore, testatur Strabo initio libri quarti, qui etiam asserit Callaicis, Asturibus, & Cantabris, vsque ad Vascones, & Pyrenen eandem fuisse viuendi formulam.

No-

Nostram igitur Eboram, ab Eburonibus, seu Eburocinibus Galliæ gente, conditam, ac denominatam fuisse, verisimile mihi fit. Nec me latet, etiam in quadam Italiæ parte, Eburinos populos Plinium collocare libro tertio, capite vndecimo: & Pomponium Melam in sinu Gaditano, castellũ Eboram iuxta littus: id enim passim contingere videmus, vt in diuersis orbis partibus nonnulla oppida eodem fere nomine censeantur. Sed vtrum Celtæ illam condiderint, an vero iam conditam, & ædificatam inhabitauerint, merito dubitari potest. Quantum autem coniecturis assequi licet, ego eos conditores huius vrbis fuisse crediderim: quia ante Quintum Sertorium, muris caruisse videtur, ipse enim se mœnibus eam cinxisse testatur. Vnde suspicari fas est, a Gallis, quorum mos erat vicatim habitare, originem traxisse, qui præter hoc municipiũ, minora etiam quædam oppidula, suæ gentis nomine insignita reliquerunt: vt Eboram à monte, in quo sita est, montanam dictam, distantem ab hac, de qua agimus viginti circiter passuum millibus, & Eburobritium sitam inter Scallabin, & Olysipponem, cuius meminit Plinius libro quarto capite vigesimo primo, vbi corrupte, Eburo, Britium, legebatur, quod primus omnium Resendius noster indagauit, minime ab his, qui antea in eum auctorem obseruationes ediderant, animaduer-

maduersum. Mœnia igitur antiqua, quæ etiã nunc extant, & vetus ambitus, seu circuitus, vt vulgo dicitur, Quintus Sertorius condidit, peracto (vt ex eius inscriptione constat) bello Celtiberico, in quo Eborensium militũ prompta, ac strenua opera vsus fuerat.

Constabant autem muri, & quadratis lapidibus, validis propugnaculis, ac turribus, suis locis distincti, adeo firma, solidaq. structura, vt post tot sæcula, tantamque, & tam variam rerum vicissitudinem, adhuc hodie integra illorum cernantur vestigia. Addidit aliud non minus necessarium beneficium, gratissimus ac liberalissimus Imperator, inuecta in vrbem magna aquarum copia, ab duodecim fere millibus passuum, quam ex diuersis fontibus in vnum ductum collectam, ex manubiis magnificentissimo opere perducendam curauit. Sed iam ipsam inscriptionem subiiciamus.

Q. Sertor. . . . .
bonorem nominis sui, & cohort. fort. . . . . . .
Eborensum Munic. vet. Emer virtutis ergo . . . .
Don. Don. bello Celtiberico, deq. manubiis . . .
in public. munic. eius vtilitatem vrb. . . . . . .
mœniuit, eoque aquam diuerseis in duct. . . . .
vnum collecteis fontib. perducendam curau. . . .

Hoc est: Quintus Sertorius ob honorem nominis sui, & cohortis fortissimorum Eborensum municipum, veteranorum, emeritorum, vir-

virtutis ergo donis donatorum bello Celtiberico, deque manubiis in publicam municipij eius vtilitatem, vrbē muniuit, eoque aquam diuerſeis in ductum vnum collecteis fontibus perducendam curauit.

Quo magnanimi viri, eiuſdemq. fortiſſimi ducis teſtimonio, etſi alia deeſſent, ſatis commendata olim fuiſſe videtur Eborenſium virtus, & rei militaris ſtudium. Quam ob cauſam eos præ ceteris totius Hiſpaniæ populis, peculiari quadam beneuolentia proſecutus eſt, adeo vt hic domum, & aliquot libertos habuerit, vnà cū Iunia Donace domeſtica, vt ex duabus marmoreis tabulis conſtat, quarū altera in eadem Q. Sertorij domo in foro piſcario ſita, reperta fuit cum hac inſcriptione.

LARIB. PRO
SALVTE ET INCOLV
MITATE DOMVVS
Q. SERTORI
COMPETALIB. LVDOS
ET EPVLVM VICINEIS
IVN. DONACE DO
MESTICA EIIVS. ET
Q. SERTOR. HERMES
Q. SERTOR. CEPALO
Q. SERTOR. ANTEROS
LIBERTEI.

Hoc eſt:

Hoc eſt: Laribus pro ſalute, & incolumitate domuus Quinti Sertorij, competalibus ludos & epulum vicineis, Iunia Donace domeſtica eius, & Quintus Sertorius Hermes, Quintus Sertorius Cepalo, Quintus Sertorius Anteros Libertei.

Altera iuxta oppidum Terranium, diſtans Ebora ad xxx. m. paſſ. in templo ſanctorum Iuſti & Paſtoris, cuius cippum iam ſuperiori libro Reſendius exhibuit, ex quo apparet Iuniam Donacen, pro victoria illa celebri a Sertorio parta, contra Pompeium, & Metellum illic Ioui, cuius tunc erat delubrum, vota ſoluiſſe. Veriſimile eſt etiam Q. Sertorium erga Eborenſes ita fuiſſe animatum, propter loci opportunitatem, & ad hiemandum feracem, idoneumq. agrum, vnde veris initio, copias educere, & in citeriorē Hiſpaniam proficiſci ſolebat, vt ex Appiano Alexandrino liquet, cuius verba hæc ſunt, libro primo de ciuilibus Romanorū bellis, circa finem. Cum autem ver inſtaret, adinuicem congredi cœperunt, Metellus ſcilicet, ac Pompeius ex Pyrenæis montibus, inter quos hiberna egerāt, Sertorius & Perpenna ex Luſitania. Et paulo poſt: Metellus iterum, ac Pompeius ex Pyrenæis montibus in Iberiam venère, his Sertorius, & Perpenna à Luſitanis occurrunt. & iterum, vbi de nece Sertorij, & de contemptu atque odio militum in Perpennam agit.

Porro

Porro Sertorij virtutem, vnicam illorum salutem fuisse rati, haud facile in Perpennam oculos conijciebant, nec ipsi dumtaxat Romani, verum barbari fere omnes, Lusitanique, quorum opera Sertorius præcipue in bello vsus fuerat. Hactenus Appianus. Nos autem de hac Sertorij in hanc vrbem egregia voluntate, præcipuoq. amore, ita canimus in ea Silua, quam de nostro ex Ebora discessu nuper vnà cum quibusdam aliis opusculis in lucem edi curauimus.

Hic illum certos fama est habuisse penates,
Et proprios coluisse lares, hic dulcia fixit
Limina, quæ trepido belli cessante tumultu,
Incoleret, positis & sæpe reuiseret armis.
Siue loci genio captus, seu gentis amore,
Vel quia ad euentus dubios, bellumq. parandum
Apta foret regio, delectæ robore pubis,
Et virtute virum, vario quos Marte probarat.

Siquis vero fertiles Eboræ cāpos, & circumquaque in modum amphiteatri, obiectos altissimos montes non semel, nec obiter contempletur, ille sane si Romam, & Romanum agrum vmquam aspexit, similitudinem incredibilem fortassis his, qui hæc legent, inter vtrumque tractū deprehendet, hoc vno dempto, quòd Ebora fluuio caret, & mediterranea omnino est. Nam (si parua licet componere magnis) vt Roma ad septentrionē, & orientem solem Tyburtina iuga circiter XVI. M.P. di-

stan-

ſtantia a mœnibus habet, interueniente lata, ac pulchra camporum planitie. Sic Ebora ad eundem cæli ſitum, Oſſam montem aſpicit amœniſſimum, multiſque fontibus, & riuulis vndique ſcaturiētem, atque in eadem fere diſtantia, inter cuius ardua cacumina, & ciuitatis muros, latiſſimi campi patent. Rurſus Sabinis, Præneſtinis, Tuſculanis, atque Albanis montibus verſus Orientém & Meridiem agrum Romanum cingentibus, non abſimiles ſunt ſaltus, eodē fere ſpatio ab Ebora diſtantes, quos Portellenſes, Viennenſes, & Alcaceuenſes, a circumuicinis oppidis vulgo appellamus. Cingitur deinde Ebora iugo montis, quem Murum vocant, præterea Calanticenſi ſaltu, quem Arraiolenſem vulgus nominat, & perpetua deinde montium corona, qui Oſſam ex Septentrionali latere attingunt, & ita circulum efficiunt, quem initio ex eodem loco deſcribere cœpimus, non diſſimilē illi, quo Romanus ager vndique clauditur. Sed quorſum hæc dicet aliquis? vt ad eas cauſas, propter quas, hanc vrbem Sertorio charam fuiſſe diximus, hæc etiam accedat, quòd quandam Romæ ſimilitudinem, & imaginem ex camporum planitie, & montium diſtantia, atque aſpectu deprehendere poterat. Conſtat enim ex hiſtoriographis, qui vitam illius litteris tradiderunt, & præcipue ex Plutarco, perquàm auidum fuiſſe

Romæ

Romæ repetendæ, si compositis discordijs, tuto arma deponere licuisset.

Tradunt etiam maximo semper arsisse desiderio Rheæ matris visendæ, quam vnice dilexit, quia cum infans patre orbatus fuisset, ab ea liberaliter, & peramanter fuerat educatus. Vnde in ea inscriptione, quam superius adduximus, non patris nomen, more Romano, sed matris apposuit. Quo argumento Michael Siluius vir clarissimus, qui ex Episcopo Visensi Cardinalis creatus fuit à Paulo III. Summo Pontifice, contendebat eam memoriam minime esse antiquam, sed ab aliquo huius ciuitatis fautore fuisse confictam, quo regi persuaderet, vt aquęductum a Sertorio olim erectum, & vetustate collapsum, instauraret. Cui elegantissima Apologia Resendius adeo accurate respondit, vt in ea reconditos antiquitatis, & eruditionis suæ thesauros, in patrię gratiam deprompsisse videatur. Cuius ipse sæpius mentionem facere solet, vt qui in ea merito sibi placeret, vir alioqui modestiæ, & candoris amicissimus. Eam Apologiam nos aliquando in lucem edere cogitamus, vna cum alijs eiusdem opusculis, quæ diuisim typis excusa, obliuioni tradita, & fere iam consumpta, atque extincta sunt. Itaque (vt eo vnde digressa est, redeat oratio) potuit Ebora Sertorium tum ob eas causas, in sui amorem trahere, tum

etiam,

etiam, quia opera ab eo extructa, & domestici penates laresq. communes, magnam amoris, & necessitudinis materiam erga hospites, & amicos ciues illi suppeditare potuerunt. Præterea similitudo dulcissimæ patriæ, cuius desiderio flagrabat, subinde afferens, malle se inter suos priuatam, atque humilem vitam degere, quàm exulem in summa potentia viuere. Scimus autem municipia, & colonias, quasi effigies paruas, & simulachra fuisse vrbis Romæ, vt Politianus testatur in secunda epistola libri primi, vbi agit de origine Florentinæ ciuitatis, quam ad Romæ similitudinem conditam fuisse asserit. Quæ consuetudo antiquissima est, & à profugis, & extorribus, ac exteras sedes quærentibus, ad exilij acerbitatem mitigandam, excogitata, quod Virgilius libro tertio in Aenea obseruauit, quem ita loquentem inducit, cum in insula Creta vrbem conderet.

Ergo auidus muros optatæ molior vrbis,
Pergameamq. voco lætam cognomine gentem
Hortor amare focos, arcemq. attollere tectis.

Et mox cum hospitio Heleni, & Andromaches exceptum refert.

Procedo, & paruam Troiam, simulataq. magnis
Pergama, & arentem Xanthi cognomine riuum
Agnosco, Scææq. amplector limina portæ.

Atque iterum libro quinto, dum in Sicilia apud

apud Aceſtem mœnia condentem inducit, ita canit.

Interea Aeneas vrbem deſignat aratro,
Sortiturq. domos, hoc Ilium, & hæc loca Troiæ
Eſſe iubet.

Nil igitur mirum, ſi Quintum Sertorium, virum & bellicis artibus & totius antiquitatis cognitione prǣſtantem, nec a litteris alienum, vt qui eas in Hiſpania edoceri curauerit, priſcos illos heroas hac in parte imitari voluiſſe credamus: & hanc vrbem, a ſe mœnibus, porticu, & aquæductu magnifice ornatam, atque alijs fortaſſe nobilitatam monumentis, quæ temporis iniuria aboleuerit, velut alteram Romam, in ſolatium amiſſæ patriæ elegiſſe, in qua præcipue habitaret, ac manſuras ſedes figeret. Sed fefellit illum, id, quod mortalium ſpes fallere plerumque ſolet, concepta videlicet de proſpero futurorum euentu, & fauentis fortunæ ſtabilitate opinio. Paucis enim interiectis annis, ſuorum inſidijs circumuentus, ac procul a dilecta Ebora trucidatus eſt. In qua ſibi forſitan monumentum viuens poſuerat, vbi veriſimile eſt eius cineres fuiſſe repoſitos, vt famã apud Eborenſes vulgatum ſcimus, ſed certũ eius rei argumentum nemo hactenus inuenire potuit. Inſcriptio autem quæ ea de re circumfertur ab aliquo antiquitatis ſtudioſo conficta videtur. Et quoniam in rebus adeo

antiquis, coniecturis vti licet, non pigebit aliam etiam caufam aſsignare,Sertorianæ erga Eborenſes beneuolentiæ. Tradunt antiquitatum Hiſpaniæ ſcriptores,eas Celtarum gentes, quas diximus ex Gallijs in Hiſpanorum fines commigraſſe, tandem in Luſitaniā perueniſſe,anno ſeptingenteſimo quinquageſimo nono ante Seruatoris noſtri aduentum, quo tempore veriſimile eſt Eboram ab illis conditam fuiſſe. Conſtat autem Romam eodem fere tempore fuiſſe ædificatam, hoc eſt,ante Domini natale, ſeptingēteſimo quadrageſimo ſeptimo anno, ita vt Romanæ vrbis primordia, cum Eboræ origine concurrere videantur. Cuius rei recens adhuc memoria apud Eborenſes Sertorij tempore fortaſsis extabat, non ſolum a maioribus fama, & ſermonibus,per manus tradita,vt plerumque fieri ſolet, ſed etiam litterarum monumentis, & publicis tabulis conſcripta, atque conſignata. Cum enim tam illuſtris eſſet illis temporibus,Romanorum fama, vt ditionis & potentiæ magnitudine,vniuerſum prope terrarum orbem, in ſui admirationē conuertiſſent,quis dubitabit ceteras nationes in magna poſuiſſe gloria, ſimilem illis quacumque in re,etiam minimi momenti, fortunam ſortiri poſuiſſe? Ea ergo originis ſimilitudo, vltra ſitus formam, & patrij ſoli ſimulacrum, illum incitare potuit, ad hanc vrbem, vt fecit,

cit,peculiari quodã ſtudio,ac ſingulari amore complectendam. Nec minori beneuolentia, Iulium Cæſarem, Eboram proſecutum fuiſſe exiſtimandum eſt, tum propter cognomen,quod ab illo receptum retinuit, & Liberalitas Iulia dici voluit, tum etiam propter magnificum titulum, quem in eius gratiam publice dedicauit inſcriptum in marmoreo cippo litteris elegãtiſſimis in hunc modum.

DIVO IVLIO
LIB. IVL. EBORA
OB ILLIVS IN MVN. ET MVN.
LIBERALITATEM
EX D. D. D.
QVOIVS DEDICATIONE
VENERI GENETRICI
CESTVM MATRONAE
DONVM TVLERVNT.

Id eſt: Diuo Iulio,Liberalitas,Iulia Ebora, ob illius in municipes,& municipium liberalitatem, ex decreto decurionum dedicauit. Quoius dedicatione Veneri genetrici ceſtum matronæ donum tulerunt. Quæ autem fuerit Cæſaris liberalitas erga hanc vrbem, ſi du bitetur, ego exiſtimarem conceſſum ab illo Eboræ fuiſſe ius Italicum, vt ex eo tempore

municipium Latij veteris dici cœperit. Sic enim scribit Plinius libro quarto sæpius adducto, cap. 22. oppida veteris Latij, Ebora, quod idem Liberalitas Iulia, & Myrtilis, ac Salacia. Erat autem municipiorum conditio, multis in rebus colonijs præferenda, & præcipue ea de causa, quia municipes teste Gellio, libro decimo sexto, cap. octauo, erant ciues Romani suo iure, & suis legibus vtentes, nullis alijs necessitatibus, neque vlla populi Romani lege astricti; sed coloniarum, alia necessitudo est, non enim veniunt extrinsecus in ciuitatem, nec suis radicibus nituntur, vt municipia, sed ex ciuitate, quasi propagatę sunt, & iura, institutaq. omnia populi Romani, non sui arbitrij habent. Hæc Gellius, Itaque municipia, simul cum ciuitatis Romanæ priuilegijs, & iure, suas leges, suos magistratus, & sua tam publica, quàm priuata instituta, ac sacra retinebant. Coloniæ vero diuersa ratione rempublicam administrabant, vt copiose, & eleganter tradit Onuphrius Panuinus Veronensis, in Commentarijs Reipublicæ Romanæ, in eo libro, qui imperium inscribitur, vbi agit de iure municipum cum suffragio. Municipes enim (vt ait Iurisconsultus Vlpianus, in l. 1. ad municipiales ff.) proprie appellantur, muneris participes, recepti in ciuitatem, vt munera nobiscum facerent, vnde omnibus ciuium

Roma-

Romanorum priuilegijs potiebantur, vno dumtaxat excepto, vt Onuphrius asserit., quòd in curias Romanas descripti non erãt, atque ob eam causam curiatis comitijs, in quibus tamen parum momenti erat, excludebantur. Curiæ enim solum ad eos, qui vrbem Romanã incolerent, pertinebant. Nam qui in municipijs habitabant, sua sacra municipalia pro curijs habebant. Ius vero Italicum, seu antiqui Latij, adeo nobile, & pręcipuum fuit, vt etiam aliquot coloniæ antiquæ, & celebres, minime illud adipiscerentur. Quæ vero Italici iuris dicebantur in maximo id honore, & beneficio ponerent, vt colligitur ex eodem Vlpiano, in l. 1. de censib. quo loco gloriatur Phœnicem Tyriorum coloniam patriam suam, ius Italicum fuisse adeptam, ob insignem erga Imperium Romanum fidem, ceterasq. dotes, quas ibi, vt gratus ciuis commemorat. Et paulo post, in Palæstina (inquit) duæ sunt coloniæ, Cæsariensis, & Aelia Capitolina, sed neutra ius Italicum habet. Quin etiam in Lusitania, & reliquis Hispaniæ prouincijs, Emeritenses, Pacenses, Valentinos, cum coloni essent, iuris Italici esse affirmat idem in l. vltima eodem titulo: quibus addit Galliæ Narbonensis, & Germaniæ nobilissimas colonias. Splẽdor itaque, & dignitas Eborensis municipij, tam ex originis antiquitate, & Italici iuris

prærogatiua, quàm ex eo etiam deprehenditur, quòd immunitatis ius habuerit, vtpote, quæ inter ſtipendiaria Luſitaniæ oppida a Plinio minime numeretur lib. 4. cap. 22. Vt autem olim Cæſaribus, & ceteris Romanorum ducibus, hæc ciuitas grata fuit, ſic quoque a potentiſſimis Luſitaniæ Regibus maximo ſemper in honore eſt habita, & poſt Olyſipponem, Regni caput primum locum obtinere cenſetur, quamuis ei haud libenter hunc honorem ceſſura ſit nobiliſſima Calenſis vrbs, hęc hodie Portugallenſis dicitur, ſita ad oſtium Durij, vt ſuo loco dicemus, cum ad illam hæc hiſtoria peruenerit. Quid autem prohibet carmina noſtra, ex eadem illa ſilua, de hac Eboræ dignitate a Cæſare obtenta, in medium proferri, ex quibus ea, quæ diximus, apertius cognoſci poſſint?

Salue magna parens frugum, fœcunda virorum
Salue altrix, nobis vrbs o gratiſſima ſalue.
Cæſaribus dilecta pijs, adamataq. magnis
Regibus, antiqui retinens monumenta decoris,
Maximus ille ducum, Romanæ gloria gentis,
Iulius à Phrygio deducens nomen Iulo:
Cum quateret terras armis, cum ſidera fama
Compleret, ſolusq. orbis tractaret habenas:
Te titulis, ciuesq. tuos decorauit opimis,
Muneribus, largaq. manu largitus honores
Eximios, Latij tribuit tibi iura vetuſti.
Cæſaris hinc tibi creuit amor, cui marmora quondã

In medio mansere foro, testantia laudes,
Egregiumq. viri decus, à quo Iulia dici
Gaudes, occiduas inter memorabilis vrbes.

Sed vt ad Romanorum monumenta deueniamus, quæ præter iam superius adducta, in ipsa vrbe, & in eius agro reperta sunt, ex quibus antiquitas satis ostenditur. Illa statim iã peruulgata inscriptio sese offert, quæ incipit L. SILO SABINVS, quam Resendius libro tertio iam exhibuit. Cuius interpretationem ab illo prætermissam, tantummodo ibi apposuimus. Reperta autem fuit hæc inscriptio, in prædio cognominato Pomariensi, distante ab hac vrbe xvj. mill. passſ. & ab oppido Vienna, vj. mil. passſ. vbi amœni sunt colles, quos Appianus Alexandrinus vinetis consitos fuisse, & ibi templum Veneris extitisse refert. Constat autem apud omnes Hispaniæ antiquitatum scriptores, vetustissimam esse omnium, quę apud Hispanos hactenus inuentæ sunt. Commissum est enim illud prœlium, inter Caium Plautiũ, & Viriatum Lusitanorum ducem, anno ab vrbe condita sexcentesimo nono, Quinto Fabio Maximo, & Lucio Hostilio Consulibus. Nisi antiquiorẽ esse admittamus, eam, quæ Marco Catoni Censorio tribuitur a Petro Appiano Alexandrino, quæ incipit PALLADI VICTRICI. Sed meo iudicio, illius sæculi antiquitatem parum redolet.

Extat autem apud nos, in agro Sintriensi, in vico cui nomen est Fanum, marmor admodum vetustum, dicatum memoriæ Catonis, sed imperfectum, & lacerum, litteris confractis, & alterum in ipsa Olysipponensi ciuitate, in arce summa, quorum meminit Resendius libro tertio, de quo autem Catone, ibi fiat mentio, nihil certi ausus est asserere. Ego a veritate minime abhorrere putabo eum, qui ad antiquum Censorium referat, quem in vniuersa Hispania Imperium tenuisse constat anno ab vrbe condita quingentesimo quinquagesimo nono: atque etiam in vlteriori Hispania res gessisse Plutarchus testatur, vt etiam Vasæus annotauit, tomo primo, cap. 12. vbi de eius consulatu agit. Hinc illius in Lusitanos amor, ita vt Galbam in eorum gratiam accusarit, mutua etiam Lusitanorum erga ipsum beneuolentia, ob accepta beneficia, quòd verba Sintriensis inscriptionis significare videntur. Sed ad ceteras inscriptiones redeamus. Habuit olim hæc ciuitas nobilem Flaminicam hoc est sacrorum præfectam, seu curatricem, nomine Laberiam, quæ non solum huius municipij, sed etiam totius prouinciæ Lusitaniæ flaminio præerat. Extat eius memoria a libertis dedicata, vt libro primo Resendius admonuit in hæc verba. Laberiæ Lucij filiæ Gallæ, Flaminicæ municipij Eborensis, Flamini-

cæ

cæ prouinciæ Lysitaniæ. Lucius Laberius Artemas, Lucius Laberius Gallæcus, Lucius Laberius Abascantus, Lucius Laberius Paris, Lucius Laberius Lausus. Liberti. Obijt autem in Colliponensi oppido, ex cuius ruinis Leirinensis ciuitas constructa fuisse videtur, quo aliquot vetusta marmora translata sunt, vt suo loco dicemus, inter quæ epitaphium huius Laberiæ visitur, in angulo frontispicij ecclesiæ sancti Stephani, ad sinistram maioris ianuæ partem: in hunc modum.

LABERIAE L. F. GALLAE
FLAMINICAE EBORESI.
FLAMINICAE PROV. LVSI
TANIAE. IMPENSAM FVNE
RIS. LOCVM SEPVLTVRAE
ET STATVAM. D. D. COLLI
PPONESIVM DATAM L.
SVLPICIVS CLAVDIANVS.

Hoc est: Laberiæ Lucij filiæ, Gallæ, Flaminicæ Eboresi, Flaminicæ prouinciæ Lusitaniæ, impensam funeris, locum sepulturæ, & statuam decreto decurionum Colliponesium datam, Lucius Sulpicius Claudianus. In quo marmore, Eboresis, pro Eborensis, & Collipponesium, pro Collipponensium scribi, lectorem monemus, vel incuria marmorarij, vel quia ea loquendi formula, tunc in vsu

erat

erat, vt ex multis alijs inſcriptionibus colligitur. Inuentus eſt & alius cippus, in quo Flaminicæ alterius Eborenſis fit mentio, in prædio, cui *Meſquita* hodie nomen eſt, decem millibus paſſ. circiter ab Ebora, remoto, prope viam, quæ montem Soratium oppidum ducit, vbi veſtigia vetuſtiſſimi fani extant, & aliquot marmoreæ columnæ repertæ ſunt. Eſt autem hic lapis magnitudine, his, de quibus proxime egimus, inferior: ſed elegantius ſculptus, quem vomeris vnco, inter arandũ, erutum aſſerunt, vt in eum, & in complures alios eodem caſu repertos, quadrare poſſint elegantiſſimi Maronis verſiculi libro Georgicorum primo, paucis immutatis.

Scilicet adueniet tempus, cum finibus illis
Agricola incuruo terram molitus aratro,
Exeſa inueniet ſcabra rubigine ſaxa,
Et leuibus raſtris tumulos pulſabit inanes.

Inſcriptio vero eſt huiuſmodi.

D. M. S.

C. ANTONIO. C. F. FLA
VINO. VI. VIRO. IVN.
HAST. LEG. II. AVG. TORQ.
AVR. ET AN. DVPL. OB VIRT.
DONATO. IVN. VERECVN
DA. FLAM. PERP. MVN. EBOR.
MATER. F. C.

Hoc

Hoc eſt: Dijs manibus ſacrũ. Caio Antonio, Caij filio, Flauino ſextumuiro iuniorũ, haſtato legionis ſecundæ Auguſtalis, torque aureo, & annona duplici ob virtutem donato, Iunia Verecunda, Flaminica Perpetua municipij Eborenſis, mater faciendum curauit.

Habuit Ebora etiam antiquis illis temporibus, ciues complures rei bellicæ gloria, & multis alijs virtutibus claros, quibus ob merita in patriam, ſtatuas, & alia monumenta dedicauit. Quorum memoria, tot annorum ſerie, tot Hiſpaniæ cladibus, tanta rerum Romanarum obliuione, tam deformi totius antiquitatis interitu, haud omnino extingui, aut oblitterari potuit. Extant namque aliqua veſtigia venerandæ vetuſtatis, ex quibus conijcere quis poſſit, quàm ferax olim hæc ciuitas fuerit fortium, & illuſtriũm virorum, & in primis ſeſe offert cippus ingẽs marmoreus eleganter ſculptus, qui in Reſendij ædibus viſitur, ſed quo loco ſit repertus, ipſe non dicit, nec nos perueſtigare potuimus. Suſpicamur autem ex fundamentis tẽpli Deiparę Virginis Gratiarũ, in quo Auguſtiniani fratres degũt, erutum fuiſſe, vbi etiam lapis, quem illico apponam, inuentus eſt, teſte ipſo Reſendio. veriſimile autem mihi ſit, ibi forum ciuitatis fuiſſe Romanorum tempore. id enim inſcriptiones ipſæ innuunt.

L. VO-

L. VOCONIO. L. F. QVIR.
PAVLLO. AED. Q. II VIR.
VI. FLAM. ROM. DIVORVM
ET VVGG. PRAEF. COH. I.
LVSIT. ET COH. I. VETTO
NVM. . . LEG. III. ITAL. OB
CAVSAS VTILITATESQ. PV
BLICAS. APVT ORDIN. AM
PLISS. FIDELITER ET CON
STANTER DEFENSAS. LE
GATIONE QVA GRATVI
TA ROMAE PRO. R. P. SVA
FVNCT. EST.
LIB. IVL. EBORA.
PVBLICE IN FORO.

Id eſt: Lucio Voconio, Lucij filio Quirina Paullo, Aedili, Quæſtori, Duumuiro ſextũ, Flamini Romæ diuorum, & Auguſtorum, præfecto cohortis primæ Luſitanorum, & cohortis primæ Vettonum, tribuno legionis tertiæ Italicæ, ob cauſas vtilitatesq. publicas apud ordinem ampliſſimum fideliter, & conſtanter defenſas legatione, qua gratuita Romæ pro republica ſua functus eſt. Liberalitas Iulia Ebora publice in foro.

Eſt autem in marmore ſcriptum aput; pro apud, inſcitia vt credo ſculptoris.

Alter

Alter cippus fractus, & mutilatis aliquot litteris à Resendio ereptus fuit è manibus operarum, vt ipse testatur, cum Architecti in ædificando templo occupati, eum frangere, & sine vllo delectu iam parieti inserere cœpissent: sic vero sese habet ea pars, quæ semilacera remansit.

CILIO Q. F. VOLVS
. . AFF. COH. I. C. R.
. . X. PROVOC. VICTORI
. . . S. . DONATO AB IMP. .
. . II. HAST. PVR. . FII. VEX.
. . . VIC. I. MVR. IIII. OBSI
. . NIB. H. IN. R. P. SVA FVNC
. . . BORENS. CIVI. OPT.
. . . ERITA EIVS IN MVNIC
. . RMOR. BASI AENE.
D. D.

Cuius sensus integer esse videtur. Quinto Cæcilio Volusiano Quinti filio, præfecto cohortis primæ ciuium Romanorum, sexies prouocatione victori, donis donato ab Imperatoribus suis, duabus hastis puris, tribus vexillis, duabus ciuicis, vna murali, quattuor obsidionalibus, omnibus honoribus in republica sua functo, Eborenses ciui optimo, ob merita eius in municipium, statuam marmoream basi Aeneæ dedicarunt. Lapis vero integer in hunc modum mihi sculptus fuisse videtur.

Q. CICILIO Q. F. VOLVS
PRAEF. COH. I. C. R.
SEX. PROVOC. VICTORI
DONIS DONATO. AB IMP.
SVIS II. HAST. PVR. III. VEX.
II. CIVIC. I. MVR. IIII. OBSI
DION. OMNIB. H. IN. R. P. SVA FVNC
EBORENS. CIVI OPT.
OB MERITA EIVS IN MVNIC
STATVAM MARMOR. BASI AENE
Æ. D. D.

Inuenti ſunt duo alij lapides elegantiſſimis litteris inſcripti, in muro antiquo Sertoriano, iuxta ædẽ Sancti Vincentij, quos Alphonſus Cardinalis Emmanuelis Regis filius, ad villam, quæ Vallis viridis dicitur, transferri curauit, cum eſſet Eborenſis præſul, & amœniſſimum illum ſeceſſum, omnibus modis ornare cuperet, vbi nunc viſuntur, in ipſo ædiũ veſtibulo, ſuper baſes decenti ſtructura collocati.

Primus eſt huiuſmodi.

D. M.
CANIDIAE ALBINAE
C. M. F. MATRI CATINI
CANIDIAN. C. M. V.
CONSOBRINI. SVI.
CATINIA M. FIL.
ACILIANA. C. F.
S. P. F.

Id

Id eſt: Canidiæ Albinæ, Caij Munatij filię, matri Catinij Canidiani, claræ memoriæ viri, conſobrini ſui, Catinia Marci filia Aciliana, curauit faciendum. Sua Pecunia Fecit. De Caio Catinio, qui in agro Aſtenſi cum Luſitanis conflixit, & ſex hominum millia in ea pugna occidit, ſed poſtea Aſtam oppugnans, vulneratus occubuit, conſulat, qui volet Liuium Decade 4. lib. 9. meminit etiam Catinij Aciliani Onuphrius Panuinius, lib. 2. Faſt. in inſcriptione quæ incipit LVCIO FABIO. Et iterum in lib. de antiquis nominibus Romanorum, vbi ait ſe legiſſe in quodam marmore, Quinto Fabio Ciloni Septimino Catinio Aciliano Fulginiano, & ita ſex cognomina ab vno vſurpata.

Alter lapis è regione huius erectus hanc habet inſcriptionem, & (quod mirum videri, ac vix credibile poterit) vel leuiter tactus, ſulphureum odorem emittit, teſte ipſo Reſendio.

D. M. S.
ASINIVS
FLORENTIN
VS. ANNO. XXXXV.
H. S. E. S. T. T. L.

Hoc eſt: Dijs Manibus Sacrum. Aſinius Florentinus annorum quadraginta quinque hic ſitus eſt, ſit tibi terra leuis.

No-

Nomen Florentini, ad originis locum referendum videtur, vt intelligamus, hunc Asinium ciuem Florentinum fuisse.

In schedis Resendij nostri annotatum inuenimus repertos fuisse quinq; marmoreos cippos, ordine pari dispositos olim in antiquo muro, iuxta nonam portam, qui omnes vnam inscriptionem efficiebant, quos conqueritur à cæmentarijs fuisse euulsos, & laceratos, ex quorum fragmentis, extat hodie in quadam turri cœnobij sancti Iohannis, hæc inscriptio imperfecta.

G IVNIO. L. F. GAL.
RVLLO
C. NORBANVS. L. F.
IVNIVS. DEXTER.
HERED . . . ES

Id est: Caio Iunio Lucij filio, Galeria, siue ex tribu Galeria Rullo. Caius Norbanus Lucij filius, & Iunius Dexter heredes. Extat eodem loco, & hæc imperfectior.

C. IVNIO. LIGARIO.
. . . . PVLLT . . . F. . .
C. NORBANVS
IVNIVS.
HERES.

Id est: Caio Iunio Ligario Caius Norbanus

nus Iunius heres. Abrásas litteras supplere non potuimus. Apparet autem ex nomine Iunij & Norbani, vnam, & eandem cum superiori fuisse memoriam vt diximus.

In eodem cœnobio extat tabula marmorea, cuius prior pars confracta, siue reuulsa, nusquam apparuit, à Resendio magna cura diu quæsita, vt ipse testatur.

. . IR. STLITB. IVDICAND.
. . LIA. Q. FAVITA. MATER.
. . ITEMQVE D. D.

Hoc est (vt solum integras dictiones exponere nobis liceat, quando aliter facere nõ possumus) Stlitibus iudicandis Quinta Fauita mater, itemq. dedicauit, seu Decreto decurionum.

Suspicor autem cippum erectum fuisse in honorem alicuius decemuiri stlitibus iudicandis, cuius magistratus sæpe fit mentio in inscriptionibus antiquis, & etiam apud Ciceronem, vt tradit Onuphrius in ciuitate Romana, vbi agit de minoribus magistratibus ordinarijs. Aduertendum quoque existimo prænomen Quintæ, sed Quinctæ (sic enim veteres scribebant) Fauitæ feminæ attribui, quæ consuetudo vsque ad Augusti tẽpora permansit, teste eodem Onuphrio, de

antiquis nominibus Romanorum, in capite de mulierum nominibus. Vnde apparet hũc lapidem florente adhuc reipublicæ libertate dedicatum fuisse. Quinta autem dicebatur, quæ quinto loco nata fuerat, hoc est, quæ cũ quattuor sorores haberet, ipsa ab ordine nascendi, Quintæ prænomen fuerat sortita. In vico, qui ducit à foro ad summum templum, qui vulgo via Sellaria dicitur, quòd ibi artifices coriarij habitent, qui ephippia vendunt, in ædibus cuiusdam armorum fabri, extat cippus vtrinque mutilatus in hunc modum.

. . . .
. . N Q V I . .
. . C T I S S . .
. . C O I V C . .
. . C AE S S A . .
. .) I A N I . .
. . I S A V C . .
. . R E N S I . .

Quis quæso, sit adeo ab omni humanitate & litterarum cognitione alienus, qui non ingemiscat, & ægre ferat tam illustria antiquitatis monumenta, sic a rudibus, & imperitis hominibus fuisse corrupta? Gloriatur M. Cicero, vir illa prudentia, illa grauitate, illa

(vt cetera omittam) in republica Romana, auctoritate, libro quinto Tusculanarum quæstionum, ignoratum Syracusani Archimedis sepulchrum a se repertum fuisse; cum in ea prouincia Quæsturam gereret, idq. indicio carminum, quæ audierat in eius monumento esse inscripta. Verba autem ipsius apponam, quia elegantissima sunt, & non omnibus passim obuia: Cuius ego (Archimedē intelligit) Quæstor ignoratum ab Syracusanis, cum esse omnino negarent, septum vndique, & vestitum vepribus, & dumetis, indagaui sepulchrum. Tenebam enim quosdam senariolos, quos in eius monumento esse inscriptos acceperam, qui declarabāt, in summo sepulchro, sphæram esse positam cum cylindro. Ego autem cum omnia collustrarem oculis (est enim ad portas Agragianas magna frequentia sepulchrorum) animaduerti columnellam, non multum è dumis eminentem, in qua inerat sphæræ figura, & Cylindri. Atque ego statim Syracusanis (erant autem principes mecum) dixi me illud ipsum esse arbitrari, quod quærerem. Immissi cum falcibus multi purgarunt, & aperuerunt locum. Quo cum patefactus esset aditus, ad aduersam basim accessimus. Apparet epigramma exesis posterioribus partibus versiculorum dimidiatis fere. Ita nobilissima Græciæ ciuitas, quondam vero etiam doctissima sui ciuium

uis vnius acutissimi monumentum ignorasset, nisi ab homine Arpinate didicisset. Hactenus ille. Ex ore cuius melle dulcior fluebat oratio, eius suauitate, lectorem tantisper nostræ elocutionis tædium condire volui. Nil igitur mirum, si hoc tempore extent homines ignari rerum antiquarum, cum etiam illo sæculo, in Sicilia, & in vrbe Syracusana, Archimedis sepulchrum tam abiecte, & obscure iaceret. Et mihi venia danda erit, si huius Ciceroniani loci occasione, hic versiculos meos adiecero, quibus alibi, de hoc antiquitatis interitu, & corruptis vetustate, Romanorum monumentis conqueror.

Sed collapsa iacent veterum monumenta ruinis
Obruta perpetuis, dumisque, & sentibus altis
Obsita, confractisq. notis, & torrida flammis.
Multa tamen noster Resendius abdita profert
In lucem, & vigili vestigans singula cura,
Antiquum decus, & priscos tibi reddit honores,
Lysiadum gens clara: viro quam debita tanto
Præmia, vix reor exhaustis persoluere arenis
Posse Tagi, aut vectis Eoo ab litore gemmis.

Sed ad reliquas inscriptiones redeamus. Omissis ergo his, quas ad hanc vrbem pertinentes, Resendius iam exhibuit libro tertio, vbi agit de vijs militaribus, vltimam earum, quæ ante Constantini magni tempora dedicatæ sunt, hic reponendam curauimus etiam mutilatam, & aliquot litteris abrasis. Extat

autem

autem in quodam prædio a mœnibus vrbis duodecim M. P. remoto, cui fons Abbatis nomen est.

M. AELIA . . .
TERTVLLA . .
L. CAECILIVS . . .
VXORI. FE . .

Id est: Memoriæ Aeliæ Tertullæ. Lucius Cæcilius vxori fecit. Nec deerunt qui litteram M, monumentum significare putent. A quibus vt dissentiam, mouet me, quòd lapis iste bessalibus, & maioribus litteris sit elegāter exaratus. Deinde quia in superiori parte, desunt illa propria sepulchrorum verba, D. M. S. Dijs Manibus Sacrum, & in inferiori illa, S. T. T. L. sit tibi terta leuis. Pars autem cippi huius adhuc sub terra latet, illa videlicet, quæ aliquot elementa occultare videtur. Visitur autem iuxta initia aquæductus Sertoriani, qui aqua argētea dicitur, cuius iam a nobis sæpius facta est mentio. Atque hic fere fuit Eborensium status, florente Romano Imperio. Quo tandem prolapso, & afflicto Getarum, seu Gothorum armis, ad eius gentis reges, summa rerum Hispaniæ deuenit. Sub quorum dominatu, constat Sisebuti Regis tempore, in hac vrbe, ar-

gentariam officinam fuisse cudendæ monetæ: vt colligitur ex argenteis numis ibidem repertis, in quibus ex altera parte ipsius Regis effigies est, cum hac inscriptione, D. N. SISEBVTVS REX. Ex altera vero crucis signum cum his litteris, CIVITAS EBORA. In circuitu autem scripta sunt hæc verba, DEVS ADIVTOR MEVS.

Vetus etiam numisma sibi ab Ambrosio Morali dono missum testatur Resendius, in quo ex vna parte erat imago Germanici Cæsaris, cum hac inscriptione, GERMANICVS CAESAR AVGVSTVS. Ex altera vero, corona cum his litteris, LIBERALITATIS IVLIAE EBORAE. Turres quoque duæ ingentes a Sisebuto erectæ fuisse dicuntur, quarum vna prope forum initio viæ Sellarię, altera non longe ab ecclesia sancti Iacobi, è regione maioris ianuę cōspicitur.

Nec raro aliorum Gothorum regum numismata in hac vrbe reperta sunt, teste ipso Resendio, in Epistola ad eundem Ambrosium Moralem. Regnare cœpit Sisebutus anno sexcētesimo duodecimo, & regno potitus est annis octo. Fuit Rex clarissimus, & religionis Catholicæ acerrimus defensor, quique ad armorum gloriam, eruditionis, & eloquentię decus adiecerit, vt scribit Rodericus Archiepiscopus Toletanus, & meminit Vasæus, to-

mo priori. Merito igitur Ebora gloriari potest, se a Sertorio fortissimo duce, antea instauratam fuisse, & ab hoc præstãtissimo Rege, longo post tempore, ædificijs, & omni beneficentiæ genere locupletatam. Cuius expeditiones aduersus Romanos feliciter susceptas, non parum iuuisse credenda est, vt olim Sertorianas iuuerat, & in præmium strenuæ à ciuibus suis nauatæ operæ, vtriusque amicitiam, egregiumq. fauorem fuisse consecuta. Sed potior multo illa gloriatio, quòd Christi fidem, in ipsis nascentis ecclesię primordijs amplexa, auctore diuo Mancio Domini discipulo, natione vt traditur Romano, eam per tot sæcula, tenacissime retinuit, hodieq. integram, illibatamq. religiose conseruat: quotidie maius incrementum pietatis, ac diuini cultus, sacrosanctęq. Apostolicæ sedis venerationis suscipiens. Martyrium passus est diuus Mancius, tempore Traiani, aut (vt quibusdam videtur) Neronis, sub præside Validio. Eius corpus Eborę primum ab ethnicis ignominiose abiectum iacuit, post aliquod vero tempus, a Christianis honorifice sepultum, in villa illustris cuiusdam viri duodecim mill. pass. a mœnibus distante diu summa cum veneratione asseruatum, sæuiente postea in Hispania Arabum tyrannide, a pijs hominibus in Asturias, aut in vicinam illis regionem, quæ campestris

dicitur, exportatum, tandem in oppidulo, nõ longe a foro Egurrorum, quod Villam nouã sancti Mancij vulgo appellant, repositũ fuit, in monasterio quodam ordinis sancti Benedicti, sub inuocatione ipsius martyris, vbi religiosissime asseruatur, & incredibili populorum deuotione colitur. Præter hunc sanctissimum martyrem, verisimile est, nonnullos alios in hac vrbe extitisse, cũ in Christianum nomen gentilica rabies desæuiret. Sed trium præcipue memoria extat, Vincentij videlicet, & Sabinæ, ac Christetidis sororum ipsius, quibus Ebora natale solum fuit. Palmam vero martyrij Abulæ tempore Diocletiani, & Maximiani, sub Datiano Hispaniarum præside, vel potius crudelissimo carnifice adepti sunt. Episcopos post beatum Mancium habuit quamplurimos, ex quibus hic aliquot nominare satis erit. Quintianus Episcopus floruit tempore magni Constantini, cum adhuc maiestas imperij Romani in Hispanijs vigeret; vt constat ex Illiberitano concilio, in quo ipse subscripsit. Deinde sub Gothorum regibus, quinque Episcopos Eborenses, seu Elborenses, vt illis temporibus dicebantur, nominatos inuenimus in Synodis Toletanis, nempe, Sisisclum, Abientium, Zosimum, Tructimundum, Arcontium. Reperi etiam in Schedis Resendij, codicem manu scriptum Emeritensis illius Concilij, cuius

ipse

ipſe ſæpe meminit, quod celebratum fuiſſe dicitur a duodecim Epiſcopis, anno natalis domini ſexcenteſimo ſexageſimo quinto, regnante Receſeuntho, cui interfuit Petrus Eborenſis Epiſcopus. Extant in ędibus Reſendianis duo cippi litteris minus elegantibus, & iam Gothicam phraſim redolentibus, quorum primus memoriam continet Iuliani Epiſcopi in hęc verba.

IVLIANVS
FAMVLVS XPI
EPISCOPVS
ECCLESIAE
EBORENSIS
H. SITVS EST.
VIX. ANN.
PLVS MINVS LXX.
REC. IN PA
CE KAL. DECB.
ERA DCIIII.

Id eſt: Iulianus famulus Chriſti Epiſcopus Eccleſiæ Eborenſis, hic ſitus eſt, vixit annos plus minus ſeptuaginta, requieuit in pace. Kalendis Decembris, Era ſexcenteſima quarta. Et ſic anno Natalis Domini quingenteſimo ſexageſimo ſexto.

Alter eſt huiuſmodi:

DE-

DEPOSITIO PAVLI. FAMVLVS DEI VIXIT ANNOS L. ET VNO. REQVIEVIT IN PACE D. III. ID. MARTIAS ERA D.LXXXII.

Hoc est: Depositio Pauli. Famulus Dei vixit annos quinquaginta & vno. Requieuit in pace Domini tertio Idus Martias Era quingentesima octuagesima secunda. Et ita anno salutis quingentesimo quadragesimo quarto.

Euerso deinde Gothico imperio,& vastata ab immani & impia Arabum multitudine, non solum Hispania, sed vniuersa fere occidentalis Europæ plaga, caruit Ebora (proh dolor) libero religionis Christianæ cultu, spatio circiter quadringétorum annorum, quod extremæ cuidam infelicitati adscribi merito debet.

Regnante deinde primo Lusitaniæ rege Alphonso Henrico, quo iustior alter, nec pietate fuit, nec bello maior & armis, a Maurorum tyrannide liberata est, opera,& virtute fortissimi viri Giraldi, cui ob animi & corporis robur, intrepidi, seu absque timore cognomentum Lusitani indiderunt. Cuius effigiem armatam stricto gladio caput Arabis præferentem, & manu sinistra etiam caput puellæ Mauræ gestantem, pro gentilitio nobilitatis insi-

insigni Eborenses habent. De cuius laudibus & bellica virtute, deq. singulari stratagemate, quo hanc vrbem ex insidiis aggressus præclaram victoriam reportauit, si quis encomium scribere cupiat, satis amplam, vberemq. dicendi materiam illi tam illustre facinus suppeditabit. Iterum ergo Ebora episcopalis sedis dignitatem recuperauit, creato Antistite Pelagio viro præstantissimo, suffragante ipso rege Alphonso. Hic autem Pelagius a fundamentis Ecclesiæ ædificationem exorsus, magnificum templum hoc, quod hodie extat, extrui, ornariq. curauit, multaq. ad sacrorum celebritatem, prouentuumq. diuisionem spectantia sapienter decreuit, vt apparet ex antiquis monumentis, quæ in publicis Ecclesiæ scriniis asseruantur. Cui successit Suerius episcopus, qui antea Decani dignitatem ibidem obtinuerat. Et complures deinde vsque ad Henricum Cardinalem, qui primus Archiepiscopus Eborēsis creatus est, regnāte fratre ipsius Ioanne huius nominis tertio, salutis anno millesimo quingentesimo quadragesimo primo.

Habet ecclesia amplissimos redditus, & ex illa quamplurimi insignes viri, quibus semper abundauit, ad amplissimas dignitates assumpti, atque euecti sunt, quos si nominare velim, vereor ne diffusa narratione lectori tædium afferam. Danda vero erit, vt spero,

amori,

amori, vel potius pietati meæ venia, si auunculi mei Gondisalui Pinarij obiter hic mentionem fecero, qui cum canonicus ob singularem doctrinam, morumq. probitatem, ab Alphonso Cardinale, Emmanuelis regis filio electus fuisset, postmodum ad Zaphiensem episcopatum, deinde ad Tingensem, & postremo ad Visensem promotus, & amplissima legatione apud Franciscum Gallorum regem functus, vt diffusius in eius vita narrauimus, mihi eundem canonicatum annuente summo Pontifice resignauit, meq. multis aliis beneficiis affecit, quorum immemor videri possem, nisi oblatam eius nominandi occasionem, hoc loco auide arripuissem. Nec prætermittendum existimo, qua cura, & liberalitate, superiores Eboræ Antistites, in extruendis, dedicandisq. in eadem vrbe Cœnobijs semper claruerint. In primis Vascus Episcopus sanctæ Claræ monasterium, intra nouum ciuitatis ambitum; alterum vero sancti Hieronymi, sub inuocatione sanctissimæ Virginis Deiparę a Rubo nuncupatæ, in amœnissimo loco duobus passuum millibus a mœnibus distante erexit, & vtrumque, magnis redditibus locupletauit. Henricus autem, qui postea Sebastiano successit in regno, cum Eborensi ecclesiæ præesset, collegium insigne, patribus Societatis IESV, vnà cum magnificentissimo templo extruxit, vbi celebrem in-

ſtituit academiam, in qua humaniores litteræ, & Philoſophia, ac ſacræ Theologiæ ſtudia cum pia morum diſciplina maxime florent. Vnde non tantum huic vrbi, ſed etiam ceteris vicinis oppidis, & vniuerſæ Luſitaniæ, ingens vtilitas, ornamentumq. acceſſit. Aedificauit etiam non longe a muris ciuitatis, monaſterium beati Antonij fratribus Franciſcanis, qui ob arctiorem viuendi normam, a pietate denominantur. Cum illis antea aliud exiſſet diſtans ſex millibus paſſuum ab eadem vrbe, prope villam, quæ Vallis viridis dicitur, cuius iam mentionem fecimus.

Nec eſt ſilentio prætereundum nobile templum ſancti Antonij Archimandritæ, quod in publico ciuitatis foro, conſpicuo, & illuſtri loco, erigi eleganti, magnificaq. operis ſtructura curauit, ex communibus cathedralis eccleſiæ prouentibus. In cuius frontiſpicio, eius iuſſu, ab Andrea Reſendio litteris maiuſculis lapidi inſerta inſcriptio conſpicitur huiuſmodi.

Diuo Antonio Aegyptio. Sanctiſſimo
Monachorum Archimandritæ Sacrum
Henricus Diui Emmanuelis Luſitan. Regis
P. F. Inuicti F. S. R. E. Presb. Cardinalis.
Primus Eborenſis Archiepiſcopus. Priore
Diruto. Nouum Hoc. Structura. Formaque
Auguſtiore. Religionis Ergo Erexit.

Diuo Antonio Archimandritæ Sanctiſſ. Sacrum.

Id eſt

Id est: Diuo Antonio Aegyptio sanctissimo monachorum Archimandritæ sacrum. Henricus diui Emmanuelis, Lusitaniæ regis, Pij, felicis, Inuicti filius, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Presbyter Cardinalis, primus Eborensis Archiepiscopus priore diruto, nouum hoc structura, formaque Augustiore religionis ergo erexit.

Diuo Antonio Archrimandritæ sanctissimo sacrum.

Habet hæc ciuitas præter ea, quæ iam diximus, quattuor alia fratrum insignia monasteria, monialium vero septem, non minoris magnificentiæ, de quorum eleganti, sumptuosa, atque admirabili structura, si quis dicere cupiat, ille profecto non breuem concipere queat narrationem.

Qua prætermissa, illud tantummodo addã, in omnibus fere fontes ex marmore candidissimo, adfabre factos, subterraneis aquæ argenteæ canalibus scaturire, vnde & aquandi facilitas religiosis ipsis, & cœnobiis pulchrum ornamentum, & vniuersæ vrbi grata, ac salubris aeris temperies æstiuo tempore prouenit. Portas habet decem, nulla suburbia, præter vnum figulorum, & hortos muris vicinos circiter centum, in quibus hortulani ædes satis commodas habent. Visuntur vndique vsque ad sex millia passuũ innumeræ villæ suburbanæ, nec mediocri sumptu, nec minori ele-

gantia

gantia ædificatæ. Ambitus mœnium tria millia passuum, & quadringenta, quinquaginta duo continet in hunc modum.

A porta Blasiana ad Raimundiam.	pass. 488
Ad Olysipponensem, quæ Alchonchelensis dicitur.	pass. 300
Ad Lacunarem.	pass. 532
Ad Auisitanam.	pass. 370
Ad portam molæ acriæ.	pass. 416
Ad Proditoriam.	pass. 154
Ad Machedinensem.	pass. 262
Ad Mendostephaninum.	pass. 190
Ad Mesquitalem.	pass. 370
Ad Blasianam.	pass. 370

Noua mœnia condidit Rex Ferdinandus primus huius nominis, & numero Lusitanorum regum nonus, qui regnare cœpit anno salutis millesimo trecentesimo sexagesimo octauo, & regnauit annos sexdecim, cuius opera, & industria complures aliæ ciuitates muris cinctæ, & munitæ fuerunt. Constant autem mœnia duplici muro, sed dispari altitudine. interior enim pars duplo altior exteriori, eadem etiam proportione, turres eminentiores habet. Propugnaculis altissimis vniuersus ambitus in formam serræ dispositis, vnpique cingitur, adeo mirabili artificio, vt ex vtroque muro hostes a lateribus, & a fronte missilibus (vt illa tempora ferebant) facile arceri, ac propulsari possent. Sed iam tempus postu-

postulat, vt receptui canamus, & a muris Eboræ recedentes, ceteras Lusitaniæ vrbes, in quibus Romanæ antiquitatis extant vestigia, peragremus. Libet autem pro meo erga Eborenses amore singulari, hanc orationis partẽ, faustis piisq. precationibus claudere, Deum Opt. Max. & cæli Reginam, omnesq. Sanctos, sub quorum numine, & tutela hæc vrbs est, orando ut eam in perpetuam saluam, & incolumem, virtute, iustitia, morum disciplina, rebusq. omnibus florentem conseruent.

Finis Libri Quinti & vltimi.



VITA GONDISALVI PINARII EPISCOPI VISENSIS.

Auctore Iacobo Mœnetio Vasconcello Lusitano.

Et alia eiusdem Opuscula.

SERENISSIMO
PRINCIPI ALBERTO
ARCHIDVCI AVSTRIAE
S. R. E. CARDINALI,

Iacobus Menœtius Vasconcellus P. F. exoptat.

TANTA est vbique tui nominis fama Serenissime Princeps, tam eminens, atque excelsus amplissimæ tuæ dignitatis gradus, vt nemo sit, qui ob heroicas tuas virtutes, & Cæsarei stemmatis claritatem, te non magnopere suspiciat,

atque admiretur. Testis est vniuersa Lusitania, quæ post sapientissimum, fortissimumq. regem suum Philippum, auunculum tuum, ita te diligit, amat, obseruat, atque veneratur, vt delicias suas, & totius regni amorem, ac decus appellare soleat. & merito. Quid enim amabilius, quid præstantius Principe benigno, pio, iusto, sapiente, omni denique virtutum genere ornato? verum ad eas caussas quæ mihi ad te amandum sunt cum omnibus communes, illa etiam propria, & peculiaris accedit, quòd litterarum studijs enixe atque ex animo faueas, vt qui in illis iam inde a teneris annis feliciter sis versatus, & summa cum animi voluptate, earum suauissimos fructus quotidie percipias. Quæ me res impulit, vt cum primum in hanc prouinciam, vna cum tibi charissimo, tuiq. amantissimo rege perueuenisti, & vtriusque iucundissimus conspectus, his terris tamquam aliquod salutare sidus affulsit: statim tibi animum hunc meum, tuo nomini addi-

ctiſſimum, aliquo litterario munuſculo declarare conſtituerim, idque non ſemel, apud amicos, tam præſens, quàm per litteras ſim teſtatus. Sed ab in cœpto me hactenus reuocauerat, tum ingenij mei tenuitas, tum etiam incredibilis quædam de tua eruditione, & iudicij acumine, à me concepta opinio. Sic enim iudicabam, principi doctrina, & ſapientia præſtanti, nil niſi ſummum & omnibus numeris abſolutum dicari debere. Suſtulit autem hunc metum, & omnem tandem procraſtinandi occaſionem, ſingularis quædam humanitatis tuæ fama, qua ceteras virtutes ita exornas, vt dubitem, vtrum tibi plus amoris, & beneuolentiæ, lenitas morum ac benignitas, an vero innumeræ alię animi tui dotes apud homines concilient. Cœpi itaque inter ſcriniola mea perueſtigare quid potiſſimum, tibi hoc tempore offerre poſſem, & illico ſeſe obtulit commentariolum de vita, & rebus geſtis Gondiſalui Pinarij, auunculi mei, ſummatim à me con-

ſcriptum, quod veluti primitias quaſdam lucubrationum mearum me in lucem aliquando editurum ſub tuo nomine ſæpius ſum pollicitus. Quòd ſi hoc meæ erga te obſeruantiæ, & beneuolentiæ pignus, minime tibi diſplicere intellexero, animum mihi, ad maiorá elucubranba, edendaq. addideris. Deus opt. Max. te nobis Sereniſſime Princeps quàm diutiſſime incolumem ſeruet. Eboræ iiij. Kalendas Ianuarij. Annô M. D. XC.

AD EVNDEM PRINCIPEM PANEGYRICVS.



Iuino afflatus Salomon rex numine, vanas
Esse hominum dixit curas, & inania cuncta,
Religione Dei excepta, quæ sola beatos
Efficere, æthereaq. potest in sede locare,
Qui virtute duce, & factis præstantibus ipsam
Rite colunt, veraq. animi pietate sequuntur.
Id tu animo voluens Princeps Alberte, Senatus
Gloria Romulei, genus alto a sanguine gentis
Austriacæ, & Mariæ Augustæ generosa propago.
Illa fugis, quæ vulgus iners sectatur, & acri
affectat studio, nec te de tramite recto
Flectit inutilium leuis admiratio rerum:
Sed summi veneranda Dei præcepta secutus,
Regales inter strepitus, dulcesq. benignæ
Fortunæ illecebras, gaudes florentibus annis
Moribus esse senex, rigidumq. amplexus honestum
Pergis ad antiquos animum traducere cultus.
Non fastu incedis tumidus, densissima quamuis
Turba satellitij cingat latus, & tibi supplex

Sese nobilitas demittat ad oscula dextræ.
Excipis humanę cunctos, nec despicis vllum.
Leniter affaris miseros, inopesq. benignis
Prosequeris donis, nec puro in pectore næuus
Vllus auaritiæ apparet, moresq. pudicos
Perpetuo seruans castæ moderamine mentis,
Ad decus, & veram pietatem accendere factis
Egregiis alios certas, operamq. saluti
Communi impendis, publica commoda curans,
Vt tibi non tantum natus videare, tuisq.
Priuatim studiis, hominum sed factus in vsus.
Nec tamen impediunt te tanta negotia, quamuis
Vndiq. circumstent, ingenti pondere rerum:
Quominus Aoniæ repetas commercia turbæ,
Pieridumq. chorum, Phœbæaq. castra frequentes,
Et modo Graiorum versas monimenta diurna,
Nocturnaq. manu, veteresq. euoluis Athenas:
Nunc Latium, & claros Italæ telluris alumnos,
Adiungis Danaum genti, turbæq. Pelasgæ,
Attica Romanæ miscens modulamina linguæ.
Vnde tibi dulces fructus, requiemq. labori
Quæris, & assiduis interseris otia curis.
Hinc te magnanimus miratur auunculus, orbis
Maximus ille armis rex, ac pietate Philippus:
Teq. sibi socium casus delegit in omnes,
Imperijq. tibi latas commisit habenas,
Lysiadasq. suos, qui te venerantur, amantque,
Faustaq. cuncta tibi exoptant, quos inter amore,
Si certare licet, comitem me iungere primis
Non dubitem, studio tua qui mandata fideli

Expediunt, veraq. colunt te mente, tuiq.
Liminis assiduo pulsant celsa atria gressu.
Sed pudor audendi parcus, tenuesq. pusilli
Ingenij vires, quarum mihi conscius ipse,
Hactenus ignotum tibi me facere, tuisque.
Ardua enim vitans, humiliq. hac sorte libenter
Contentus cupio tranquilla per otia vitam
Ducere, & oppositas studijs incidere curas.
Idq. tibi gratum magis, & laudabile vitæ
Esse genus credam, quàm si me ætate senili,
Vrbis Vlyssææ per compita celsa vagantem,
Ambitio traheret, vulgi sermonibus aures
Præbentem ac procerum tectis, aulæq. vacantem.
Non ea mens nobis, non iis mea conuenit ætas:
Quæ mihi vicenos iam ter quoque computat annos.
Hausimus assiduos tria iam per lustra labores
Dulci pro patria, pro religione, sacrisq.
Legibus, & superum impigre defendimus aras.
Lampada tradidimus claris pietate, fideq.
Et virtute viris, plebisq. equitumq. patrumq.
Insolito applausu, scit me non vana referre,
Hesperiæ pars magna plagæ, quam fluctibus ambit
Oceanus, liquidisq. rigat Tagus aurifer vndis.
Tempore iam ex illo, priuatam ducere vitam
Constitui, immotaq. manet sententia mente.
Nunc tua me virtus, tua terris dedita fama,
Et morum eximius generoso in pectore candor
Hæc offerre tibi munuscula maxime princeps,
Atque iterum doctas desueta ad carmina musas
Sollicitare iubent, positumq. resumere plectrum.

Nam velut Aetnææ Cereri sunt debita frugum
Munera, Cecropiam meritò sibi Pallas oliuam
Vendicat, & dulcis suspenditur uua Lyæo.
Sic modulata pijs debentur carmina vatum
Principibus, quorum cælo nitet æmula virtus.
Ferte chelin, viridi præcingite tempora lauro
Aonides, vos ille colit, studioq. benigno
Et fouet, & teneris semper dilexit ab annis.
Salue magnorum titulis insignis auorum,
Gloria Pannonicæ Princeps clarissime gentis,
Cæsareæq. domus, quam protulit Austria felix,
Austria Cæsaribus regio fæcunda creandis:
Qui vera pietate animi, & victricibus armis
Imperij fines, maiestatemq. tuentur.
Quos intermicat ingenti virtute Rodulphus:
Auspicijs cuius Romana potentia Turcis
Imponet fatale iugum, Scythicosq. tyrannos
Vltra Caucaseas coget remeare paludes.
Ne certent Alberte tibi, cedantq. Piorum
Nomina, quos tantis decorat veneranda vetustas
Laudibus, & meritis attollit Roma trophæis.
Cedat, & Iliacis qui sacra, deosq. ruinis
Eripuit, subijtq. senem ceruice parentem.
Non tibi deliciæ cordi, nec blanda voluptas
Allicit excelsam falsa dulcedine mentem.
Sed neque duritiem morum sectaris inanem.
Ipse tui rigidus censor, placabilis illis:
Quos regis, egregio fidos tibi reddis amore,
Largus opum, rectiq. tenax, seruator honesti,
Summaq. cum rerum tibi sit permissa potestas

Sic tamen imperij moderaris frena benigni,
Vt neque iustitiæ sacras transcendere metas,
Nec sancita semel cupias infringere iura.
Macte animi pietate, Dei reuerentia nulli
Altius infixa est menti, clementia nulli
Maior, & in leges nemo propensior æquas.
Tu regni commune bonum, tu publica quæris
Commoda, tu claros doctrinæ laude, probosq.
Eximia pietate viros complecteris, atque
Efficis, vt dignis sint præmia certa, nec vllum
Ambitus, aut fallax rapiat fortuna fauorem.
Te secura quies animi, tranquillaq. mentis
Sedulitas, reddunt Princeps, seruantq. beatum.
Atque vbi Nestoreos vitæ superaueris annos,
Hæc tandem optato facient succedere cœlo.
Quo neque pyramidum moles, nec montibus altis,
Impositæ ducunt munitis turribus arces,
Sed pietas, & prisca fides, atque ardua virtus.
Hæc satis ò dulces fuerit cecinisse camænæ,
Vicinos Eboræ campos dum Sirius ardens
Vrit, & æstiuas iucunde ducimus horas,
Meq. fouet viridi gremio Silueria villa.
Quam gelidis fœcundat aquis Laurentius amnis,
Et nemus ingenti ramorum protegit vmbra.
Tempus erit, venientq. dies labentibus annis
Cum flauum Tiberim, & Romana palatia, princeps
Albertus, triplici cinctus diademate frontem,
Intrabit, magna regum comitante caterua,
Impositusq. alte solio, plaudente senatu,
Iura dabit populis, rutila quos lampade phœbus

Lustrat, & Oceanus liquidis circunfluit vndis.
Tunc mihi Pegasides vestros penetrare recessus.
Fas sit, & argutos haurire è fonte liquores.
Tunc mihi Mæonij vatis concedite plectrum.

CVM EBORAM REX NOSTER potentiss. & inuictiss. Philippus ingressus est.

EPIGRAMMA.


MOenibus hanc olim validis Sertorius vrbē,
Cinxit, & irriguis nobilitauit aquis.
Iulius egregio Cæsar dignatus honore,
Ciuibus antiqui iura dedit Latij.
Strenuus inuicta Mauris virtute Giraldus
Eripuit, populo restituitq; pio.
Qui modo murorum complectitur ambitus vrbem,
Fernandi regis nobile fertur opus.
Collapsum senio ductum instaurauit aquarum
Ioannes, Eboræ captus amore suæ.
Insignes alii diuerso tempore reges,
Certatim, hanc donis excoluere suis.
Quæ nunc hospitio magni decorata Philippi,
Vertice sublimi sidera clara ferit.
Atque ait, hæc fuerit votorum summa meorum,
Nil, quod posteritas addere possit, erit.

VI-

VITA GONDISALVI PINARII EPISCOPI VISENSIS.

Iacobo Menœtio Vasconcello Auctore.





GONDISALVVS Pinarius Cetobricæ,quę Lusitanię vrbs est, ex claris,& piis parentibus ortus, in prima statim pueritia, litteras humaniores didicit, & mox ineunte adolescentia, iuri Pontificio operam dedit,primum in academia Olysipponensi,quæ eo tempore florebat; deinde in Salmanticensi, vbi sub clarissimis professoribus, breui in litteris magnos progressus fecit, & apud reliquos studiosos non vulgarem sibi virtutis & eruditionis famam comparauit. Itaque in Sancti Bartholomæi collegium admissus, & deinde ad doctoris gradum prouectus,adeo celebri nomine apud Salmanticenses esse cœpit,vt à nonnullis amicis

cis ad Senatoriam dignitatem, ex Pintiana curia inuitatus fuerit. Qua conditione repudiata in Lusitaniam rediit, accersitus a clarissimo principe Iacobo Brigantij duce, regis Emmanuelis ex sorore nepote, cuius familiæ addictus erat: cui operam suam in grauioribus negotiis obeundis biennio nauauit. Quo exacto, ad ecclesias, in quibus sacerdotia obtinebat, ab eodem duce sibi collata, secedere decreuit: quæ in ea regione sitæ sunt, quam vulgo Lusitani vltramontanam vocant. Erat dux eo tempore Conimbricæ, quò pestilentiæ vitandæ caussa confugerat. Obtenta igitur ab eo proficiscendi licentia, in otio tranquillo, & honesto vitam traducere decreuerat in illa regni parte, a strepitu, & aulico ambitu longe remotissima. Distat enim ea regio Olysippone octuaginta circiter hispanis leucis. Sed longe aliter res accidit. nam vix elapso semestri, cum ex amicorum litteris intellexisset, canonicatum Eborensis Ecclesiæ, qui paulo ante vacarat, alicui ex iurisperitis conferendum fore, qui in litteris optimum ingenij specimen dedisset, Eboram se contulit. Qua in vrbe Ioannes Rex, eius nominis tertius, eo tempore moram trahebat. Quo peruenit ineunte Iunij mense, anno millesimo quingentesimo trigesimo tertio. Ac facto virium periculo in legali, & canonica scientia cum aliis candidatis, Alphonsi Cardinalis

regis

regis fratris, qui Eborensi Ecclesiæ præerat, omniumq. canonicorum, qui certamini interfuerant, suffragiis victor declaratus, canonicatum adeptus est. Vnde illi mox ingens eruditionis fama accreuit. Qua rex permotus, senatoriam dignitatem ei sponte obtulit, nec multo post, Episcopum Zafiensem iam designatum, vnà secum Olysipponem proficisci voluit. Vnde post susceptum consecrationis munus, illum confestim in Galliam misit, vt Baionæ, quæ ciuitas est Aquitaniæ, vna cum quibusdam aliis collegis, ardua quædam & difficiliora negotia obiret, quę inter ipsum, & Franciscum Gallorum Regem inciderant, propter nostrorum hominum querimonias. qui se a Gallis fortunis suis spoliatos, & multis affectos iniuriis, assidue querebantur. Nec deerant apud Gallos, qui se à Lusitanis male mulctatos, & pro piratis, atque hostibus immerito habitos dicerent. Cumque eo iam res deuenisset, vt ad arma, & belli incommoda spectare videretur, placuit prudētissimis Regibus, vt commune quoddam tribunal constitueretur, pari iudicum numero, totidemque aduocatis, ac scribis ex vtroque regno, vbi res suas iure repetere possent, qui se vim passos, & iniuria aliqua affectos, legitimis probationibus ostenderent. Qua in obeunda prouincia, cum ipse inter Lusitanos præcipuum locum obtineret, inter Gallos Camagnus

gnus secundus præses senatus Burdigalensis, tanta ab eo diligentia est adhibita, vt sedatis simultatibus, ac mutua inter vtrosque beneuolentia contracta difficillima negotia vtriuque peracta, ac molestissimæ lites sopitæ sint: confluente eò quasi per integrum quadriennium, tamquam ad commune quoddam iustitiæ, & æquitatis asylum, magna hominum multitudine. Qua in vrbe, incredibilem sibi, virtutis, & pietatis famam, tam apud Gallos, quàm apud Lusitanos comparauit. Nullum enim beneficētiæ genus prætermittebat, quò sibi omnium animos, non deuincire studeret. Nam quòd ad Lusitanos attinet, eos, qui ad res repetendas quotidie Baionam ventitabant, perhumaniter exceptos, domi suæ, proprijs expensis alebat. Collegas vero suos & aduocatos regios, frequenter mensæ adhibebat, & omni humanitatis genere prosequebatur. Quam etiam in clarissimum præsidem Burdigalensem, ceterosq. Galliæ regis ministros, tanta beneuolentia, ac sollicitudine exercuit, vt ex æquo ab omnibus diligeretur, obseruaretur, & suspiceretur. Iam vero populus Baionensis, & præsertim ecclesiæ cathedralis canonici, illum, vt charissimum Episcopum, non extraneum, sed suum, summo amore, atque obseruantia sunt prosecuti idque adeo ex animo, vt nihil prætermitterent, quod ad illum venerandum, demerendumque,

dumque, tam publice, quàm priuatim pertinere videretur. Populus enim præter alia multa amoris, & beneuolentię signa, quę quotidie, non solum erga ipsum, sed etiam in comites, & familiares ipsius proferebat. Quoties in publicum prodeuntem conspexisset, lætis acclamationibus omnia illi fausta optando, precandoque, patriæ patrem, & communem omnium ciuium parentem cōsalutabat. At canonici sępissime eum obnixis precibus rogarunt, vt Baionensis Episcopi vices suscipere, & ecclesiæ gubernandę munere fungi vellet. Quam prouinciam cum sæpius recusasset, occupationum suarum magnitudinem obtendens, victus tandem assiduis illorum postulationibus, eam suscepit, verum in ea tantum parte, quæ ad spiritualium munerum curam, & administrationē pertinet. Quòd compertum haberet ea in re operam suam ecclesiæ Baionēsi esse pernecessariam, quæ ob diutinam Episcopi sui absentiam, longo iam tempore eo bono caruerat. Suscepta igitur totius populi incredibili applausu, ecclesię gubernādę facultate, eam in his pręcipue exercuit, quæ ad Pontificis ordinem attinet, nihil imminuens de eorum iure & potestate, quos Episcopus exercendę iurisdictioni, & controuersiis definiendis præfecerat. Verum hos quoque auctoritate, & consilio ita iuuabat, vt quęuis negotia magni momenti, ac ponderis, ad il-

lum

lum referrent, nihilq. nisi ex ipsius nutu, & sententia decernerent. Ceterum, quæ ad pontificale officium, & sacras cæremonias pertinerent, maxima cura, & religiose peragebat. Diuina officia in illa insigni, & sacrosancta ecclesia, astante sibi grauissimo canonicorum cœtu, præcipuis, & valde solemnibus festis celebrare nunquam destitit, quamdiu ibi mansit. Confirmationis sacramentum, non solum pueris, sed etiam prouectæ ætatis hominibus assidue contulit. Ad sacros ordines, cum delectu, multos promouit. Ecclesias complures, tam intra ciuitatis ambitum, quàm in vicinis oppidulis consecrauit. Nihil denique prætermisit integro ferme quinquennio, quod in ea vrbe, transegit ab anno salutis millesimo quingentesimo trigesimo septimo, vsque ad quadragesimum secundum, quod ad vigilantissimi Pastoris munus pertineret. Hinc illi apud omnes summa veneratio, amor, obseruantia. Cumq. omnibus charus esset, ab illis præcipue colebatur, qui morum integritate ceteris præstabant. Viris autem religiosis omnium ordinum, quorum ea tempestate ingens in Gallia florebat multitudo, ita deditus erat, tãq. arcta familiaritate coniunctus, vt illum non secus ac indulgentissimum parentem diligerent. Quorum inopiæ promptam & spontaneam opem libenter afferebat. Eamdem cu-

ram gerens monialium, viduarum, ac pupillorum,omnium denique, quos egestate laborantes, pudor mendicare non sineret. Reliquos vero egenos, quotidie intra ædium suarum vestibulum benigne admissos,partim pecunia iuuabat, partim mensæ reliquijs alebat. Domesticos autem suos & familiares, tanta cura, ac sollicitudine in officio continere perpetuo studuit, vt apud Baionenses non mediocrem inde laudem reportauerit. Vnde contigit vt ciuitas populari quodam erga ipsum studio incensa, episcopum suum & diceret,& ab omnibus ita nominari vellet. Nec deerant,qui assererent minime passuros se,vt ab eo vllo vmquam tempore desererentur. Complura alia amoris & beneuolentiæ signa, atque argumenta in illum quotidie edentes. At cum anno millesimo quingentesimo quadragesimo secundo, accepto a rege Lusitaniæ nuncio, in oppidum, quod vulgo sancti Sebastiani dicitur, in proximis Cantabriæ finibus situm,secedere decreuisset, maxima populum mæstitia,& luctus occupauit, vociferantibus cunctis, eripi sibi pastorem suum,inopum parentem,Sacerdotum decus, & egregia pietate insignem antistitem. Nulla erat domus, nullus vicus, nullum forum, nulla basilica, vbi hæ voces permixtæ lacrymis,& singultibus non exaudirentur,adeo vt cum iam profectionis tempus adesset, dedu-

cente illum regis præfecto Buria, qui officij caussa, ad duo passuum millia exeuntem prosequutus est, vniuersa populi multitudo portis effusa, ingenti edito clamore, patriæ parentem a se diuelli lugubri eiulatu quererentur. Quos ille benigne salutatos, blanda voce, & sedato vultu, bene omnes valere iubēs, tandem, non sine magna difficultate, a se demisit retinens secum aliquot ex canonicorum numero, quos passus est vna proficisci, vsque ad proximum oppidulum, quod sancti Ioannis a Luce vulgo dicitur. Vnde paulo post, illi in vrbem redierunt, ipse vero ad pagum Irunium peruenit, traiecto Aldunia fluuio, qui Gallias ab Hispanijs ibi disterminat, paucis ex domesticis suis secum adductis, quia ceteros ex Biarnensi portu, cum omni supellectile, mari præmiserat. Postera die, Easonem adiens (vulgo Fonterabiam dicūt) vt ex itinere Sanctium Leiuam salutaret, eius prouinciæ præsidem, copiarumq. præfectū, ante solis occasum, ad oppidum sancti Sebastiani peruenit. vbi trimestre tempus exegit, dum ex Lusitania regis nuncium & proficiscendi licentiam expectat. Nec interim a consuetudine sua recessit, reipublicæ iuuandæ. Accepta enim a Pampelonensi Episcopo facultate, ibi quoque spirituale Pontificis munus exercuit, magnamq. gratiam tam ab vniuerso Clero, quàm a reliquis ciuibus iniuit.

uit. Quo tempore iam ad Tingensem episcopatum, ex Zaphiensi, translatus fuerat; Acceptis deinde a rege litteris, quibus redeundi in Lusitaniam spes certa ostendebatur, magno est affectus gaudio, id namque valde concupiuerat, tum vt consanguineos, & amicos post tam diuturnam absentiam inuiseret, tum etiam quia episcopatus cura eum non parum anxium, & sollicitum habebat, licet eo tempore vbique ea consuetudo perperam inualuisset, vt Episcopi raro ecclesias suas inuiserent, prȩsertim in transmarinis rigionibus sitas. Itaque per Vardulorum tractum, qui vulgo *Lepuzcua* dicitur, iter faciens superato sancti Adriani monte, Medinam Campi ineunte mẽse Decembris peruenit, vbi cum insperatus a Lusitania tabellarius assequitur, litteras ferens, quibus iterum in Galliam proficisci iubetur, vt apud Franciscum regem oratoris, ac legati munus gerat. Paucis igitur ibi consumptis mensibus, in adornando itineris apparatu, rebusq. necessarijs comparandis, missitandisq. in Lusitaniam nuncijs, ac litteris, quibus cum rege, de rerum suarum statu, & conditionibus agere necesse fuit: initio veris, anno millesimo, quingentesimo quadragesimo tertio Medina excedens, perq. eadem vestigia viã ingressus, aucta domesticorum turba, & magnificentius re familiari instructa, non sine

ingenti gaudio, & gratulatione populorum, per quos nuper iter habuerat, Baionam peruenit, vbi tanta repente exorta est ob illius reditum lætitia, vt vix sibi ciues temperarēt, quominus ei ad multa passuum millia, obuiā prodirent. Matronæ vero, & reliqua multitudo gratulabundis, faustisq. acclamationibus omnia complere, certatim ex mœnibus egredi, vias & loca muris vicina insidere, vnde eum conspicere, & salutare possent, dicere, ac pro certo credere, suis lacrymis, suis precibus ad Deum optimum maximum effusis effectum, vt communem omnium parentem, & pijssimum Episcopum iterum in vrbe sua incolumem cernerent. Iam vero tectis appropinquantem, maximo applausu, ac incredibili amoris, & beneuolentiæ significatione vniuersa ciuitas domum vsque deduxit: petentes obtestantesq. per suam, erga ipsum, obseruantiam, amorem, pietatem, ne charissimos ciues, immo obsequentissimos filios desereret, neque ab eis vllo vmquam tempore abesse vellet. Misereretur viduarum, pupillorum, egenorum, ac denique omnium ciuium, quibus vt antea eius discessus acerbissimus fuerat, ita modo optatissimus aduentus maximam lætitiam, gaudiumq. afferebat. Quorum studium, & egregiam erga se voluntatem magnopere collaudans, eis tā publice, quàm priuatim gratias egit. Deinde

de expositis profectionis suæ causis, cupere se dixit vrbis sibi amantissimæ conspectu, & ciuium charissimorum familiaritate diutissime frui, sed id in sua minime esse potestate; quia longius iter suum differre nequeat, immo vero illud maturare, atque accelerare necesse habeat. Triduo igitur quieti, & vrbis desiderio concesso, omnibus operam suam, & studium pollicitus, si quid apud regem, aut ipsum Baionensem Episcopum agi cuperent (qui regis aulam sequebatur) Burdigalam proficiscitur. Vnde mox Lutetiam Parisiorum, per Pictauos, & Aurelianenses petens, ad regem peruenit. Apud quem oratoris munere fungebantur Franciscus Noronius, vir summo loco natus, qui postea Linarij comes fuit. cui in legatione succedens, illico apud regem, & reliquos principes, quos eo tempore Gallia & potentissimos, & clarissimos habebat, magnam virtutis, & integritatis famam adeptus est, adeo vt rex illum, quoties venientem ad se conspexisset, bonum & pium Episcopum, coram multis, & diceret, & prædicaret. Quod sapientissimi regis testimonium, magnam ei apud omnes auctoritatem conciliauit. Erat in primis Leonoræ reginæ charus, tum propter singularē eius in Lusitanos omnes volūtatem, quorum Regi antea nupta fuerat, tum etiam ob inculpatissimos illius mores, summamq. vitæ inte-

gritatem, cuius fama regis quoque filios & præsertim Henricum, qui postea patri in regno successit ad ipsum summopere amãdum suspiciendumq. inuitauit. Libet hic obiter exponere certissimam eius coniecturam, quã de eodem ipso Henrico fecerat, aliquot annis antequam ad regnum capessendum accederet, varijs enim de eius indole, & futurorũ euentu sparsis, vt fieri solet, in vulgus rumoribus, & scissis in contrarias partes hominũ studijs, dum aliqui Aurelianensi duci magis fauerent, ipse vt erat acerrimo iudicio, & magna rerum experientia præditus, nonnumquam ab amicis rogatus, quid de eius moribus, & imperandi artibus in posterum præsagiret, constantissime semper asseruit, Henricum magni, inuictiq. animi principem, si quando ad regni gubernacula tractanda peruenisset, in regem maximum clarissimumq. euasurum. Nec illum sua fefellit opinio. Nam inter fortissimos, potentissimosq. Galliæ reges, vix vnum, aut alterum reperire licet, qui sit cum illo comparandus, siue animi magnitudinem, & rerum gestarum gloriam, seu pietatem, & Christianæ religionis studium spectes. Cum igitur erga Henricum sic esset animatus, seq. ab illo non mediocriter amari perspexisset, frequenter ad ipsum, viuente adhuc patre, ventitare solebat, nullam occasionem prætermittens, tanti sibi principis

con-

conciliandi. Conijciens id,quod euentu cõprobatum eſt, fore, vt Franciſco rege vita functo, magnum ſibi ea res adiumentum aliquando afferre poſſet ad difficiliora quædam legationis ſuæ capita facilius pertractanda. In quo etiam ſingulari ſtudio Anæ Momorantij præfecti prætorio adiutus fuit, qui apud Henricum, gratia, & auctoritate, primum locum obtinuit. Quem virum enixe ſemper coluit, & omni officij genere ſibi deuincire numquam deſtitit, præſertim eo tempore, quo ipſe Momorantius, ob alienatam a ſe. propter leues quaſdam ſuſpiciones, Franciſci voluntatem, ab aula excedens, in oppida quædam ſuæ ditionis, Lutetiæ vicina,ſe recepit. Vbi poſtquam aliquot annos, in otio honeſto,cum magna animi tranquillitate vitam egiſſet, ab Henrico confeſtim poſt ſuſcepta regni gubernacula, accerſitus, & reipublicæ adminiſtrationi adhibitus fuit. In qua ita ſe geſſit, vt nihil dici poſſit tam magnificum, quod eius laudes,& immortalem nominis glo riam vlla ex parte æquare poſſit. Tanti itaq. viri amicitia, & opera ſubnixus, cum primũ Henricus inſignia regni ſuſcepit, res maximas difficillimaſq. confecit, quas antea, iniquitate temporum impeditus, ad exitũ perducere nequiuerat. Cum igitur apud Franciſcum,& Henricum legati munere cum ſumma laude functus eſſet, in Luſitaniam redire

ſtatuit, conſumpto in Gallia integro decennio: quo tempore ingens pondus æris alieni contraxit: erat enim a ſordibus, & ab omni auaritiæ ſpecie valde alienus: & quamquam mediocritatem maxime probaret, & ſuapte natura ad frugalitatem eſſet propenſus, in publico tamen oratoris munere obeundo, magnam, & ornatam domeſticorum turbam alere, & ſplendida, lautaq. menſa vti neceſſe erat, quæ optimo cuique ſemper patuit, Luſitanis præſertim, quorum ea tempeſtate Lutetiæ non mediocris erat numerus. Multi præterea nobiles, & inſignes viri, tam ex Gallis, quàm ex Hiſpanis Leonoræ reginæ familiæ addicti, ad illum aſſidue commeſſatum veniebant. Aderant etiam ex Luſitania non pauci magnates, qui legatione regia fungentes vel in Belgium ad Carolum Imperatorem, vel in Germaniam ad Ferdinãdum Romanorum Regem, vel in Angliam, aut Italiam, ceteraſque Galliæ vicinas gentes, illac iter habebãt. Quos omnes magnifice hoſpitio exceptos, omni officiorum genere proſequebatur. Ad hæc præcipuam curam ſemper adhibuit, in ſubleuandis oppreſſis, & egenis hominibus, qui ex Luſitania in Galliam perpetuo cõfluebant, a piratis capti, & fortunis omnibus ſpoliati, quibus opẽ promptiſſime afferebat, adeo, vt etiam menſæ ſuæ ſupellectile argentea, nummulariis pignoris nomine aſſignata, non-

nonnullos ex ergaſtuli, & triremium vinculis, vbi iniuſte detinebantur, liberauerit. Non deerat viris ſtudioſis, & piis, qui in Pariſienſi academia verſabantur, quorum conſuetudine aſſidue vtebatur, modo hos, modo illos mẽſæ adhibens, atque aliis beneficiis ſibi deuinctos reddens. Religioſorum cœnobia libenter inuiſebat, & peculiari quodam amore, Carthuſianos fratres amplectebatur. nec abs re puto paucis exponere, quàm ardenti ſtudio, quàmq. aſſidua cura, per omnem ætatem litteris deditus fuerit. Atque, vt iuris prudentiam omittam, qua inter inſignes iuris conſultos ſui temporis in primis floruit; Græcas litteras Baionæ prope iam ſenex diſcere cœpit. Nec erubeſcebat, cum ea eſſet ætate, & auctoritate diſcentis perſonam aſſumere. Quinimmo vt ceteros ſuo exemplo ad virtutis, & bonarum artium amorem excitaret, palam & adhibitis nonnumquam amicis, ac familiaribus, præceptiunculas, & minutias illas grammaticæ artis ſibi perlegi, & inculcari volebat, tantumq. breui tempore in eius linguę cognitione profecit, vt eam exacte, & ad vnguem calleret, & omne genus auctorum inoffenſe, ſumma cum voluptate animi euolueret. Nec ea re contentus, vt erat otij impatiens, & diſcendi cupidus, linguæ quoque Hebrææ cogntionem ſibi comparauit, in qua multum ſtudij, & laborem inſumpſit, dum

per eam faciliorem sibi aditum parat, ad sacrę scripturę lectionem, quam semper ceteris studiis adeo antepofuit, vt diceret nihil magis decere viros bonos, ac pios, pręsertim sacerdotio addictos, quàm vt ceteris omnibus studiis omissis, penitus se sacrorũ librorum lectioni traderent, quod ipse, quoad eius fieri potuit efficere conatus est. Nam quamuis plurimis, grauissimisq. occupationibus districtus, numquam noui, & veteris testamenti libros legere, & tam Gręcos, quàm Latinos interpretes euoluere destitit. Adhibitis etiam Hebraicę linguę commẽtariis, quibus tamquam subsidiaria ope adiutum ad diuinarum litterarum pleniorem cognitionem se peruenire posse sperabat: cuius linguę addiscendę occasionem illi Parisiensis academię opportunitas obtulit. Ad Gręcas etiam litteras exactius perdiscendas vsus est ibi opera Ioannis Cheredami viri doctissimi, ex ipsa Gręcia oriundi, cuius nonnulla extant opuscula. Adiecit & Astronomiæ, & Geographiæ studium. Denique nulla est ars, aut liberalis, & digna ingenuo, & pio viro disciplina, quam non attingere, & delibare voluerit. Vt autem tãquam ex diuerticulo ad eius in Lusitaniam profectionem redeamus, sub finem mensis Iunij anno millesimo quingentesimo quadragesimo octauo, iter est ingressus, vnà cum Frãcisco Noronio, cuius antea meminì,

mini, qui ad ſalutandum Henricum, iterum in Galliam miſſus fuerat. Itaq; a Lutetia per Aurelianenſes, & Pictauos, Burdigalenſesq. Baionam peruenit ad vigeſimumquintum Kalendas Auguſti, vbi & a Regio præſide Capellio, qui tunc vrbi præerat, & ab vniuerſo populo honorifice exceptus, & aliquot dies cõmoratus, vt vrbis deſiderio ſatisfaceret, iterum ſe itineri accinxit. Deinde per Pyrenei iuga, perq. Victorienſes, Burgenſes, Pintianos, Salmanticenſes, eam Luſitaniæ regionẽ petijt, quæ Interamnenſis dicitur, quòd inter Durium, & Minium amnes ſita ſit, vt monaſteria ſibi paulo ante a rege collata inuiſeret. In quibus reliquam æſtatis partem tranſegit, & ineunte Octobris menſe, Olyſipponem ſe contulit, ac ſtatim in numerum Senatorum, qui Palatini dicuntur, cooptatus eſt. In quo munere, vt in ceteris magiſtratibus, quos geſſit, ſingularem apud omnes fidei, & integritatis famam eſt adeptus. Ea autem erat in omnes humanitate, & comitate, vt certatim libellos ſuos ſupplices ad illum reijci, ab ipſo rege contenderent, & (quod raro accidere ſolet) etiam repulſam paſſi, æquis animis diſcederent, tanta, ac tam conſtans erat, de eius virtute, & ſingulari doctrina vulgo concepta opinio. Cum igitur aliquot annos in aula non ſine magna nominis celebritate, verſatus, nec minus regi, reliquiſq. princi-

pibus,

pibus, quàm populo charus, strenuam, fidamque operam reipublicæ nauasset: anno millesimo quingentesimo quinquagesimo tertio, Visensem vrbem, cuius Episcopatũ adeptus fuerat, inuisere decreuit, sexagesimum tertium ætatis suæ annum agens. Longum vero esset dicere, ac commemorare, quanta cum laude pontificium munus ibi administrauerit, nec expectandum a me est, vt singula eius facta egregia, & pio Episcopo digna, referre aggrediar: id enim longiorem narrationem requirit, qua lectorem defatigare mihi non est in animo: sed summatim, ea tantum attingere, quæ insigniora mihi visa sunt, ex quibus quiuis cetera conijcere, ac dijudicare valeat. Ad Visensem igitur Ecclesiam, tam a canonicorum collegio, quàm a reliquis ciuibus valde expetitus, ac desideratus peruenit, ad quos cum animum beneuolum, & vere paternum attulisset, multa ac præclara opera statim edidit, quibus illorum expectationem non solum non fefellit, sed etiam longe superauit. Synodum enim paucis interiectis mensibus coegit, in qua nihil prætermisit, quod ad communem totius diœceseos curam, vtilitatemque pertinere videretur. Nec multo post, constitutiones editas ab anterioribus episcopis, quæ propter temporũ, rerumq. vicissitudines fere in desuetudinem abierant, in optimam formam redactas, ty-

pis

pis excudendas curauit. Diuino cultui, sacrisq. cærimonijs rite, solenniterq. peragendis inprimis studuit, templorum ædificiis reficiendis, nouisq. ecclesijs ædificandis, sicubi id necessitas exigebat, maximam operam adhibuit, prouinciam suam assidue peragrauit, cauens non mediocri sollicitudine, ne cui oneri, aut sumptui esset. Quinimmo ab aliquo hospitio exceptus, aut munusculis donatus, illico cumulatiori munere, aut alio beneficentiæ genere, gratiam referre satagebat. Erat enim vt diximus, minime tenax, & ab omni auaritiæ, ac sordium specie abhorrens, idq. per omne vitæ tempus, tam verbis, quàm factis aperte declarauit, sed præcipue in Pontificio munere exercendo, in quo sibi egenorum, & pauperum curam præcipue delegit: adeo vt in illis subleuandis, alēdis, iuuandisq. non solum opes, & facultates suas, sed etiam omne studium, operamque consumeret. Accidit autem, non raro vt fame, in ea regione ob agrorum sterilitatem eius tempore inopes laborarent, quorum inopiæ promptissime subuenit, non sine magna hominum admiratione, qui non solum Lusitaniam, sed vicinas etiam prouincias, miris præconijs, & laudibus, ob eas, ac ceteras eius virtutes cōpleuerunt, tantaq. apud omnes pietatis fama floruit, vt ad illum tamquam ad communem egenorum parentem, inopes vndique con-

confluerent. In vrbe Visensi omnium viduarum,& pupillorum, qui egestate laborarent, curam gerebat: idque ita occulte, vt excepto quodam canonico, vitæ integritate insigni, qui eius confessiones audiebat, nemo id rescire ante eius obitum potuerit. Eiusdem vero canonici opera vtebatur in ceteris pijs operibus,quę occultare satagebat,ne ob inanes hominum rumusculos,cælesti præmio,& proposita à Deo optim. Max. bonorum operum mercede,fraudaretur.Ciuium nobilium liberos, præsertim eorum, quibus tenuiores essent facultates, in familiam suam admissos, liberaliter educauit, & bonis moribus,ac litteris imbui,erudiriq. curauit,ex quibus complures ad sacerdotia promouit. In hospitibus excipiendis, colendisq. adeo comis, ac liberalis fuit, vt eius domus non propria ipsius, sed commune quoddam omnium hospitium esse videretur. Cumq. plurimis gratus,& charus esset,vix vlla dies pręterijt,qua non ab aliquo externo hospite adiretur,præter quotidianam canonicorum, & reliquorũ ciuium turbam, qui ab eo frequenter mensæ adhibebantur. Vt vero in ijs,quæ ad humanitatis officia pertinent, leni, & pacato erat ingenio, moribusq. suauissimis, ita in corrigendis, castigandisq. vitijs seuerus, & vehemens, citra vllam tamen iracundiæ & maleuolentiæ notam. Cumq. omnes sibi persua-

ſum haberent, non illi homines, ſed vitia, & crimina diſplicere, tanta animi æquitate, eius admonitiones, & ſaluberrima conſilia admittebant, vt etiam ſeueriſſime correpti, illum parentem indulgentiſſimum, & benigniſſimum prædicarent. Multos etiam certum eſt ipſius auctoritate, & grauitate, qua plurimum pollebat, impulſos, ad meliorem frugem perueniſſe. Quodq. alij nonnumquã, vinculis, carceribus, & exilio vix aſſequuntur, ille ſolo exemplo, & naturæ bonitate effecit. Hinc communis erga illum omnium amor, incredibilisq. beneuolentia, hinc miræ laudes, mira præconia, adeo vt certatim omnes illius nomen ad cælum attollere conarentur. Quæ hominum ſtudia, & amoris argumenta, aduerſa eius valetudo, ita accendit, vt in eius vita omnium ſalus, & fortunæ periclitari viderentur. Morbum autem grauem, & moleſtum contraxit ex renum calculo, & ſtomachi imbecillitate, quæ tandem in cibi tædium & virium defectum conuerſa, mortem denique illi attulit, quam æquo, ac ſedato animo agnoſcens, ex hac caduca vita, ad illam æternam, felicemq. diſceſſit, non ſine ingenti, ac prope incredibili omnium luctu, qui eius funeri interfuerunt. Nec ſolum qui aderant, ſed omnia Viſenſis prouinciæ oppida, illum vt communem parentem & pium Pontificem diu luxerunt. Nec minori

prope

prope dolore affecti sunt, audito illius obitu, qui procul, & magno terrarum interuallo disiuncti, eius virtutes & vitæ sanctimoniam magnis laudibus efferri, semper audierant. Quorum omnium communis fuit, & iusta querimonia, indignantium eripi reip. talem, tantumq. virum, eo præsertim tempore, quo & ob teneram Sebastiani regis ætatem, & propter impendentia quædam pericula, quæ bonorum animi iamdiu præsagitabant, magni omnium intererat, illum, & omnes illius similes, quàm diutissime viuere. Obijt mense Nouembris anno 1567. ætatis vero suæ septuagesimo septimo. Statura fuit procera, & recta, corpore aliquantulum obeso, sed agili, & compacto, atque omnium membrorũ æqua proportione conspicuo, latis humeris, extento pectore, firmis lateribus, necnon brachijs, cruribus, manibus, pedibusque, quadam insita vi, ac venusto motu, decentibus. Iam vero in vultu, orisq. lineamentis, tanta inerat grauitas, blanda quadam lenitate, & hilaritate condita, vt omnes quantumuis extraneos, & ignotos, ad se amandũ, suspiciendumq. solo aspectu alliceret. Oculi pro modo capitis, & faciei, aliquantulum exigui, sed viuidi, & præfulgentes. Veneranda omnino, atque etiam in maxima hominum turba, conspicua, & decora facies, cuique canities plurimum auctoritatis adderet.

deret. Valetudine vſus eſt proſpera, toto fere vitæ curſu, exceptis aliquot leuioribus morbis,& oculorum ægritudine,qua in Gallia aliquandiu laborauit. Sed temperantia, & cura omnia naturę incommoda facile vincebat. Erat etiam ſupra modum medicorum conſilijs addictus, idque illi mortem aliquantulum acceleraſſe affirmant. Dum enim ſe omnino renum vitijs mederi poſſe confidit, medicis ita ſe tradidit,vt medicamentorum copia, & vehementia ſtomacho debilitato, letalem illum morbum contraxerit. Vir fuit conſtantia, & humanarum rerum deſpicientia admirabilis, & cuius vultum neque ſecundæ, neque aduerſæ fortunæ viciſſitudo facile mutaret. Vix vmquam, etiam cum ætas vigeret, illum aliquis ſubiratum eſſe ſenſit,etiam cum in domeſticos ſuos animaduerteret, quod ſeuere, ſed ſedato animo facere ſolebat. Nemo ipſum vmquam iurantem, nemo alicui detrahentem audiuit. Inter cetera,verborum iactantiam,& inanem oſtentationem ita vitauit, vt cum plurima negotia apud regem, tam in Luſitania, quàm in Gallia ſemper habuerit, nemo vmquam aliquid eorum, quæ geſſiſſet commemorantem audierit. Quod morum aſperitati minime adſcribi debet: fuit enim humaniſſimus, & amicorum conſuetudine in primis delectabatur,ſed potius conſtantiæ, & ſingulari cui-

dam taciturnitati, qua res serias, & magni momenti, penitus occultandas esse iudicauit. Campo, & deambulationibus præcipue oblectari, & vires reficere solebat, existimãs exercitationibus moderatis bonam valetudinem plurimum conseruari. Quod illi abunde præstitit suburbana villa, quæ à mœnibus Visensis ciuitatis, quingentis circiter passibus distans, episcopis satis commodum, & amœnum hospitium præbet, quam ille magnis sumptibus, ad meliorem culturam redactam, ecclesiæ valde frugiferam, atque vtilem effecit. Sunt ibi complures aquarum fontes, à quibus etiam nomen traxit, Fontellium enim vulgo dicitur. Hæc illi villa tutissimus portus, hæc requies, hæc curarum, laborumq. medela: hìc quicquid à publicis, serijsq. negotijs, temporis supererat, insumebatur. Hìc ab amicis salutabatur. Hìc ad illum omnes semper faciles aditus habebant, vtpote in publico, & subdio semper deambulantem, & temporis tædium, senectutisq. molestias, iucundissimi loci amœnitate fallentem. Nusquam aberant libri sacri, quinimmo in omnibus fere mansiunculis, quas in diuersis villæ diuerticulis, ad quietẽ captandam dispositas habebat, quoties deambulando lassitudinem contraxisset, aut Sãcti Basilij, aut Hieronymi, aut alterius eiusdem classis auctoris volumen aliquod promptum,

ptum,& paratum semper habebat, & iuxta librum sedilia,in quibus non tantum côquiescere,& corporis vires reficere,sed etiam legendo,animum oblectare,& ad cælestium bonorum spem erigere posset. Præstiti tibi ò charissime auuncule, immo indulgentissime parens, præstiti inquam, si non id, quod tua virtus,ac summa in me merita exigere videbantur: saltem id, quod incredibilis meus erga te amor, vel potius pietas persoluere coegit,merito enim ingratus haberi possem, si hanc qualemcunque tui memoriam,veluti quoddam meæ erga te obseruantiæ,& necessitudinis pignus, posteritati tradere dubitassem.

DE SVO EX EBORA DISCESSV

Anno M. D. LXXVII.

QVI semel infidi expertus discrimina ponti,
Pertulit Ionias iactata naue procellas:
Si dubijs iterum committere carbasa ventis
Cogitet, & portum, dulcesq. relinquere terras:
Cuncta prius cælo circunspicit astra sereno,
Consuluit & Phœbi iubar, & nascentia Lunæ
Cornua rimatur, pelagusq. explorat, & auras,
Ne toties lacera discedat ab æquore puppi.
Sic ego, quem docuit longa experientia rerum,
Quàm fallax hominum mens, quàm mutabile vulgi
Iudicium, quantis sit vita obiecta periclis,
Quàm leuis humanos agitet discordia sensus,
Quos soleat fortuna ferox miscere tumultus:
Otia diuitijs Arabum potiora sequutus,
Dulciaq. amplexus priuatæ commoda vitæ,
Exiguas Eboræ latebras, & sordida rura,
Prætuleram tumidæ titulis, & honoribus aulæ.
Hæc mihi grata quies, hæc meta aptata laborum,
Quos patriæ vera pro religione, sacrisq.
Legibus, impigri bis septem impendimus annos,
Hinc neque me precibus chari valuere propinqui
Hactenus assiduis abducere, nulla Cabedi

Iusta

Iusta querela mei, dulcis nec cura sororis,
Tauora nec vita nobis iucundior ipsa,
Tauora pieridum turbæ gratissimus heros,
Quem genuit clarus toto Laurentius orbe.
Quid? quoties fidi me corripuistis amici,
Lenta quòd obscura tererem piger otia terra,
Mœnia nec peterem felici condita Graijs
Omine, Tarpeias æquantia culmine turres:
Qua Tagus auriferas diues conuoluit arenas,
Et pater Oceanus placidis allabitur vndis.
Desinat ergò pijs vestra indulgere querelis
Pagina, nec verbis absentem pulset amaris,
O mihi Thesæo iunctissima pectora nodo,
Pectora Cepropiæ studijs addicta Mineruæ,
Optime Castilli, tuq. ò dulcissime Sanci,
Quique animi Cycnos Noni candore niuales
Vincis, & antiquis Aegnati æquande poetis.
En adsum, victusq. manus dò, meque fideli
Permitto arbitrio, vestris seruire paratus
Consilijs, rupi retinacula dulcia, Syluas
Liquimus, & solitos memet mihi reddere campos:
Illecebras vrbs alma tuas, quam mœnibus altis
Cinxit, & ingenti ductu exornauit aquarum
Magnanimus quondam Sertorius, exul ad oras
Occiduas veniens, populos cum exciuit Iberos,
Signaq. Romanis circuntulit obuia signis.
Hic illum certos fama est habuisse penates,
Et proprios coluisse lares, hic dulcia fixit
Limina, quæ rapido belli cessante tumultu,
Incoleret, positis & sæpe reuiseret armis.

Siue loci genio captus, seu gentis amore,
Vel quia ad euentus dubios, bellumq. parandum
Apta foret regio, delectæ robore pubis,
Et virtute virum, vario quos marte probarat.
Salue magna parens frugum, fœcunda virorum,
Salue altrix, nobis vrbs ò gratissima salue,
Principibus dilecta viris, adamataq. magnis
Regibus antiqui retinens monumenta decoris.
Maximus ille ducum, Romanæ gloria gentis,
Iulus à Phrygio deducens nomen Iulo,
Cum quateret terras armis, cum sidera fama
Compleret, solusq. orbis tractaret habenas:
Te titulis, ciuesq. tuos decorauit opimis
Muneribus, largaq. manu largitus honores
Eximios, Latij tribuit tibi iura vetusti.
Cæsaris hinc tibi creuit amor, cui marmora quondam
In medio mansere foro, testantia laudes;
Egregiumq. viri decus, a quo Iulia dici
Gaudes, occiduas inter memorabilis vrbes:
Septima nunc agitur nobis trieteris ab illo
Tempore, quo mystas inter numerandus, & aris
Admissus superum, ritè tua templa sacerdos
Ingredior, seruoq. tuas vrbs inclyta sedes,
Nec nos indecores, nec mollis inertia tempus
Exhausit, fidei commissa est publica sacræ
Cura mihi, sanctiq. vigil custodia iuris.
Munere quo (liceat per te mihi vera profari)
Nec meliori animo fungi, nec purius vlli
Contigit, id norunt populi, quos Bætis, & Anas,
Quos Tagus, & Minius, quos ingens Durius ambit.

Nunc

Nunc mihi lustra decem iuncta trieteride complet
Canities, tardumq. subit iam grandior ætas.
Iam tibi florentes vitæ concessimus annos,
Iam tibi pars nostri consumpta est lætior æui:
Da veniam (precor) extremum si vendicat actum
Ipsa senecta sibi, si me pia cura meorum
Auocat vrbs dilecta tuis a mœnibus, arcto
Hærentem amplexu, ceu blandæ altricis alumnum.
Me non ambitio stimulat, nec turpis habendi
Torquet amor, non inuidia mihi pectus edaci
Carpitur, aut agitat mentem vesana cupido,
Sed patriæ pietas, & magni iussa Sebasti
Ad maiora vocant. Geticis truculentior vrsis
Sæuior Hircana sit Tigride, Cinctaq. duro
Corda adamante gerat, qui te fortissime regum,
Non colat, ac tua facta probet, miretur, ametq.
O lux Hesperiæ, ò sæcli spes vnica nostri,
Lysiadumq. insigne decus, columenq. tuorum:
Regni amor, ò vera pietate insignis, & armis.
Sidera dum cœlo stabunt, dumq. aurea Phœbe
Noctiuago liquidum circundabit æthera curru,
Et Sol flammiferis terras lustrabit habenis:
Semper honos, nomenq. tuum, laudesq. manebunt.
O illam mihi si tribuant pia numina lucem
Cernere, cum Libycis victor remeabis ab oris,
Celsaq. Laurigeris properans ad templa quadrigis,
Debita supremo persolues vota tonanti.
Tunc me Pierij nemoris lustrare recessus,
Castaliosq. auide latices haurire iuuabit,
Audiat vt claros patriæ me vate triumphos

Gens,quæcunque iacet gemino porrecta sub axe:
Qua Tarthessiacas Titan se condit in vndas,
Qua rubet orta dies,& qua sub sidere Cancri,
Aestuat ardenti tellus damnata vapore.
Interea precibus diuum pulsabimus aras,
Vt tibi felices summi moderator olympi
Annuat,& lætis plenos successibus annos:
Aurea labenti rursus qui sæcula mundo
Restituant,Pylij superent & Nestoris æuum.

HAec cecini quondam læta modulante Thalia,
Integra cum regni staret fortuna,decusq.
Antiquum nulla violatum clade vigeret,
Deuictiq. Arabes,Persæ,Garamantes,& Indi,
Innumeræq. aliæ gentes,ad sidera nomen
Aurea Lysiadum ferrent rumore secundo.
Tempore quo classem festino milite complens,
Fortia,sed consulta parum rex strenuus arma
In Libycos fines,magnumq. Atlanta parabat.
Accessi,& patriæ(cœli pia numina testor)
Consulere,ac dubijs volui succurrere rebus.
Nam regem admonui, leuibus ne credere Mauris,
Vellet, & infidæ sese committere genti:
Armaq. mandaret ducibus, quos grandior ætas,
Gestaq. per varios decorarent bella triumphos.
Quin etiam insolitas ausus depromere voces,
Inclyte rex,dixi,quò te rapit ardor,& alto
Insita vis animo? quæ belli tanta cupido?
Vt dulci sine prole, velis iuuenilibus annis,
Ambiguæ tantum sorti committere regnum?

Nec pius obnixis precibus te flectere princeps
Henricus, nec fida tui consulta senatus
Exorare queant, auiæ nec mixta querelis
Vox miseranda tuæ, populi nec clamor ad auras
Sublatus, nec signa mali præsaga futuri?
Immo age si firma tibi stat sententia mente,
Inuitisq. paras cunctis, tentare potentes
Ductores Libyæ, Numidisq. ferocibus arma
Inferre, ac tantis caput obiectare periclis.
Explicet ingentes tua Lusitania vires,
Impleat, & Libycos numeroso milite campos:
Signa canant, validæ coeant in prælia gentes,
Qua Minius secat arua vadis, per Limica rura
In mare Lethæas Belion, qua fundit arenas,
Et rapidas conuoluit aquas qua Tamaca præceps.
Bracara cur cessat veteres augusta colonos
Mittere? Calensis densas armare cohortes
Vrbs paret, insigni portu quæ nobile regno
Nomen, & auspicium sceptris donauit auitis.
Contia, cæruleis quam Durius abluit vndis,
Et Siculæ certans vicina Brigantia messi,
Agmina certatim mittant, descendat ab altis
Montibus indomitus procero corpore miles,
Qui densas Amaranthe tuas indagine siluas
Cingere, & informes prosternere cominus vrsos
Gaudet, fulmineosq. agitare in saltibus apros.
Qui iuga Medulij scandit saxosa niuosi,
Callaicos nostris populos quæ finibus arcent.
Nobilis inuictas iungat Lameca cohortes,
Lanciaq. Aemilij quondam defensa fauore.

Arma

Arma ferat, populiq. ruant in bella feroces,
Qui Vacuam, Seliamq. bibunt, Cudamq. sonantem.
Et per quas pulchro sinuosus flumine Munda
Transit, vbi virides excelsa Conimbrica campos
Despicit, Aonijs sedes gratissima musis.
Assuetam pelago generosa Talabrica pubem,
Aeminiumq. vetus, necnon Lancobrica mittant.
Adsit & Herminij durissimus accola montis,
Igedetaq. duces, & cui Caua Iulia nomen
Indidit, innumeraq. vrbes, quas Zeccarus ambit,
Et Tagus auriferis circunfluit vndiq. ripis.
Scallabis extractos campo, & venatibus armet
Mille viros, ac iungat equis pernicibus alas,
Qui rapidos cursu Zephyros, aurasq. lacessant.
Hos Moro callaici monumentum nobile Bruti,
Fraxineaq. manus, & Arabica signa sequantur,
Quique Eburobritij campos, quique arua beata
Colliponis arant, & cœlia rura iuuencis.
Quique tenent Mindi nimbosa cacumina, quique
Ansidianaeos saltus, Lunaq. peragrant.
Adde tot egregias vrbes, quæ littoris oras,
Oceaniq. tenent portus, qua Munda, Tagusq.
Aequoreo dulces confundunt gurgite lymphas:
Quas inter profugi sublimi vertice Vlyssis
Mœnia consurgunt, septenis æmula Romæ
Collibus, & priscis Nili certantia Thebis.
Vnde tibi varijs exercitus integer armis
Conscribi (tanta est numerosæ copia gentis)
Possit, & innumeris consterni nauibus æquor.
Arma, virosq. ferox ratibus Cetobrica mittat

Quam rutila cingit constructus Iaspide murus,
Raraq. nobilitant piscosi stagna profundi:
Callipodis vasto miscentur vbi ostia ponto.
Huic vetus Aritium, & vicina Salacia iungant
Agmina, Meroarigæq. viri, & qui herbosa patentis
Orichij multo tondet grege Turdulus arua.
Oppida quid referam sacro contermina monti?
Vnde patet Libycas facilis traiectus in oras:
Fortis vbi pelago, Martiq. assueta iuuentus
Infestos arcet patrijs a finibus hostes.
Balsa potens equitum mittat, peditumq. maniplos,
Et Pharus Ossonobæ veteris ditata ruinis.
Clarus & Annibalis portus, Lacobrigaq. audax:
Et populi, quos pulcher aquis perlabitur Anas.
Quos inter, ducat bellacem Iulia gentem
Myrtilis, armet equis densas atque ære cateruas
Iulia Pax, quam Serpa ferox, & Aruccia diues,
Vicinæq. vrbes aliæ, quæ vomere putres
Proscindunt glebas, & pinguia rura, sequantur.
Quid tibi felices Eboræ rex maxime ciues,
Et validas memorem gentes, quas continet amplo
Vrbs populosa sinu, atque excultis educat agris?
Cuius & innumeræ victricia signa sequentur
Vicinæ iunctis inter se viribus vrbes,
Heluiaq. ante omnes vrbs insuperabilis armis,
Agmen aget, fortes ducens in prælia gentes,
Qui pictis volitant in equis, & cuspide gaudent
Hostilem Mauri, Numidæq. haurire cruorem.
Hæc Vetonum terris, atque Anæ proxima, quondam
Celtica gens dicta est, contingens iure propinqui

San-

Sanguinis Arotebras, qui Næria rura colebant
Obliti à socijs, Limæi ad gurgitis vndas:
Vnde nouo fluuium dixerunt nomine Lethem.
Parte alia mittet validas Amæa cohortes,
Claraq. plumbiferis antiqua Medobrica venis,
Qua medium spectant frondosa cacumina solem
Montis Arameni, varias qui vertice gentes
Circuit, & claras gremio complectitur vrbes.
Herminium dixere prius, mox sæcula nobis
Proxima, in Armenium nomen vertere vetustum.
En tibi Lysiadum regia deuota tuorum,
Terra armis, opibusq. potens, atque vbere glebæ,
Clara viris, clara in superos pietate, fideq.
Hinc delecta manus iuuenum, per cærula ponti,
Littore ab occiduo soluens penetrauit ad ortus
Phœbæos, Gangemq. Tago seruire coegit.
Hæc quondam Alphonsos (felicia nomina) reges
Protulit, atque alios, factis qui ingentibus orbem
Complerunt, hæc te regum fortissime nobis
Edidit, auspicijs cuius, victricia signa,
Vltrà anni, cæliq. vias, vltra æquora Nerei
Proferet, & Libycis late dominabitur oris.
Tu modo consilijs animum submittere celsum,
Ne dubita, populosq. tibi seruire paratos
Duc tecum, & regum sectare exempla priorum,
Qui quoties Libycos ferro petiere penates,
Innumeras secum peditumq. equitumq. cateruas
In castris duxere suis, cur agmine paruo,
Et paucis comitatus abis? cur plena relinquis
Oppida clara viris? qui te bellante, recusant

Ignauo torpere situ? legionibus auge
Agmina, densentur magnis equitatibus alæ.
Non est cum modica bellum tibi gente gerendum,
Punica regna petis, vrbes, populosq. potentes,
Fluminaq., & latis dispersa magalia campis,
Vndiq. frondoso quæ vertice maximus Atlas
Cingit, & Oceanus rapidis circumtonat vndis.
Illic infrenes Numidæ, Mauriq. feroces,
Barcæiq. truces habitant, Getulaq. bello
Gens assueta, auidos vincens feritate leones.
Mille tibi occurrent acies, mille agmina campis
Discurrent, ferientq. altis vlulatibus astra,
Totaq. cornipedum fremitu tremet Aphrica tellus.
Finieram: cum blanda mihi responsa, sereno
Ille refert vultu, ac placido sic incipit ore.
Grata quidem semper mihi sunt tua dicta fideli
Deprompta ex animo, sed stat sententia, classem
Soluere, & in Libyam ventis dare vela secundis:
Inq. fidem nostram regi, gremiumq. recepto,
Promere opem, regno qui nunc spoliatus auito
Exulat, & nostras supplex confugit ad vrbes,
Herculei cingunt quas claustra angusta profundi.
Adde quòd innumeras Maurorum inuadere turmas
Cũ paucis, nostrum est, sic prælia plurima quondam
Maiores gessere mei, spretisq. periclis,
Lysiadum claris decorarunt sceptra trophæis:
Dum pia bella gerunt pro Christi nomine, & aris.
Nil formidandũ est Christo duce, et auspice Christo,
Sic ait: at patriæ mihi mens ardebat amore,
Et dubios casus, ac certa pericula cernens,

Anxia sollicitis cruciabar pectora curis,
Et magnum exitium regno, regiq. timebam.
Quare iterum monitis, iterum tentare precando
Aggredior, dictisq. animum mulcere ferocem.
Sed Deus omnipotens, mundi qui sidera torquet,
Offensus nimia scelerum grauitate, luenda
Decreuit commissa illo sub principe gentis
Lysiadum, & meritas sumpsit pro crimine pœnas.

IN LAVDEM CLARISS. Ciuitatis Olysipponensis Hendecasyllabi.

Anno M. D. LXXV.

Salue vrbs occidui orbis imperatrix,
Regina Oceani procul sonantis,
Verè vrbs regia, regibusq. grata,
Salue huius columen, caputq. regni,
Magnarum decus vrbiumq. salue.
Illustris Tagus aureis arenis,
Bæti nobilior, simulq. Ibero,
Atque Ana, Minoq. Durioq.
Aegæo similis Tagus profundo,
Certans Ionio Tagus patenti,
Nec cedens Tagus Adriæ sonanti,
Per tot magnificas vagatus vrbes,
Claris amnibus hinc, & inde raptis,
Se totum gremio tuo recondens,

Te ripis beat, atque agro feraci
Fruges vndique conuehit salubres,
Portu nobilitat sinum capaci,
Ingentes gerit alueo carinas,
Quæ ponto dominantur, & per vndas
Immensi Oceani vagantur, oras
Eoasq. petunt, bibuntq. Gangem:
Quas & sol oriens videt, cadensq.
Et cum se medio sub axe librat,
Miraturq. parem suis quadrigis
Cursum conficere, vt tibi potentes
Submittant Arabum, Indiæq. reges.
Salue vrbs maxima, quæ foues benigno
Complexu, ad tu a tecta commeantes,
Diuerso innumeras ab orbe gentes.
Te Germanus amat, petit Britannus,
Hybernus colit, & lari paterno
Præfert Gallica natio, tuisq.
Sedes figere mœnibus laborat.
Te multa rate Cantaber frequentat
Effossum chalybem ferens, & altas
Siluas Astur alit tuos in vsus,
Et Callæcia portuosa nudis
Gaudet montibus, vt tuis onustas
Puppes nauita mercibus reportet.
Diues Bætica nobili metallo
Te cunctas veneratur inter vrbes.
Miratur Veneta ratis magister,
Etruscus, Siculus, Ligurq. complent
Portum classibus, & beatiorem


Terris

Terris omnibus esse te fatentur.
Quis praeconia, quis queat tuarum
Dicendo cumulum explicare laudum?
Haud nostrae genius valet Thaliae
Tantae pondera sustinere molis.
Id praestare tibi mei Cabedi
Felix musa potest, parem vetustis
Quem Cetobrica protulit poetis,
Felices vbi Iaspidum colonos
Piscosi sinus alluit profundi.
Huic altam tribuit Minerua mentem,
Dulci pectora condiens lepore,
Exultum eloquium dedere musae
Miscentes Latijs sales Pelasgos:
Phoebus plectra dedit, quibus Maronem
Donarat, Colophoniumq. vatem.
Hausit Caesarei fluenta iuris
Puris fontibus, omniumq. nodos
Legum soluere, vel Papiniano
Nouit rectius, elegantiusq.
His ad purpurei gradum senatus
Euectus meritis, proboq. magni
Regis iudicio, diuq. claro
Functus munere, clariore fama:
Nunc inter celebres honore patres
Versatur, populis tuis regendis,
Quos ipsa auspicio bono creasti,
Priscis Romulidum pares tribunis.

CVM

CVM PATRIAM longo tempore a se non visam adiret.

Anno M. D. LXXX.


Spicione tuas tellus dulcissima sedes?
Dilectos uideo campos, adamataq. rura?
Agnosco vitreos fontes, riuosq. perennes?
Nosco domũ antiquam, & cunabula chara saluto?
An mihi sese offert fallax, & inanis imago,
Quæ velut in somnis rerum simulacra figuris
Effingit varijs, mentemq. eludit, & alto
Membra sopore madent curis agitata diurnis?
An vigil, & vero discernens omnia sensu,
Aspicio natale solum, dulcesq. penates
Cerno oculis, qui medias in luminis auras
Excepere, & vagitus mihi conscia primi
Tecta libens subeo, teneris vbi lusimus annis.
O felix, niueoq. mihi signanda lapillo
Lux optata diu, reliquo iucundior æuo,
Carminibus celebranda meis, redituraq. fausto
Omine, quæ nobis tot gaudia contulit vno
Tempore, confectum curis, ægrumq., senemq.
Cum post lustra decem, bina trieteride iuncta
Dulcis amor subijt patriæ, nec nostra fefellit
Vota, sed optata simul ac vestigia terra
Fiximus, & cæli sese obtulit aura benigni:

Continuo membris rediȷt vigor, illaq. mentis
Abscessit nubes, nec iam amplius vlla fatigat
Corda dolor, curæq. graues gemitusq. recedunt.
Ipse loci genius, patriæq. aspectus amœnæ,
Tristia depellunt animo suspiria nostro.
Vt iuuat oblitos longo iam tempore fines,
Mutatosq. videre locos, vbi dulcia quondam
Paruulus innocuæ capiebam gaudia vitæ.
Salue ò cœlicolum nutu mihi debita tellus,
Vosq. iterum chari nobis saluete penates.
Salue nobilium nutrix fœcunda virorum,
Clara armis, clara ingeniȷs, & fortibus ausis.
Non ego te cunctis dubitem præponere terris,
Sit licet exiguus populus tibi, lætaq. curuo
Vomere non multi proscindant arua coloni.
Fallitur egregias quisquis sibi vendicat vrbes,
Vt tenuem falso patriam permutet honore.
Omne solum fortes producit, paruaq. claros
Oppida sæpe viros generant, nec mœnibus amplis
Fidite, nam scelerum fautrix ibi regnat Erynnis.
Ambitione, dolis, turpiq. libidine, & ira
Magnificos intra muros peccatur, & istæ
Rarius exiguæ pestes dominantur in vrbe.
Quid? quod cæca vices mutat fortuna, ruuntq.
Imperia, & regnis veniunt sua fata, nec vrbes
Certa sede manent, sed quas modo læta benigno
Sors complexa sinu fouet, olim obscura fuerunt
Oppida, vel tenues vllo sine nomine terræ.
Quas vero quondam fortunæ ad sidera flatus
Extulit, & totum vulgauit fama per orbem,

Nunc sine honore iacent, aut illas densa tenebris
Nox tegit, & veterum premit alta obliuio rerum,
Tu neque præteritis iacuisti ignobilis annis,
Nec modo postremas inter numeraberis vrbes,
Felix forte bona, medium cui contigit omni
Tempore ferre locum, magnis licet impar, at imis
Maior, & aduersis vix vnquam obnoxia fatis,
Seditione carens, seruatrix iuris, & æqui,
Ciuibus innocuis florens, probitateq. morum,
Sponte sua populum, non vinclo, aut legibus æquum
Diligis, & prisco veterum se more tenentem.
Te colit alma Ceres, curuis tibi sudat aratris,
Non ignara operum, campoq. assueta iuuentus.
Luxuriat fœcundus ager, tum pascua læta
Mille greges ouium tondent, mollissima quarum
Vellera Milesiis fama est vix cedere lanis.
Te Bromius, te Pallas amat, tibi dulcia frugum
Munera inexhausto diffundit copia cornu.
Fontibus irriguis, & amœnis nobilis hortis,
Præ cunctis, quas pulcher Anas, quas aurea cingit
Vnda Tagi, tibi vicino qui labitur amne.
Quid memorem geniumq. loci, molemq. superbam,
Arcis, & excelsas valido fundamine turres?
Quarum quæ radijs Phœbi est obiecta cadentis,
Ardua in aerias tendit sic vertice nubes,
Vt plano constructa loco licet, aurea pulset
Sidera, & æthereas intrent fastigia sedes.
Templa quid, & positas dijs immortalibus aras?
Spiritus alme tibi, nec non tibi regia Virgo,
Quas vera pietate colunt, celebrantq. nepotes,

Immotaq. manent in religione parentum.
Sed quid ego ingratas tacito tibi nomine laudes
Ingero? & antiqui dubito monumenta decoris
Promere, nec vulgata prius, nec cognita multis,
Arcanumq. aperire decus, longæua vetustas
Quod tibi Romano sub Principe contulit, omnes
Qui terræ tractus, vrbesq. situsq. locorum
Describens, totum tabulis complectitur orbem:
Qua Latij fines regni produxerat armis
Gens animosa sui seruans præcepta Quirini.
Proh dolor, ah quantum damnosa licentia iuris
Vendicat in veterum libros, antiquaq. rerum
Nomina, præcipue verò tuus vndiq. Cæsar
Innumeris maculis scatet Antonine Libellus.
Atque vtinam nostro quisquam exoriatur in æuo,
Qui priscum tibi restituat, reddatq. nitorem.
Ergo vbi ad Emeritæ clarissima mœnia quondam,
Tres ab Vlysseis diuerso tramite muris
Asserit esse vias, varias quibus adijcit vrbes:
Ex illis vnam Cæsar vocat E L T E R I, *quæ nunc*
Antiqui retinens vestigia nominis, A L T E R
Dicitur, atque suo dictum quoque nomine, cernit
Non procul oppidulum, saxosi in vertice montis.
Hæc domus, hæc patria est, hæc incunabula nostra,
Hoc natale solum, prima hic exordia vitæ
Sumpsimus, & superas vagitu excepimus auras.
Sed post Matusarum recta ratione locari
Debuit, Aritio, Emeritam properantibus amplam.
Aritium vulgo Beneuentum dicimus, vnde
Per mare Vlysseam breuis est traiectus ad vrbem.

Ma-

Matusarum reor esse amnis quod Suboris vnda
Alluit oppidulum, Sori modo nomine pontis
Nobile, Romani vestigia tramitis alto
Aggere, & inuentis seruans per rura columnis.
Sed collapsa iacent veterum monumenta ruinis
Obruta perpetuis, dumisq., & sentibus altis
Obsita, confractisq. notis, & torrida flammis.
Multa tamen noster Resendius abdita profert
In lucem, & vigili vestigans singula cura,
Antiquum decus, & priscos tibi reddit honores
Lysiadum gens clara, viro quam debita tanto
Præmia, vix reor exhaustis persoluere arenis
Posse Tagi, aut vectis eo ab littore gemmis.
Sed grauis inuidit fati inclementia cœptis
Resendi præclare tuis, & funere quamuis
Non immaturo raperis, post longa senectæ
Tempora, & exactos sæclis melioribus annos:
Attamen & patriæ, & charis lugendus amicis
Semper eris, mihi præsertim, qui principis olim
Henrici iussu, & precibus, tua scripta lituris
Illita, & extremam limæ poscentia curam
Excepi, ne tot frustra periisse labores
Ingemeret studiosa cohors, cui voluere curæ est,
Antiquam gentis seriem, monumentaq. nostræ.
Sed quis Apelleæ Veneris depingere vultum
Audeat, atque rudi tabulam contingere dextra?
Difficile est, fateor, spem tantā haud fallere vulgò
De te conceptam, longe cum viribus impar
Ingenij, tanta vi ponderis ipse fatiscam.
Si tamen annuerint nostris pia numina votis,

Quid patriæ pietas, chari quid possit amici
Verus amor, (nobis maneat modo vita superstes)
Ostendent tua scripta, meo seruata labore.

DE AENEO SERPENTE aquam ore eiaculante in hortis Michaelis Cabedij senatoris regij, & ciuitatis Olysipponensis gubernandæ III. viri mihi multis nominibus coniunctissimi.


Rboris amplexu iussit me docta Cabedi
Cura frui, & liquidis ora rigauit aquis.
Sic neque frigoribus, nimio nec lædor ab æstu,
Grataq. sunt omni hæc tempore rura mihi.

Aliud.

NVllæ hic insidiæ, gressũ quid cõtrahis hospes?
Tactaque sunt subito cur tibi corda metu?
Me licet erecto minitantem vulnera collo,
Finxerit artificis ingeniosa manus,
Eripuit tamen ingenium, viresq. nocendi,
Fundere & innocuas gutture iussit aquas.

Aliud.

PEruigil Hesperidum vetitis errabat in hortis,
Inq. omni serpens arbore terror erat.
Fundit inexhausto noster tibi gutture lymphas,
Lætaq. fœcundis imbribus arua rigat.
Illic dura graui crepitabat silua metallo,
Malaq. ditabant ambitiosa nemus.
Hinc faciles tibi ruris opes, hinc mitia poma,
Hinc licet intrepida pocula ferre manu.

EX GRAECIS EPITAPHIVM feminæ cuiusdam in modum dialogi.

QVod nomen tibi, quæ latitas sub marmore? Praxo.
Quo patre? Callitele. qua patria orta? Samo.
Cuius sponsa? viri, cui me iunxere parentes.
Quæ mortem inuexit caussa? Puerperium.
Quod vitæ spatium? Lustris si quattuor, annos
Addideris binos, hæc mihi meta fuit.
An ne etiam dulce raperis sine prole? reliqui
Filiolum trimum, nomine Callitelem.
Crescat, & optatos feliciter exigat annos.
Et tibi dent superi prospera cuncta precor.

HECTORIS TROIANI Epitaphium ex Græcis.

VRna patrē, patriamq. refer, nomenq. sepulti:
His genus & caussam funeris adijcito.

Huic Priamus pater est, domus Ilion, Hectora dicũt.
pro patriæ pugnans mœnibus occubuit.

IN LAVDEM BALNEI ex Græcis.

Lotophagos haud est vatum mentita priorum
Fabula, nam faciunt balneola ista fidem.
Si quis enim semel hic liquida se asperserit vnda,
Non patris, aut patriæ languet amore suæ.

IN FEMINAM SPARTANAM ex Græcis.

Dvm genitrix, medios quos ipsa immiserat hostes,
Octo vno natos conderet in tumulo.
Haud fundens lacrymas, gemitumue in funere, solũ
Dixit, Io, hæc peperi pignora Sparta tibi.

EPITAPHIVM CVIVSDAM ex Gręcis.

Ne mea qui transis, accuses fata viator,
Nil etiam moriens dignum habeo lacrymis.
Natorum liqui natos; æquæua mihi vxor
Vna fuit, natas tres thalamo pepigi.
Ex quibus ipse sinu gestaui sæpe nepotes,
Nullum ægrum, nullum luximus exanimem.
Quorum opera illæsus, dum somnus blanda foueret
Lumina, sum sedes missus ad Elysias.

IN PVGILES EX GRAECIS.

Hic qui nũc pugil est insignis Olympicus, olim
Auriculas, nasum, mentum, oculos habuit.
At postquam factus pugil est, hæc perdidit armis;
Et bona defuncti nulla parentis habet.
Namque eius certat dum frater imagine, iudex
Dissimilem atque alium credidit esse virum.

Aliud.

Est tibi Apollophanes par cribro, imisq. papyri
Partibus, exedit, quas pigra blatta caput,
Formicæq. foraminibus, Lyricisq. figuris,
Lydia quos olim, quas habuere Phryges.
Nunc ergo intrepide nudum caput obiice ferro,
Haud vllum inueniet iam noua plaga locum.

PRO FORIBVS XENODOCHII ex Græcis.

Charus uterque mihi ciuisque, hospesque, rogare
Vnde? quis? aut cuias? lex uetat hospitij.

AD SERENISSIMVM Principem subalpinæ regionis Carolum Emmanuelem, cum ei tabellas expunctorias, & alia munuscula dono mitterem anno MDLXXVIII.

Accipe nunc uacuas Princeps auguste tabellas
Pignus amicitiæ, mnemosynonq. meæ.

Forsitan & scriptas (faueant modo numina cœptis)
Accipies, & te pagina nostra canet.
Inuidaq. heu quoniam rapuerunt fata Sebastum,
Dulce decus musæ, præsidiumq. meæ.
Tu mihi Mæcenas, & eris mihi Carole Cæsar,
Seruet & laudi nostra Thalia tuæ.
Interea magni uestigia celsa parentis
Ingredere, atque atauum fortia facta refer.

CARMINA VLTIMA DIONYSII de situ orbis Latine reddita.

Tot nempe insignes populos latissima tellus
Continet, ast alij innumeri sunt, nomina quorū
Scire, nec humani est facti, nec dicere promptum:
Sed soli fas nosse Deo, cui cuncta uolenti
Perfecisse datur, qui prima exordia mundi
Componens more artificis, pugnantia soluit
Semina, distinxitq. suis elementa figuris.
Ille maris monstrauit iter, pelagiq. negatas
Scire uias, secuitq. cauis liquida æquora uelis,
Vnde tot humanæ manarent commoda uitæ.
Sidera quin etiam cœli partitus in omnes
Ipse plagas, quibus arbitrium terræq. marisq.
Sorte datum, propriasq. habeant ut singula formas.
Vnde fit, ut uarijs colluceat ignibus æther,
Nec facies eadem sit stellis omnibus, album
Sed referant aliæ radiis, reddantq. colorem,
Hæc nigris maculis obtusior, illa rubenti
Lumine flammiferos subfunditur aurea uultus.

Vtq.

Vtq. inter sese uariant, sic turbine cæco
Fluctuat incertis & casibus anxia uita.
At tu terra uale, seu longe dissita ponto,
Seu pelago uicina iaces, seu cingeris undis
Vndique, uos fluuij, uos Oceanitides auræ,
Littoraque, & liquidi fontes, saltusq. ualete.
Iam maris undosi uastum percurrimus æquor,
Vidimus & clausos dubia tellure recessus,
Restat ut a superis pro carmine præmia nobis
Proueniant, erit ipse Deus mihi maxima merces.

IN QVIBVS LOCIS IPSE Auctor degere cupiebat.

SInt hiberna mihi dilectæ prædia uillæ,
Cetobris æstiuo tempore certa quies.
Felices Eboræ campos, adamataq. nobis
Autumnus primis mœnia reddat aquis.
Vere nouo liceat diuersas uisere terras,
Et loca Romanis olim habitata uiris
Plurima, quæ nostra sunt in regione, uetustis
Quæ passim ostentant marmora scripta notis.
Hæc mihi si tribuant superi, non Lydia sceptra
Optarim, aut Tyrij Pygmalionis opes.

IN PIGRVM EX GRAECIS.

SIluanus geminos natos, somnumque, merumq.
Diligit, amplexu perpetuoq. fouet.
Præ quibus & fidos demens contemnit amicos,

Deserit & Phœbi, Pieridumq. chorum.
Horum alter largo patrem, dulciq. liquore
Implet, inexhaustis exhilarans cyathis.
Mollibus in stratis alter, thalamoq. iacentem
Detinet, & blando membra sopore grauat.

EPITAPHIVM CHRISTOPHORI Gamij, qui in Aethiopia supra Aegyptum pugnando occubuit.

EOi domitor genuit me Gamius orbis,
Sed non uirtuti fama paterna satis.
Me iuuenem patrijs pugnantem uidit in armis
India, cum fratri paruit illa meo.
Vnde per ignotas gentes, cum milite, rubrum
Trans mare, christicolis missus in auxilium,
Aethiopum populos Christi, qui numen adorant,
Quiq. bibunt fontes inclyte Nile tuos:
Eripui Turcis, Arabumq. tyrannide pulsa,
Restitui regi regna paterna pio.
Mox ubi clara tuli deuicto ex hoste trophæa,
Cæsaq. sunt parua millia multa manu,
Occubui multis confossus pectora telis,
Sed bene quòd comites non cecidere mei.
Cetera cognosces ex hostibus, illa licebat
De se Christophoro dicere, plura nefas.

CAROLO EMMANVELI potentissimo Allobrogum Duci,

Iacobus Menœtius Vasconcellus P. F. exoptat.

NON patitur meus erga te amor, Dux præstātissime, tam diuturnum silentium, tamq. obfirmatam scribendi verecundiam, hoc tuo in Hispaniam aduentu non interrumpi. Quamuis enim post obitum inuictissimi ducis Emmanuelis Philiberti patris tui, qui me summa diligentia prosecutus fuerat, ita animum despondi, vt crederem nihil iam accidere posse, quod conceptum a me dolorem aliqua ex parte mitigaret. Perlata tamen nunc auspicatissimi coniugij tui fama, animū resumpsi, & aliquid ad te litterarum dare constitui, quibus tibi gratulari, & obortam ex tam iucundo nuncio tristitiam significare possem. Gratulor itaque tibi dux serenissime, & vere, atque ex animo gratulor, idq. multis de caussis, sed præcipue, quòd hæc mea gratulatio cum totius reipublicę Christianæ gaudio coniuncta est. Nulla enim natio, nulla gens reperietur, quæ modo nomini Christiano faueat, quæ ex his nuptiis non summū gaudium

perci-

percipiat. Vendicat sibi primas partes, iure quodam suo huius gratulationis, & publicæ lætitiæ, felix illa subalpina ora, quæ te aluit, & nobilissima Allobrogum gens tua: sed non cedit illi vnanimis totius Galliæ, atque Italiæ in te amando, colendo, obseruandoq. consensus. Quorum omnium studia, & alacritatem superare contendunt Hispaniæ, tui visendi incredibili quodam amore succensæ. O beatum, felicemq. Principem, quem totius orbis delicias merito dicere, & prędicare possumus! O faustas, fortunatasq. nuptias, quas vniuersa Christiana respublica celebrare gratulabunda gestit! O vere sapientem, & immortali gloria dignum Philippum regem, qui cum sanguinis necessitudine tibi sit coniunctissimus, coniunctior esse voluit hoc tam arcto affinitatis vinculo, in quo & amori erga te suo vere paterno, & omnium bonorum votis, atque expectationi satisfecit. Quicumque enim rempublicam saluam, & incolumé cupiunt, arctissimas inter Christianos principes necessitudines contrahi, firmissima fœdera, & inuiolabiles amicitias conciliari desiderant, vt eo firmissimo propugnaculo, communium hostium rabies cótundi, debilitariq. possit. Igitur ipsi reipub. gratulandum, quæ per te voti sui cópos effecta, videt Christianos Principes ex diuersis orbis terrarum partibus in vnum locum conuenire, non vt odijs

certent,

certent, aut armis decernant, sed vt sanctissime fœdere coniungātur. Videt illa ex vna parte, tibi obuiam euntem Philippum Regē, vnà cum dulcissima filia Catharina, sponsa tua, secum ducentem totius aulæ, & Hispaniæ nobilitatis florem. Ex altera parte te aduenientem conspicit, cum lectissimo tuorum manu, & ornatissimo cœtu, in quo complures viri, sanguinis claritate, opum magnitudine, atq; omnium virtutum ornamentis insignes eminent. Quis non gestiat tam celebri pompæ immisceri? Quis talem hymenæum absens decantari sustineat? Quis non properet, etiam si longo terrarum interuallo disiunctus sit, vt te præsens videre, & salutare queat? Quod ipse libetissime fecissem, & velis, ac remis, vt aiūt, ad te venire contendissem, si per ætatem, & valetudinem mihi licuisset. Sed quoniam mihi eam felicitatem non æqua sors inuidet, hos adolescentes consanguineos meos ad te mitto, vt tibi meo nomine, coram gratulari, & tuo iucundissimo conspectu frui possint. Eos autem tibi multis verbis commendarem, nisi vererer, nimio commendandi studio, aliquid de tua pristina in me voluntate dubitasse, non nullis videri posse. Deus Opt. Max. Dux serenissime, te reipublicæ Christianæ saluum, & incolumem perpetuo seruet. Eboræ mense Aprilis. M. D. L X X X V.

ILLVSTRISSIMO, ET Reuerendiſs. D. Matthæo Contarello S.R.E. Card.

Iacobus Menætius Vaſconcellus S. P. D.

INCREDIBILI lætitia ſum affe-ctus, cum te in Cardinalium numerum adſcriptum, & ad ampliſsimã iſtam dignitatem euectum eſſe intellexi, quam tuis meritis, tuæq. virtuti deberi omnes intelligunt, quicunque ſibi perſuadent, nullum eſſe tam amplum honoris gradum, qui viris induſtrijs, ſapientibus, & rerum experientia claris, ac de repub. Chriſtiana benemeritis non debeatur. Quare tibi gratulor, non tam quòd is tibi honos obuenerit, qui ſemper maximus eſt habitus, quàm quòd cum virtute, prudentia, induſtria, & ſumma in ſacroſanctam Sedem Apoſtolicam fide ſis conſecutus. Ea enim vera ſunt præmia, quæ vitæ integritati, & exhauſtis pro reipub. ſalute laboribus, non autem fortunæ debentur. Sæpe enim accidere videmus, vt qui caſu aliquo, non autem vera virtute ſubnixi, ad dignitatum culmen, atque etiam ad regiam potentiam euehuntur, mutato repente rerum ſtatu, & ceſſante inani popularis auræ flatu,

in maximas calamitates præcipites deuol-
uantur. Quod his contingere minimè solet,
qui ad inuados mortales nati,in sola virtute,
& honestis disciplinis spem suam collocant.
In quos nullum ius habet temporũ vicissitu-
do, neque humanarum rerũm inconstantia.
Quocumque enim sors cadat,perpetuò stabi
les,& suorum bonorũ securi permanent:velut
ex alto cernentes aliorum miseranda naufra-
gia. Meritò igitur summum Pontificem Gre-
gorium quis laudauerit, qui fidem tuam, &
industriam, ceterasq. animi virtutes, pri-
mum amplissimo Datarij munere, nunc ve-
rò tam excelso honoris fastigio dignas iudi-
cauerit. Quod iam diu meus præsagiebat ani-
mus. præsagiebat dixi? immo si memoria te-
nes, cum apud me olim diuertisses, tibi hinc
proficiscenti, dexteram tuam prensans, con-
stantissime asserui. Vnde te facile intelligere
potuisse credo, quale fuerit nostrum de tua
virtute perpetuò iudicium,atque etiam mo-
do me quoque tacente, minime puto dubi-
tare, nemini ex amplissima ista tua dignita-
te, maius gaudium contigisse, quàm mihi.
Quæ vt tibi fausta, atque diuturna sit, vehe-
menter cupio. Vale Eboræ quarto Kalend.
Octobr. 1581.

ILLVSTRI ET ADMODVM reuerendo domino Iacobo Menœtio Vasconcello Canonico Eborensi.

LItterę dominationis vestræ, quibus mihi de hac noua dignitate, quam in me Sanctissimi Domini nostri benignitas contulit, peramanter gratulatur, gratissimæ mihi fuerunt, non quòd animus in me suus ignotus fuisset: sed quòd video illam in amore erga me suo perseuerare, meiq. singularem præstare memoriam. Quod me mutuo facere velim sciat. Etsi enim id illi hucusq. non sum litterarum frequentia testificatus, non defui tamen semper optare, quod & nunc facio, vt occasio mihi detur, qua meam illi beneuolentiam, ac studium probare possim: cui omnia, quæ cupit prospera opto, meq. illi etiam atquę etiam commendo. Romæ die 5. Kalen. Februarij M. D. LXXXII.


Dominationis Vestræ.

Obsequijs addictissimus
M.Card.S.Stephani.

LVDOVICVS PYRRHVS Vasconcello suo.

SAEpius in laudes raperet mea plectra Thalia
Vasconcelle tuas, mage ni minuisse timeret
Ingenij culpa tenuis, quam auxisse merentes
Mæonio angi plectro, musaq. Maronis.
Sed mihi cura domus grauis, & morosa senectus
Apta parum Phœbo, pulchrisq. sororibus obstant,
Ne tua digna alio celebrem præconia saclo,
Orbe alio, & priscis quoque Mæcenatibus illis.
Adde quòd Hippocrates quoque Pergameusq. Galenus,
Artis pæoniæ proceres, veriq. magistri,
Quorum castra sequor multis iam miles ab annis,
Te laudare vetant, & nos Helicone laborant
Deturbare sacro, Phœboq. arcere canoro,
Pierioq. choro, ne quas tu pectore condis
Virtutes animi egregias; ego promere possim
Carmine grandiloquo, musis, & Apolline digno.
Attamen, vt mentis quæ sit sententia nostræ
Eloquar: Aonides viridi tua tempora lauro
Cinxere, & teneris admorunt vbera labris.
Attica præceptis Sophiæ tua pectora Pallas
Imbuit, Arpinas quoque facundissimus ille,
Et pater eloquij, dicendi contulit artem:
Quippe parem inuenias nullum, vix nempe secũdũ,
Qui conferre pedem valeat, seu carmina culta,

Scribere seu cupis historias sermone soluto :
Seu terrarum orbem radio describere malis :
Quis rogo te melius terræ, pontiq. recessus
Eruit è tenebris ? alta quæ mersa ruina
Tempore deleuit penitus longæua vetustas.
Quis sacra pontificum melius decreta, patrumq.
Rectius explicuit nodos ? sacrataq. iura ?
Quid de stirpe tua referam generose Menœti ?
Stemmate qui longo decoras cunabula gentis
Clara tuæ, qua non toto iactantior vlla
Orbe quidem fuerit, tanto pro munere, felix
Nobilitate tua, sed tu felicior illa,
Nomine quando tuo est sæclis noscenda futuris.
Nam veluti stellas obscurat Luna minores
Lumine clara suo, sic tu dignissime præsul
Obtenebras alios animi candore corusco.
Denique nostra tuis vigilando Musa fatiscit
Laudibus, & portum iam quærit anhela quietum.
Hinc te magnanimus dignatur nosse Sebastus,
Insinuare suam quoque te conatur in aulam,
Vt calamo celebres inuicti gesta sonoro,
Regis, & antiquos dispouas ordine fastos
Auspicijs Iacobe tuis, atque alite fausto.



AD PETRVM SANCIVM virum virtute, & eruditione clarum.

PYrrhus noster amor, tuiq. Sanci
Absentis memor, intimo, pioq.
In te pectore nemini secundus:
Pyrrhus Castaldium decus sororum,
Pyrrhus Paeonia decorus arte:
Gratam nomine mi tuo salutem
Reddens, dulciloquum simul venuste
A te compositum obtulit poema.
Quo vix dulcius, elegantiusve
Quicquam pangere, vel queant Camoenae.
Nam dilemmata pulchra sic figuris
Exornata nitent, vt arte mira
Eois rutilat monile baccis
Distinctum, aut viridi hinc & inde gemma.
Rebus consona verba sponte manant:
Queis tantus ruis, vt fluente vena,
Admiscens Latio Atticos lepores,
In morem rapidi vageris amnis,
Imbres cum bibit, & niues solutas.
Vnum sed queror, & subinde damno:
In tam splendidulis, venustulisq.
Sanci versiculis: quod infacetum
Saeclum hoc, insipiensq. & inuenustum
Laudant, quod meritis tuis referre

Nescit præmia digna, nec disertis
Secernit stupidos, & imperitos.

DE NATALI SVO DIE
qui Kalendis Maij contigit.

SAlue læta dies, qua primum luminis auras
Hausimus, & vitæ sumpsimus auspicium.
Pulchra dies toto qua nulla est pulchrior anno,
Diuorum gemino fulta patrocinio.
Sis felix, & fausta mihi, multosq. per annos
Maiori semper lætitia redeas:
Per te læta viret tellus, & lucidus æther
Ridet, blandisonis luxurians Zephyris.
Frigora mitescunt, placidum silet æquor, & auræ
Leniter impellunt lintea Threiciæ.
Gramine rura virent, & gemmea prata colores
Mille trahunt, montes frondea silua tegit.
Dulce susurrat auis, ludunt in vallibus agni,
Mugitus edunt læta per arua boues,
Læta viget rerum facies, animosq. iacentes
Excitat, & curas mæstitiamq. fugat.
O me felicem, nasci cui contigit illo
Tempore, quo nullum pulchrius annus habet.
Sed vere est felix sapiens, qui tempora vitæ
Dirigit ad summi numinis obsequium.

DE VSV DIVITIARVM ex Græcis.

VTere diuitijs tamquam moriturus, eisdem
Parce, velut vitæ sit mora longa tuæ.
Ille sapit verè, qui cum hæc cognouerit, æquum
Inter vtrumq. potest constituisse modum.

IN AVARVM EX GRAECIS.

MVrem Asclepiades in tectis vidit auarus.
Musq. quid in nostris ædibus inquit agis?
Cui mus subridens respondit, amice timere
Desine, non victum hic quæro, sed hospitium.

Aliud in eundem.


SVnt tibi diuitiæ multæ, sed pauperis est mens:
O successori diues, inopsq. tibi.

LAVS ET GLORIA.

Deo Opt. Max.

CLARISSIMI VIRI MICHAELIS CABEDII, SENATORIS REGII,

Et Olysipponensis ciuitatis gubernandæ, triumuiri.


N Lusitaniæ ora maritima, iuxta radices Barbarij Promõtorij, sitũ est nobile quoddam, & opulentum Oppidum, quod vulgo, *Cetiual* dicitur, olim vero à Geographis Cetobrica, & Cetobrix dicebantur, vt constat ex Pomponio Mela, Ptolemæo, & itinerario Antonini.

Tanta autem eius situs est amœnitas; ac pulchritudo, vt illum natura ipsa velut penicillo depinxisse videatur. nam ab Occidentali plaga mare habet Oceanum nobilium piscium omnis generis, & præcipue Mullorum, Solearumq. copia redundans. Ab Orientali autem, Callipodem fluuium, *Sadenum* hodie dictum, non solum lintrium, sed etiam nauigiorum vsque ad quinquaginta fere millia passuum capacem: quo fertilissimus ager irrigatur, optimi tritici, & omnium, quas terra pro-

producit, frugum feracissimus: præterea incredibili Salinarum prouētu celebris, ex quibus ingens candidi salis copia, onerarijs Belgicis, ac Germanicis in Septentrionales regiones quotannis asportari solet.

Oppidum ipsum flumine iam mari permixto, & ostio vicino alluitur a Meridionali parte, vbi æstu recedente spatiosum, & iucundum aspectu littus efficitur, arena tenui, & solida, nec vestigio cedente, ita firmum, vt & pediti, & equiti commodissima, ac gratissima existat deambulatio.

Ex opposita vero mœnium parte, oppido egredientibus occurrit pratum amœnissimū, octingentis circiter passibus in longitudinem, ac totidem in latitudinem patens irriguis aquarum alueis, innumeris prçterea hortis, pomarijs, siluis, vineis vndique cinctum.

Ager autem altissimis montibus clauditur, in quorum vertice Palmella conspicitur, oppidum haud contemnendum, quod a copia mellis Polymellam olim dictum fuisse suspicor. Horum montium aspectus suauissimus est & maris prospectui æquiparari potest: distant enim a muris sex tantummodo passuum millibus: multis villarum ædificijs, & amœnissimis hortis, fontiumq. multitudine nobiles, præterea pinetis atquę alijs arboribus consiti. Arbuti etiam genus quod-

dam

dam passim producunt, ex quo coccus colligitur ad tingendam purpuram, Emeritensi, quem Plinius laudat, non inferior. Vnde non mediocre lucrũ tenuioribus obuenire solet.

Cædũtur etiam in omnibus illius promontorij iugis lapides, quos vulgus propter admirabilem pulchritudinem, colorumque varietatem, iaspides appellat, ex quibus muri ipsius vrbis maiori ex parte constant: quorum ambitus quadrata forma, tria fere passuum millia amplectitur, præter duo suburbia, in quibus non exigua hominum multitudo degit.

Vrbis ædificia tam vrbana, quàm suburbana pulchra, ac solida structura constant, inter quæ multæ sunt potentiorum ædes magnifice extructæ: sed peculiari quodam splendore eminet nobilis, & antiqua Cabediorum domus, versus septentrionem, iuxta vrbis murum, & in ipsis mœnibus sumptuose ædificata.

In hac domo natus est Michael Cabedius, anno salutis millesimo quingentesimo vigesimo quinto. Patrem habuit Georgium Cabedium virum nobilissimum filium Iacobi Cabedij, ex nobilissima Cabediorum familia.

Matrem vero Terasiam Pinariam, sororem clarissimi viri Gondiçalui Pinarij Episcopi Visensis, matronam omnium virtutum

gene-

genere ornatam,ſub cuius tutela manſit,cum patrem amiſiſſet annos natus plus minus decem.

Literas humaniores diſcere cœpit Olyſippone, quæ Cetobrica diſtat viginti quattuor paſſuum millibus, id eſt ſex noſtratibus leucis,quæ quadrant cum numero ab Antonino aſſignato.

Cum vero annum ageret decimum tertiũ, vna cum Ioanne Pinario fratre ſuo (qui poſtea diuiDominici religionem ingreſſus,cum magnus Theologus eſſet, miſſus ad Conciliũ Tridentinum à Rege Sebaſtiano Romæ obijt) in Galliam ab auunculo accerſitus, Bayonam Aquitaniæ vrbem, & deinde Burdigalam peruenit: vbi biennij ſpatio in politioribus litteris multum profecit. Poſtea vero in Academia Toloſana Ioannem Coraſium, Ferdinandum Berengarium, Ferreriũm, Monſabracum, & complures alios inſignes vtriuſque iuris interpretes ſummo ſtudio coluit, quibus ob ingenij acumen & morum probitatem, charus, & gratus in primis extitit.

Deinde in Luſitaniam reuerſus anno milleſimo quingenteſimo quadrageſimo ſecundo, Conimbricæ, Antonium Soarium Olyſipponenſem,& Martinum Azpilcuetam Nauarrum, & nonnullos alios Pontificij, & ciuilis iuris profeſſores diligenter audiuit.

Cum-

Cumq; iterum in Galliā rediisset, Aurelianensem Academiā, ac deinde celebre illud Parisiense Gymnasium omniū scientiarū domicilium adiit; ibiq; cùm vigesimum secundum ætatis annum vix attigisset, comœdiam, primam Aristophanis, quæ Plutus inscribitur, e græca in latinam linguam eleganter conuersam, in lucem edidit, auunculo nuncupatam, qui eo tempore apud Franciscum Gallorum Regem legatione fungebatur, ad ea tandem properemus, quæ gessit in magistratibus obeundis, quos fere omnes gradatim ac summa cum omnium bonorum propensione, & applausu consequutus est.

Primum igitur ad senatoriam dignitatem admissus in suprema illa curia, quæ Supplicationis vulgò dicitur, magnam apud omnes integritatis, & doctrinæ famam sibi comparauit. Nec multo post criminum Auditor (vt vocant) creatus, incredibili animi moderatione, & æquitate, munus illud, & reliqua omnia, quæ gessit, administrauit.

Permotus itaque serenissimus Rex Sebastianus eius virtutum, & eruditionis fama, cùm per diuersas Lusitaniæ prouincias certū Senatorum numerum cum suprema potestate mittere decreuisset, illum honorificentissimo munere ornatum ad Cistaganam regionem delegauit, cui præerat Petrus a Cugna vir summo loco natus, quo post paucos men-

ses a Rege, ad quædam belli munia subeunda reuocato, ipse in eius locum suffectus est, & Præsidis officium suscepit. In quo ita se gessit, vt purgata maleficis hominibus prouincia, & optime vbique ordinato reipublicæ statu, maximum decus & celebrem nominis famam inde reportauerit.

Mox vero cum Regi visum e Republica fuisset, tres grauissimos viros ex Senatorio ordine, Olysipponensi ciuitati gubernandæ præficere, ipse inter primos nominatus est, qui ad eum triumuiratum assumeretur, in quo munere tanta nominis celebritate floruit, vt audito obitus eius nuntio, populus Olysipponensis illum publice lugeret, vt communem parentem, & egregium libertatis suæ defensorem.

Idque Christophorus Tauoræ vir nobilissimus, qui tunc gratia apud Regem plurimũ poterat, se vidisse narrauit, cum ob conceptum ex illius obitu mœrorem filios consolaretur. Quin etiam cũ post luctus tempus, ipsi Regem adijssent, deque eius meritis verba facerent benignissimus Princeps vix lacrymas comprimens, & ingemiscens, in eius laudes prorupit.

Quod etiam illis contigit apud pijssimam, atque sapientissimam Reginam Catherinam Regis auiam, & apud Henricum Cardinalẽ, qui Sebastiano in Regno successit, & apud

reli-

reliquos principes. Omnes enim illum vt virum pium, & optime de Republica meritum, præterea singulari eruditione præditũ, & vehementer amabant, & tam integra adhuc ætate e vita decedere ægre ferebant.

Nam quinquagesimum secundum annum agebat, cum graui morbo correptus, intra paucos dies obijt, compositis prius omnibus rebus, tam quæ ad animæ salutem, cuius illi semper præcipua cura fuit, quàm ad sepulturæ locum, liberorumq. tutelam, & bonorum successionem pertinebant. Quæ omnia aliquot annis antea, in tabulas testamenti redacta, occulteque semper apud se asseruata reliquit.

Tam manifesta autem signa pietatis dedit, vsque ad vltimum vitæ spiritum, vt & religiosi, qui aderant, & reliqui amici, qui funeri interfuerunt, magnopere illius animi constantiam admirarentur.

Obijt Olysippone mẽse Aprilis anno millesimo quingentesimo, septuagesimo septimo, in ea vrbis regione, vbi arx editissima sita est. Corpus suum in vicina Sanctæ Crucis Ecclesia deponi voluit, vnde postea Cetobricam translatum & in sepulchro auito collocatũ fuit, in celebri & magnifico sacratissimæ Virginis Mariæ templo, in capella maiori, in cuius parœcia domus Cabedia sita est.

Vxorem vnicam habuit Leonoram Pinariam

riam de Vaſconcellos, conſanguineam ſuã; ex qua ſeptem liberos ſuperſtites reliquit, quinque videlicet filios, & filias duas.

Ex filijs natu maximus Georgius Cabedius de Vaſconcellos, varijs amoris, & pietatis argumentis, erga Patris memoriam editis, tam in eius exequijs procurandis, quàm in transferendo corpore, & legatis adimplendis, eandem etiam pietatem erga matrem, & reliquos fratres exercens, magnam apud omnes virtutis, & probitatis famam conſequutus eſt: ac paterna veſtigia ingreſſus, in Senatoris munere obeundo, atque alijs arduis negotijs ab inuictiſsimo Rege noſtro Philippo, & à Sereniſsimo Principe Alberto, ipſius fidei commiſsis, cum ſumma integritatis, & doctrinæ laude verſatur. Qui tandem ad conſilium ſtatus Luſitaniæ, quod apud Regem Madriti reſidet, euocatus eſt. Filium ſecundo genitum habuit Gonçallum Mendez de Vaſconcellos. is ſacris inſignitus in Collegium Sancti Pauli Academiæ Conimbricenſis cooptatus eſt: in qua ex mandato Regis per aliquot annos publice legit, quem munere Inquiſitorio functum, & ad Senatum ſupplicationis euectum Rex noſter Philippus Romam miſit, vt apud Summum Pontificem negotia ipſius tanquam Regis Luſitaniæ ageret, vbi à Sanctiſsimo D.N. Clemente VIII. Referendarius vtriuſque ſignaturæ

crea-

creatus est. Quo tempore adeptus occasionem in lucē edidit aliquot sua opera, quæ ad ius canonicum & ciuile pertinebant, scilicet tres libros diuersorum iuris argumentorum, ac tractatum de sententijs Inquisitionis: recognouit & emendauit librum de antiquitatibus Lusitaniæ & alia opuscula optimi & doctissimi parentis, & consanguineorū, quæ Typis Vaticanis magna industria, & suis sumptibus mandare curauit.

Superest vt de eius scriptis, deque studiorum ratione aliquid dicamus. Et quod ad iuris ciuilis disciplinam attinet, multa scribere, & in lucem edere potuisset, nisi persuasum haberet, parum ex ea re vtilitatis reipublicæ prouenire, propter innumerabilem prope librorum copiam, ex quibus tantum abest, vt aliqua lux legum obscuritati afferatur, vt potius maiores in dies ex illis tenebras, atque ambages oriri videamus; vt non immeritò Imperator Iustinianus celeberrimo vetuerit edicto, nequis in posterum commentarios in ius ciuile scribere auderet, idq. etiam Summis Pontificibus curę fuit: sed auida hominum mens ad ea semper audēda, quæ vetita & prohibita sibi, aut indignatur, aut dolet, effecit, vt hodie collidentibus se inuicem doctorum opinionibus, difficillimum sit, quicquam certi in iure asserere: cum sententiæ non pondere, aut æquitate, sed numero

præ-

præualeant. His ergo rationbus adductus, cum plurima in libris Iuriſconſultorum diligenter obſeruaſſet, quæ acutè, & copiosè interpretari potuiſſet, omnino ſibi ab ea ſcriptione abſtinendum iudicauit.

Animum igitur appulit ad ea tantum conſcribenda, quibus grauiora ſtudia remittere, & cum muſis in gratiã redire poſſet, quæ meditari ſolebat, cum à ſerijs negotijs aliquid temporis ſupererat, vel cum iter faceret, aut ruri eſſet. nunquam enim minus erat otioſus, quam cum otium nactus fuerat.

Scripſit libenter heroica carmina, quibus Ioannis Principis epithalamion, deinde Sebaſtiani Regis Genethliacon celebrauit: cum verò idem Rex vigeſimum tertium ætatis annũ ageret, cum eius natali die ciuitas Olyſipponenſis publicum votum pro eius incolumitate ſuſceptum, ſolenni ſupplicatione exoluiſſet, ipſe pro iniũcto ſibi munere (nam triumuiratum gerebat) vt erat in Regem, & in eius laudes propenſiſſimus communem lætitiam, peculiari quoque amoris, & obſeruantiæ argumento cumulare cupiens, poema illud cõpoſuit quod inſcribitur (vota vigeſima tertia) idque paucis horis, & quaſi ex tempore, vt ciuitatis nomine pro natalitio munere Regi offerri poſſet.

Circa ſtemma ſuum, & inſignia gentilitia in aulæis, duo elogia ſcripta gerebat, alterum

Græce, quod ad verbum sic habet: Hoc speculum progenitores nostri posteris suis reliquerunt, honoris & virtutis ergo. Alterum latinè in hunc modum: Gloria nostra, testimonium conscientiæ nostræ.

Græcis litteris assiduam operam semper impendit, in quibus adeò profecit vt eas non minus exactè, quàm latinas calleret, & felicissime plurima ex Græcis auctoribus in latinũ sermonem conuerteret, quæ in lucem edere minimè curauit. Villas suas & ædes versiculis, & ingeniosis inscriptionibus decorare studuit.

Prudentia fuit singulari, memoria tenaci, peracuto ingenio, acri iudicio, & suapte natura ad res difficiles, & obscuras in antiquorum libris peruestigandas, valde propensus.

Opera Sidonij Apollinaris, quæ librariorũ incuria penitus corrupta, ac deprauata circunferuntur, nacto Parisijs, in bibliotheca Victoriana, codice manuscripto, restituere conatus est. Nec minorem diligentiam adhibuit in elucidandis varijs veterum auctorum locis difficilioribus. Statura fuit nec breui, nec nimis procera, flauo capillo, hilari vultu, sed innata quadam grauitate decoro, & cuius aspectum, tam domestici, quàm extranei non minus amabant, quàm reuerebantur.

Clarissimi viri Michaelis Cabedij Epitaphium per Ignatium de Moraes.

Ossa Michaelis sunt hic tumulata Cabedi,
Quem legum, & iuris docta caterua gemit.
Florentem studijs, genere, haud ætate labantem
Mors tulit humanis inuidiosa bonis.
Causarum iudex, inter quos regia honorat
Curia, præclarum nomen adeptus erat.
Cingebat gemina (quod rarum est) tempora lauro,
Inque forum Phœbum, Castalidasq. tulit.
Gloria sed maior morum est, & vita probata,
Quæ numquam a recto deuia iure fuit.
Ergo cadauer humo requiescit, ad astra volauit
Mens iusta, & iusti iudicis ora videt.

In laudem Michaelis Cabedij Regij quondam Senatoris, Auctoris patris.

Emmanuel Pimenta societatis IESV.

Sedes Vlyssis, qui lauit aureas
Tagus fluentis aurifer aureis
Fuluosque thesauros profundit
Gemmifera pretiosus vrna:


Fuluo decorus tegmine sustulit
Aurata fuluo tempora gurgite,
Interque Nympharum cateruas
Ora suo lita soluit auro.
Heroa nostis nobilis ingeni,
Qui nos Hydaspi prætulit Indico,
Niloque, famosoq. Gangi,
Eridano, latioque Tibri:
Nymphæ superbi gloria fluminis
Non vsitatis tollite laudibus
Insigne Kebedi per ortus
Nomen, Hyperboreosq. campos.
Virtus inerti pressa silentio
Patrum sepultæ distat inertiæ,
Heroes a musis sepulti
Ad superas reuocantur auras.
Obliuiones non ego liuidas
Sinam labores capere, maximi
Et facta Kebedi superba
Ingenuis cumulata palmis.
Aequum merenti reddere gratias,
Quo gloriosus ciue superbio,
Dum frænat insignem per annum
Iure domos Ithaci beatas
Præses seueræ iure potentiæ
Dum regna lustrat proxima Duriæ
Vel flore, vel Lympha fugaci
Elysias imitata syluas,
Seu consulentis Regia Curiæ
Consulta, lingua prouehit aurea.

Prudens futuri, vel per vsus
Dotibus ingeni superbus:
Seu clara profert lumina patriæ,
Claros decoro nomine liberos.
Queis ardor in morem leonum
Ense sacro lacerare Turcas;
Queis sacra cordi, queis bene Principis
Commissa magni cura negotij,
Queis cura nuptarum decus, vel
Virgineam capere ante palmam,
Heroa Nymphæ dicite, plausibus
Permista lætis carmina: non volo
Cessent per Europam, per Afros,
Perque Asiæ locupletis oras:
Donec decoris parta laboribus
Conuexa mundi gloria transuolet,
Noritq. præclaros honores
Posteritas venientis æui.
Sic fatus vndis mergitur aureis,
Nymphæ coronas vertice detrahunt,
Ex hisq. Kebedo coronam
Flore parant pretiosiorem.
Cui nec procellæ, nec fuga temporum,
Mauorsque, vel mors Marte potentior,
Non ira cæli fulminantis
Excutient meritos honores.

Epigramma ad eundem Michaelẽ Cabediũ.

STirps genus egregium dedit inclyta, docta Mineruam.

Iura tibi, linguam gratia, Musa chelim.
Vtiliter patriæ vixisti, mortuus illi,
Vtilis es natis, post tua fata, tuis.
Non moritur moriens, qui pignora clara relinquit,
Clara sibi, patriæ non minus illa suæ.
Te natæ coluere duæ, nam ætate trophæis
Illustri in campis maxima iuncta viro est.
Altera dulce iugum mundanæ nescia vitæ
Sustinet, hanc refouet religionis amor:
Proq. fide sacro præbes duo fulmina Marti
Dissimiles fratres tempore, Marte pares.
Hic sacri Antistes iuris, sacer additus aris,
Et mundum sacris, ingenioq. iuuat.
Alter ius callens augusta negotia curat
Iustitiæ Regi gratus honore suæ.
Mortuus in natis viuis post fata, tibiq.
Longior efficitur, quàm data vita fuit.
Non habet ætatem, sed numinis æmula virtus
Omnia transcendens sæcula fine caret.



PLV-

PLVTVS ARISTOPHANIS Comœdia in Latinum conuersa sermonem, Auctore Michaele Cabedio Senatore Regio, dum Parisijs esset anno M.D.XLVII.

D. GONDISALVO PINARIO, Visensi Episcopo Ioannis tertij Lusitaniæ Regis in Gallia Legato auunculo suo, M. Cabedius. S.



ONVERTI Domine, per eos dies quibus paucis, iuris studia, more maiorum, intermitti solent, vnam de Aristophanis Comœdijs in Latinum sermonem, Plutum, quam inter ceteras eius Auctoris in primis tibi probari intellexeram. Eam igitur qualem qualem lucubratiunculam mihi perire cum nollem, tibi dicatam emisi, ratus opellæ nihili, plurimum momenti nomen tuum facturum. Conseruet Deus dignissimam personam tuã. Vale. Parisijs. Kal.Octob.M.D.XLVII.

FABVLAE ARGVMENTVM.

SEnex quidam Chremylus pauper, ad deum venit, consulitque qui ad splendidam lautamq. possit vitam transire. Spondet oraculum, imperatq. e templo exeunti, qui primus obuiam fiat, sequi. In cæcum igitur & senem incidens, dum Deo paret, sequitur: (is Plutus erat) qui cum collocutus, ad Aesculapij ducit, eum oculorum valetudine liberaturus. Sic nimirum diues fit. Quod ægreferens Inopia, eius consilij auctoribus conuitians, accedit: cum qua dialogus non iniucundus intercedit, malis Inopiæ cum Pluti bonis collatis a Blepsidemo, & Chremylo, multisq; alijs influentibus in Mineruæ sacrario, Pluti consecratæ sunt statuæ.

PERSONAE.

Kario seruus.	Dicæus.
Chremylus herus.	Sycophanta.
Plutus.	Anus adolescẽtis amica.
Chorus agrestium.	Adolescens.
Blepsidemus.	Mercurius.
Inopia.	Sacerdos Iouis.
Vxor Chremyli.	

K. *PRoh Iuppiter, dijq., quàm res est grauis*
Seruo, parum cordatum herum nanci-
scier?
Nā consulat si forte quæ salubria sunt,
Illiq. diuersa sedeat sententia,
Mali necesse herilis vt sit particeps.
Nec enim sinit Fortuna dominum corpori
Suo dominarier, sed illum qui emerit.
Atque hæc ita ædepol se habent. sed quæ velim
Huic verbiflectæ dicta, qui aureo è tripode
Pandit futura: quippe qui cum sit medicus,
Sagaxq. vates, vulgus hominum vt prædicat,
Dimisit atra bile meum herum percitum,
Qui cæci hominis vestigia a tergo legit.
Contrarium eius quod facere eum conuenit.
Cæcos enim, nos qui videmus, ducimus:
At iste contra sequitur, & me ipsum simul
Subigit, reclamantemq. adeo ne gry quidem.
At ni prius dixis mihi, quid hoc siet,
Cur curiosè ita hunc sequimur, non desinam:
Facessero q. tibi vsque, & vsque negotium.
Nec enim coronatum timeo ne verberes:
Ch. *Sane quidem, sed laurea dempta, modo*
Si me molestes, fecero vt doleas magis.
K. *Nugas agis, non finem ego faciam prius,*
Quàm tu illud expedias quis hic homo siet,
Interrogo namque id, animo perbeneuolo.
Ch. *At te hoc latere haud volo, meorum quod sciam*

Ser-

Seruum, & fidelem maxime te, & callidum.
Quum iustus essem vir ego, & in Deos pius,
Per inopiam vitam trahebam ægre. K. *scio.*
Ch. *Ast alij abundabant, sacrilegi, & rhetores,*
Calumniatoresque, & id genus homines.
K. *Certe.* Ch. *rogaturus igitur veni Deum.*
Vitam quidem meam ipsius miser videns
Multa die exhaustam, magis ne e re mei
Olim, mihi vnus qui obtigit, nati fuat,
Ex integro si moribus inuersis siet,
Iniquus, & versutus, & sani nihil
Vitæ illud apprime vtile, quæ nunc est, ratus,
K. *Quid ergo Phœbus ex coronis rettulit?*
Ch. *Audi, locutus ille mihi apertissime,*
Ne quo modo conspectu abiret e meo,
Iussit cauerem, qui veniret obuiam
Primus: domum quin vsque perstarem sequi.
K. *Hic primus est vero obuiam factus tibi?*
Ch. *Sane.* K. *nec ipsum intelligebas dum deum:*
Tibi imperantem stulte quam clarissima,
Qui filium mores videlicet tuum
Iussit doceres patrios? Cæ. *censen' ita?*
K. *Quin plane & exluci sit hoc cernere facile,*
Nil vtile mage nunc, prout sunt tempora,
Quàm quæ bona sunt, omnino habere in vltimis.
Ch. *Isthuc nequaquam tendit hoc oraculum.*
Maius quid est: at arbitror nobis suum
Si nomen hic memoret modo, narretq. quid,
Et quem rogaturus simul introiuerit,
Demum fore, obscurum vt pateat vaticinium.
Age,

K. *Age, eloquere illud, quis fies tu homo nisi*
Quæ ad hæc solent, mauis tibi fieri Ch. *ocyus*
Id expediendum est. P. *flere nuncio ego tibi.*
K. *Suscipe hominem, Deiq. faustum oraculum.*
Ch. *Eccere equidem non amplius lætabere.*
Te namque, ni dicis, malum perdam male.
P. *A me hinc, amabo.* Ch. *numquam id obtineas ho-*
K. *Quin est here illud optimum, quod consulo. (die.*
Hominem enecem, quo pessime isthunc pessimum
Statum relinquam in eminenti quopiam
Præcipitio, vt excolictur inde prouidens.
Ch. *At arripe actutum,* P. *minime.* Ch. *ain ergo tu?*
P. *Verum timeo, ne vbi qui ego sim dixero,*
Nec dum liceat abire, & affecto male.
Ch. *Deos tibi iuratos an hanc rem omnes habe*
Licet, modo velis. P. *me ergo primum mittite.*
Ch. *Mittimus.* P. *animum date, video necesse eloqui*
Celare quæ vos statueram, Plutus sum ego.
Ch. *O omnium mortalium turpissime,*
Cum Plutus esses, tu tacebas siccine?
K. *Hem, Plutus es tu? isthoccine affectus modo?*
O Phæbe Apollo? o & dij? o & dæmones?
O Iuppiter? quid audio? tu ne ille? Pl. *sum.*
Ch. *Ille ipse?* P. *vere ipsissimus.* Ch. *vnde igitur, cedo.*
Sic scalidus prodis? P. *venio e Patrociee,*
Qui balneum non vidit, ex quo natus est.
Ch. *At istud vnde tibi mali? dic obsecro.*
P. *Mulctauit hoc me Iuppiter malo, inuidens*
Rebus hominum, olim quòd puer iactauerim
Solos aditurum me bonos: id vero eo,

Vt cæcus ex his neminem dignoscerem,
Adeo vsque iustis, & bonis ille inuidet.
Ch. At per bonos ille colitur tantummodo,
Iustosq. P. nullus inficior. Ch. quin age modo,
Si pristinum tibi lumen esset redditum,
Fugeres malosne exinde? P. ego vel maxime.
Nam ab hoc genere longo abfui iam tempore.
Ch. Mirum nihil, cum ipse & ego video qui probe.
P. Me mittite iam, de me tenetis omnia.
Ch. Quin per Fidium retinebimus tenacius.
P. An non ego prædixi negotium mihi
Vos esse facturos? Ch. at animum da obsecro,
Nec deserat per tantulum me, quære licet,
Vsquam virum alium gentium non reperias,
Qui moribus sit preditus melioribus.
P. Omnes id ipsum iactitant: verum vbi me habent,
Vbi sunt abunde farti, vbi denique diuites,
Impendiò sunt pessimi tunc scilicet.
Ch. Sic res habet; at omnes tamen non sunt mali.
P. Immo Hercule omnes. K. quærit hic malum sibi.
Ch. At vt experimento, si maneas, ipse videas,
Fient quæ apud vos bona, mihi fac sis moriger.
Etenim (superis auctoribus dictum velim)
Hoc spero oculorum te malo sanauero,
Lumenq. reddidero. P. minime isthuc efficies.
Nec enim volo videre rursum. K. quid tu ais?
Est natus ingenio egregie hic ad miseriam homo.
His persuasus stultiloquijs Iuppiter
Daret, scio, malum mihi. Ch. num non malum
Dat, obsecro, qui cespitantem errare sinat?

Id

P. *Id nescio, ego illum timeo tamen, quàm maxime.*
Ch. *Vereue ais? demum o timidissime omnium,*
Ipsumne famigerati aliquid Iouis imperium
Et fulmina esse credis hemidrachmij?
Modo liceat videre vel momentulum?
P. *Haud profer isthæc pessume tu.* Ch. *pauca obsecro,*
Ostendam enim tuo esse te multo Ioue
Potentiorem. P. *tu ne me?* Ch. *per cælum vtique.*
Primum ergo per quênam imperat dijs ille? K. *per*
Pecuniam, huius grandis illi copia est.
Ch. *Age hanc, quis illi?* K. *hic scilicet.* Ch. *quid? non etiam*
Illi per hunc sacrificia? K. *hercule oppido,*
Precarioq. diuitias plane petunt.
Ch. *Horum igitur auctor vnus hic est omnium,*
Et ista cessabunt velit hic modo omnia.
P. *Quinam hoc?* Ch. *quia nullus nempe dehinc sacra faciet,*
Neque boue, neque libo, neque alio quopiam,
Nolente te. P. *qui inquam istud?* Ch. *hem, qui interrogas?*
Quia non habebunt vnde comparent, nisi ipse sufficias, adeo vt molestus si fiet
Vnquam tibi, totum queas euertere
Facile eius imperium. P. *quid ais? per me Ioui*
Sacra? Ch. *aio, quin si splendidum, pulchrumve quid est,*
Aut quod hominibus arrideat, per te omne id est.
Vni omnia sunt pecuniæ obedientia.
K. *Tantilla & ipse raptus in seruitium ego*

Fui pecuniæ, quia mihi illa deerat.
Ch. *Quin & meretriculas ferunt Corinthias,*
Si forte quispiam roget diues parum,
Aliam rem agere, verum vbi quis accedat probe
Nummatus, ex verbo statim tergum dare.
K. *Ipsum facere illud pusiones, inquiunt,*
Ne minimum amatorum morati gratiam,
Sed nummulos. Ch. *meritorios narras, boni,*
Et ingenui non hoc. K. *quid ergo?* Ch. *alius equũ,*
Molossum alius rogat, K. *veriti pecuniam*
Sane, pro amore petere mercenario,
Absurdam honesto palliant rem nomine.
Ch. *Omnes & artes, omnis & scientia.*
Te propter vnum inter homines inuenta se-
dentarius corium ille concidit, alius
Exercet æs, tractat alius fabrilia:
Ille excolit, quod cœpit e te, aurum, vacat
Ille spolio, compendium ille ædificio
Quærit: alius fullonicam facit, lauat
Vellera alius, polit alius corium, alius
Diuenditat cæpam, glabram per te haud timet
Adulter. P. *o me horum omnium quondã inscium.*
Ch. *Rex nonne propter hunc superbit maximus?*
K. *Nunc propter hunc concilia habentur omnia?*
Ch. *Non tu Triremes vnus, obsecro, apparas?*
K. *Non militem hic alit Corinthi extrarium?*
Ch. *Non lacrymas excutiet iste Pamphilo?*
K. *Quin, pisciuendæ nonne simul cum Pamphilo?*
Ch. *Et nonne pedit propter hunc Argyrius?*
K. *Nonne ob te etiam sunt fabulæ Philepsij?*

Belli

Ch. *Belli socios non concilias tu Aegyptijs?*
K. *Laisne, non propter te amat Philoniden?*
Ch. *Turris Timothei?* K. *corruat in caput tibi.*
Ch. *Age, & reliqua non per te aguntur omnia.*
Nempe vnicus tu rerum es auctor omnium,
Pro certo habe, velis malas, velis bonas.
K. *Hi pro quibus stas ipse, vbique gentium*
In omnibus sunt fortiores prœlijs.
P. *Ego vt tot vnus possim obire munia?*
Ch. *Quin hisce multo plura per Fidium Iouem:*
Vt non fuerit te fartus vnquam quispiam.
Est ceterarum namque modus, & satietas
Rerum, est amoris. K. *panis est.* Ch. *& musices,*
K. *Bellariorum.* Ch. *honoris est.* K. *& pultium.*
Ch. *Virtutis est.* K. *est Caricarum.* Ch. *& gloriæ.*
K. *Est crustulorum.* Ch. *& imperij.* K. *lentis etiam.*
Ch. *At non fuit te fartus vnquam quispiam:*
Vt cui talenta modo obueniant decem & tria,
Habere iam ex eo cupiat sex & decem:
Rursum ista vbi nactus est, quadraginta expetit,
Necdum sibi vitam esse vitalem asserit.
P. *Narrare vera iam mihi videmini.*
Vnum tamen timeo. Ch. *quid est illud cedo?*
P. *Ne posse quem vos tanta dicitis modo:*
Opinione postmodum fallar mea.
Ch. *Hercle minime, quin illud omnes dictitant,*
Timidissimum Plutum esse. P. *nil vero minus:*
Effractor hoc mihi quispiam calumniæ
Intendit, aliquo forsitan irrumpens, vbi
Nil ad manum videt, bene conclusa omnia,

Meam

Meam timoris insimulat prudentiam.
Ch. Ne quicpiam tibi fiet curatio.
Huic si modo rei promptus animum intenderis,
Te oculatiorem reddam, & ipso lynceo.
P. Mortalis isthæc qui potis præstare tu?
Ch. Innata spes est nescio quæ mihi, Apollinis
Laurum mouentis nuper ex oraculo.
P. Horum ille conscius est etiam. Ch. sane quidem.
P. Videte quam vos rem geratis. Ch. impera
O bone tibi otium: istud ego effectum tibi
Vitæ & periculo dabo. K. quin sis & ego.
Ch. Plurimi aderunt commilitones insuper.
Nobis quibus victus perinde suppetit
Iustis. P. pape, ais commilitones pauperes?
Ch. Aio ego, vbi per te nempe fient diuites.
Sed heus tu, age, propera. K. quid est quod me ve-
Ch. Accerse confines agricolas, quos, puto, (lis?
Agrestibus intentos reperies operibus.
Huic arbitri adsient negotio, bonis
Nobiscum vt æque participent præsentibus.
K. Dicto obsequor: sed hanc carunculam iube
Per familiarium introferri quempiam.
Ch. Istud ego curabo: tu age illud ocyus.
At tu deorum Plute maxime omnium,
Ingredere mecũ huc intro: namque hæc est domus,
Quam tu pecunijs hodie offertissumam
Reddas opus est: quo iure, quaque iniuria.
P. Verum molestum est illud, ac graue admodum
Mihi, passim alienas familias adire. sci
licet quia nil inde redit ad me commodi.

Etenim incidam si in quempiam parcum nimis,
Terra sub ima me recondit illico.
Tum forte si accedat quis amicus, vel probus,
Vel tantulam qui corroget pecuniam,
Vidisse se me vnquam negat: si in prodigum,
Obiectus & meretricibus, & talis miser
Nudus foras protrudor, intra temporis
Spatium breuissimum. Ch. *modestum vt qui virū*
Non nactus vnquam es: at id adeo est mihi inge-
Parcissimus sum nempe, si quis est alius. (niū.
Sum prodigus itidem, cum id ipsum postulat.
Res. sed age, eamus intro: volo quoque videant
Et vxor, & quem vnicum habeo, te filius:
Quem ego magnopere vnum, a te modo vno
amo. K. *audio.*
Ch. *Namque tibi cur ipsam rem aperte non loquar.*
K. *O capam eandem sapius, compransi hero sodales*
Viri, populares, & laboriosi: agite, accelerate
Vestigiū cunctandi etenim non vlla copia, in ipso
Est tempus articulo, quo adesse auxilio oportuit.
Ch. *Iam nos diu viam vides instare concitato (vos.*
Quā possumus gradu, senio viri vtpote debilitati.
Ne vero opinere, haud hodie mehercule prius ego
curram,
Quàm tu illud efferas, quid est quod nos tuus ve-
lit herus.
K. *At ego id tibi pridem recenseo, nec ipse me audis.*
Iucundam herus de cetero denunciat, & beatam
Vitam omnibus vobis, misera hac, & in labo-
riosa

 Abie-


Iura tibi, linguam gratia, Musa chelim.
Vtiliter patriæ vixisti, mortuus illi,
Vtilis es natis, post tua fata, tuis.
Non moritur moriens, qui pignora clara relinquit,
Clara sibi, patriæ non minus illa suæ.
Te natæ coluere duæ, nam ætate trophæis
Illustri in campis maxima iuncta viro est.
Altera dulce iugum mundanæ nescia vitæ
Sustinet, hanc refouet religionis amor:
Proq. fide sacro præbes duo fulmina Marti
Dissimiles fratres tempore, Marte pares.
Hic sacri Antistes iuris, sacer additus aris,
Et mundum sacris, ingenioq. iuuat.
Alter ius callens augusta negotia curat
Iustitiæ Regi gratus honore suæ.
Mortuus in natis viuis post fata, tibiq.
Longior efficitur, quàm data vita fuit.
Non habet ætatem, sed numinis æmula virtus
Omnia transcendens sæcula fine caret.



PLV-

PLVTVS ARISTOPHANIS Comœdia in Latinum conuersa sermonem, Auctore Michaele Cabedio Senatore Regio, dum Parisijs esset anno M.D.XLVII.

D. GONDISALVO PINARIO, Visensi Episcopo Ioannis tertij Lusitaniæ Regis in Gallia Legato auunculo suo, M. Cabedius. S.



CONVERTI Domine, per eos dies quibus paucis, iuris studia, more maiorum, intermitti solent, vnam de Aristophanis Comœdijs in Latinum sermonem, Plutum, quam inter ceteras eius Auctoris in primis tibi probari intellexeram. Eam igitur qualem qualem lucubratiunculam mihi perire cum nollem, tibi dicatam emisi, ratus opellæ nihili, plurimum momenti nomen tuum facturum. Conseruet Deus dignissimam personam tuã. Vale. Parisijs. Kal.Octob.M.D.XLVII.

FABVLAE ARGVMENTVM.

SENEX quidam Chremylus pauper, ad deum venit, consulitque qui ad splendidam lautamq. possit vitam transire. Spondet oraculum, imperatq. e templo exeunti, qui primus obuiam fiat, sequi. In cæcum igitur & senem incidens, dum Deo paret, sequitur: (is Plutus erat) qui cum collocutus, ad Aesculapij ducit, eum oculorum valetudine liberaturus. Sic nimirum diues fit. Quod ægre ferens Inopia, eius consilij auctoribus conuitians, accedit: cum qua dialogus non iniucundus intercedit, malis Inopiæ cum Pluti bonis collatis, a Blepsidemo, & Chremylo, multisq. alijs influentibus in Mineruæ sacrario, Pluti consecratæ sunt statuæ.

PERSONAE.

Kario seruus.	Dicæus.
Chremylus herus.	Sycophanta.
Plutus.	Anus adolescẽtis amica.
Chorus agrestium.	Adolescens.
Blepsidemus.	Mercurius.
Inopia.	Sacerdos Iouis.
Vxor Chremyli.	

K. PRoh Iuppiter, dijq., quàm res est grauis
Seruo, parum cordatum herum nancifcier?
Nã consulat si forte quæ salubria sunt,
Illiq. diuersa sedeat sententia,
Mali necesse herilis vt sit particeps.
Nec enim sinit Fortuna dominum corpori
Suo dominarier, sed illum qui emerit.
Atque hæc ita ædepol se habent. sed quæ velim
Huic verbiflectæ dicta, qui aureo è tripode
Pandit futura: quippe qui cum sit medicus,
Sagaxq. vates, vulgus hominum vt prædicat,
Dimisit atra bile meum herum percitum,
Qui cæci hominis vestigia a tergo legit.
Contrarium eius quod facere eum conuenit.
Cæcos enim, nos qui videmus, ducimus:
At iste contra sequitur, & me ipsum simul
Subigit, reclamantemq. adeo ne gry quidem.
At ni prius dixis mihi, quid hoc siet,
Cur curiosè ita hunc sequimur, non desinam:
Facesseroq. tibi vsque, & vsque negotium.
Nec enim coronatum timeo ne verberes:
Ch. Sane quidem, sed laurea dempta, modo
Si me molestes, fecero vt doleas magis.
K. Nugas agis, non finem ego faciam prius,
Quàm tu illud expedias quis hic homo siet,
Interrogo namque id, animo perbeneuolo.
Ch. At te hoc latere haud volo, meorum quod sciam

Seruum, & fidelem maxime te, & callidum.
Quum iustus essem vir ego, & in Deos pius,
Per inopiam vitam trahebam ægre. K. *scio.*
Ch. *Ast alij abundabant, sacrilegi, & rhetores,*
Calumniatoresque, & id genus homines.
K. *Certe.* Ch. *rogaturus igitur veni Deum.*
Vitam quidem meam ipsius miser videns
Multa die exhaustam, magis ne e re mei
Olim, mihi vnus qui obtigit, nati fuat,
Ex integro si moribus inuersis siet,
Iniquus, & versutus, & sani nihil
Vitæ illud apprime vtile, quæ nunc est, ratus,
K. *Quid ergo Phœbus ex coronis rettulit?*
Ch. *Audi, locutus ille mihi apertißime,*
Ne quo modo conspectu abiret e meo,
Iussit cauerem, qui veniret obuiam
Primus: domum quin vsque perstarem sequi.
K. *Hic primus est vero obuiam factus tibi?*
Ch. *Sane.* K. *nec ipsum intelligebas dum deum:*
Tibi imperantem stulte quam clarissima,
Qui filium mores videlicet tuum
Iussit doceres patrios? Cæ. *censen' ita?*
K. *Quin plane & exluci sit hoc cernere facile,*
Nil vtile mage nunc, prout sunt tempora,
Quàm quæ bona sunt, omnino habere in vltimis.
Ch. *Isthuc nequaquam tendit hoc oraculum.*
Maius quid est: at arbitror nobis suum
Si nomen hic memoret modo, narretq. quid,
Et quem rogaturus simul introiuerit,
Demum fore, obscurum vt pateat vaticinium.
Age,

K. *Age, eloquere illud, quis sies tu homo nisi*
Quæ ad hæc solent, mauis tibi fieri Ch. *ocyus*
Id expediendum est. P. *flere nuncio ego tibi*.
K. *Suscipe hominem, Deiq. faustum oraculum*.
Ch. *Eccere equidem non amplius lætabere*.
Te namque, ni dicis, malum perdam male.
P. *A me hinc, amabo*. Ch. *numquam id obtineas ho-*
K. *Quin est here illud optimum, quod consulo. (die.*
Hominem enecem, quo pessime isthunc pessimum
Statum relinquam in eminenti quopiam
Præcipitio, vt excolietur inde prouidens.
Ch. *At arripe actutum*, P. *minime*. Ch. *ain ergo tu?*
P. *Verum timeo, ne vbi qui ego sim dixero,*
Nec dum liceat abire, & affecto male.
Ch. *Deos tibi iuratos an hanc rem omnes habe*
Licet, modo velis. P. *me ergo primum mittite*.
Ch. *Mittimus*. P. *animum date, video necesse eloqui*
Celare quæ vos statueram, Plutus sum ego.
Ch. *O omnium mortalium turpissime,*
Cum Plutus esses, tu tacebas siccine?
K. *Hem, Plutus es tu? isthoccine affectus modo?*
O Phœbe Apollo? o & dij? o & dæmones?
O Iuppiter? quid audio? tu ne ille? Pl. *sum*.
Ch. *Ille ipse?* P. *vere ipsissimus*. Ch. *vnde igitur, cedo.*
Sic scalidus prodis? P. *venio e Patrociee,*
Qui balneum non vidit, ex quo natus est.
Ch. *At istud vnde tibi mali? dic obsecro*.
P. *Mulctauit hoc me Iuppiter malo, inuidens*
Rebus hominum, olim quòd puer iactauerim
Solos aditurum me bonos: id vero eo,

Vt cæcus ex his neminem dignoscerem,
Adeo vsque iustis, & bonis ille inuidet.
Ch. *At per bonos ille colitur tantummodo,*
Iustosq. P. *nullus inficior.* Ch. *quin age modo,*
Si pristinum tibi lumen esset redditum,
Fugeres malosne exinde? P. *ego vel maxime.*
Nam ab hoc genere longo absui iam tempore.
Ch. *Mirum nihil, cum ipse & ego video qui probe.*
P. *Me mittite iam, de me tenetis omnia.*
Ch. *Quin per Fidium retinebimus tenacius.*
P. *An non ego prædixi negotium mihi*
Vos esse facturos? Ch. *at animum da obsecro,*
Nec deserat per tantulum me, quære licet,
Vsquam virum alium gentium non reperias,
Qui moribus sit præditus melioribus.
P. *Omnes id ipsum iactitant: verum vbi me habent,*
Vbi sunt abunde farti, vbi denique diuites,
Impendio sunt pessimi tunc scilicet.
Ch. *Sic res habet: at omnes tamen non sunt mali.*
P. *Immo Hercule omnes.* K. *quærit hic malum sibi.*
Ch. *At vt experimento, si maneas, ipse videas,*
Fient quæ apud vos bona, mihi fac sis moriger.
Etenim (superis auctoribus dictum velim)
Hoc spero oculorum te malo sanauero,
Lumenq. reddidero. P. *minime isthuc efficies.*
Nec enim volo videre rursum. K. *quid tu ais?*
Est natus ingenio egregie hic ad miseriam homo.
His persuaso stultiloquijs Iuppiter
Daret, scio, malum mihi. Ch. *num non malum*
Dat, obsecro, qui cespitantem errare sinat?

Id

P. *Id nescio, ego illum timeo tamen, quàm maxime.*
Ch. *Vereri ais? demum o timidissime omnium,*
Ipsumne famigerati aliquid Iouis imperium
Et fulmina esse credis hemidrachmij?
Modo liceat videre vel momentulum?
P. *Haud profer isthæc pessume tu.* Ch. *pauca obsecro,*
Ostendam enim tuo esse te multo Ioue
Potentiorem. P. *tu ne me?* Ch. *per cælum vtique.*
Primum ergo per quĭnam imperat dijs ille? K. *per*
Pecuniam, huius grandis illi copia est.
Ch. *Age hanc, quis illi?* K. *hic scilicet.* Ch. *quid? non etiam*
Illi per hunc sacrificia? K. *hercule oppido,*
Precarioq. diuitias plane petunt.
Ch. *Horum igitur auctor vnus hic est omnium,*
Et ista cessabunt velit hic modo omnia.
P. *Quinam hoc?* Ch. *quia nullus nempe dehinc sacra faciet,*
Neque boue, neque libo, neque alio quopiam,
Nolente te. P. *qui inquam istud?* Ch. *hem, qui interrogas?*
Quia non habebunt vnde comparent, nisi ipse sufficias, adeo vt molestus si fiet
Vnquam tibi, totum queas euertere
Facile eius imperium. P. *quid ais? per me Ioui*
Sacra? Ch. *aio, quin si splendidum, pulchrumve quid est,*
Aut quod hominibus arrideat, per te omne id est.
Vni omnia sunt pecuniæ obedientia.
K. *Tantilla & ipse raptus in seruitium ego*

Fui

Fui pecuniæ, quia mihi illa deerat.

Ch. *Quin & meretriculas ferunt Corinthias,*
Si forte quispiam roget diues parum,
Aliam rem agere, verum vbi quis accedat probe
Nummatus, ex verbo statim tergum dare.

K. *Ipsum facere illud pusiones, inquiunt,*
Ne minimum amatorum morati gratiam,
Sed nummulos. Ch. *meritorios narras, boni,*
Et ingenui non hoc. K. *quid ergo?* Ch. *alius equũ,*
Molossum alius rogat, K. *veriti pecuniam*
Sane, pro amore petere mercenario,
Absurdam honesto palliant rem nomine.

Ch. *Omnes & artes, omnis & scientia.*
Te propter vnum inter homines inuenta se-
dentarius corium ille concidit, alius
Exercet æs, tractat alius fabrilia:
Ille excolit, quod cœpit e te, aurum, vacat
Ille spolio, compendium ille ædificio
Quærit: alius fullonicam facit, lauat
Vellera alius, polit alius corium, alius
Diuenditat cæpam, glabram per te haud timet
Adulter. P. *o me horum omnium quondã inscium.*

Ch. *Rex nonne propter hunc superbit maximus?*

K. *Nunc propter hunc concilia habentur omnia?*

Ch. *Non tu Triremes vnus, obsecro, apparas?*

K. *Non militem hic alit Corinthi extrarium?*

Ch. *Non lacrymas excutiet iste Pamphilo?*

K. *Quin, pisciuendæ nonne simul cum Pamphilo?*

Ch. *Et nonne pedit propter hunc Argyrius?*

K. *Nonne ob te etiam sunt fabulæ Philepsij?*

Belli

Ch. *Belli socios non concilias tu Aegyptijs?*
K. *Laisne, non propter te amat Philoniden?*
Ch. *Turris Timothei?* K. *corruat in caput tibi.*
Ch. *Age, & reliqua non per te aguntur omnia.*
Nempe vnicus tu rerum es auctor omnium,
Pro certo habe, velis malas, velis bonas.
K. *Hi pro quibus stas ipse, vbique gentium*
In omnibus sunt fortiores prælijs.
P. *Ego vt tot vnus possim obire munia?*
Ch. *Quin hisce multo plura per Fidium Iouem:*
Vt non fuerit te fartus vnquam quispiam.
Est ceterarum namque modus, & satietas
Rerum, est amoris. K. *panis est.* Ch. *& musices,*
K. *Bellariorum.* Ch. *honoris est.* K. *& pultium.*
Ch. *Virtutis est.* K. *est Caricarum.* Ch. *& gloriæ.*
K. *Est crustulorum.* Ch. *& imperij.* K. *lentis etiam.*
Ch. *At non fuit te fartus vnquam quispiam:*
Vt cui talenta modo obueniant decem & tria,
Habere iam ex eo cupiat sex & decem:
Rursum ista vbi nactus est, quadraginta expetit,
Necdum sibi vitam esse vitalem asserit.
P. *Narrare vera iam mihi videmini.*
Vnum tamen timeo. Ch. *quid est illud cedo?*
P. *Ne posse quem vos tanta dicitis modo:*
Opinione postmodum fallar mea.
Ch. *Hercle minime, quin illud omnes dictitant,*
Timidissimum Plutum esse. P. *nil vero minus:*
Effractor hoc mihi quispiam calumniæ
Intendit, aliquo forsitan irrumpens, vbi
Nil ad manum videt, bene conclusa omnia,

Meam

Meam timoris insimulat prudentiam.

Ch. *Ne quicpiam tibi fiet curatio.*
Huic si modo rei promptus animum intenderis,
Te oculatiorem reddam, & ipso lynceo.

P. *Mortalis isthæc qui potis præstare tu?*

Ch. *Innata spes est nescio qua mihi, Apollinis*
Laurum mouentis nuper ex oraculo.

P. *Horum ille conscius est etiam.* Ch. *sane quidem.*

P. *Videte quam vos rem geratis.* Ch. *impera*
O bone tibi otium: istud ego effectum tibi
Vita & periculo dabo. K. *quin sis & ego.*

Ch. *Plurimi aderunt commilitones insuper.*
Nobis quibus victus perinde suppetit
Iustis. P. *pape, ais commilitones pauperes?*

Ch. *Aio ego, vbi per te nempe fient diuites.*
Sed heus tu, age, propera. K. *quid est quod me ve-* *(lis?*

Ch. *Accerse confines agricolas, quos, puto,*
Agrestibus intentos reperies operibus.
Huic arbitri adsient negotio, bonis
Nobiscum vt æque participent præsentibus.

K. *Dicto obsequor: sed hanc carunculam iube*
Per familiarium introferri quempiam.

Ch. *Istud ego curabo: tu age illud ocyus.*
At tu deorum Plute maxime omnium,
Ingredere mecū huc intro: namque hæc est domus,
Quam tu pecuniis hodie offertissimam
Reddas opus est: quo iure, quaque iniuria.

P. *Verum molestum est illud, ac graue admodum*
Mihi, passim alienas familias adire: sci
licet quia nil inde redit ad me commodi.

Etenim

Etenim incidam si in quempiam parcum nimis,
Terra sub ima me recondit illico:
Tum forte si accedat quis amicus, vel probus,
Vel tantulam qui corroget pecuniam,
Vidisse se me vmquam negat: si in prodigum,
Obiectus & meretricibus, & talis miser
Nudus foras protrudor, intra temporis
Spatium breuissimum. Ch. *modestum vt qui virū*
Non nactus vmquam es: at id adeo est mihi inge-
Parcissimus sum nempe, si quis est alius. (niū.
Sum prodigus itidem, cum id ipsum postulat
Res. sed age, eamus intro: volo quoque videant
Et vxor, & quem vnicum habeo, te filius:
Quem ego magnopere vnum, a te modo
amo. P. *audio.*
Ch. *Namque tibi cur ipsam rem aperte non loquar.*
K. *O cæpam eandem sæpius, compransi hero sodales*
Viri, populares, & laboriosi: agite, accelerate
Vestigiū cunctandi etenim non vlla copia, in ipso
Est tempus articulo, quo adesse auxilio oportuit
Ch. *Iam nos diu viam vides instare concitato (vos.*
Quā possumus gradu, senio viri vtpote debilitati.
Ne vero opinere, haud hodie mehercule prius ego
curram,
Quàm tu illud efferas, quid est quod nos tuus ve-
lit herus.
K. *At ego id tibi pridem recenseo, nec ipse me audis.*
Iucundam herus de cetero denunciat, & beatam
Vitam omnibus vobis, misera hac, & in labo-
riosa

Abiecta. Cho. *At istbuc vnde nunc prodijt, ama bo, rerum?*

K. *Ingressus est nunc nunc domum, nescio quem agẽs senem vna*

Secum, rigentem, incuruiceruicum, ore caricato, Edentulum, glabrum, miserum, per calum, & apellam opinor.

Ch. *O nuncium aureũ? istud obsecro de integro renarra. Nam significas illum attulisse copiam pecuniæ.* K. *inquam ego senilium attulisse copiam malorũ,*

Ch. *Num forsitan te impune abiturum furcifer arbitraris.*

Si quid fefelleris, hunc modo me tenente scipionẽ?

K. *Hominem putatis ingenioñ me semper esse eodem Ad omnia? neque dicere sane quidpiam, vel vnquam?*

Ch. *Vt verbero est grauis: at tui inclamant pedes hiu præ.*

Desiderio, videlicet, cyppos pedicasq. inhiantes.

K. *Tua nempe iudicare sorte littera assecuta est:*

Quid adire cessas, symbolum cum porrigat. dibi Charon?

Ch. *Male pereas, vt ingenio falsus animi es: mihi qui Illudis hoc modo. Sed id non prorsus es locutus*

Quidnam fieti, propter quod, inquam, accersimur negoti.

Multo labore qui graues, cum etiam minime vã-

K. *Accurrimus, bulbũ illico radicibus relictis. (caret. At iam amplius celare nequeo vos: domum ille Plutum*

Du-

Duxit, opera cuius erimus omnes diuites hodie omnes.

Ch. *Verene ais? diuitibus omnibus licet esse nobis?*

K. *Quin & Midis, per cælites, modo si auriculæ asini adsint.*

Ch. *Quàm lætor & recreor animi, ductare libet choream*

Præ gaudio, sane siquidem tu serio ista narras.

K. *Volo & ipse ego, Threptanelo in morem Cyclopis olim*

In hunc modum pedes agitans tripudium mouēdo

Vos agere: sequimini ergo chara pignora, occinentes

Subinde ouium balantium, &

Caprarum olentium melos.

Et penis exerti hirci apellæ extrema lingitote.

Ch. *Quæremus & nos Threptanelo rursū Cyclopa balāte, scalidum, te scilicet, & perigerulum prehendemus, agrestia olera crapula madentia euomentem, ouibusq. præeuntem ducem,*

Somno solutum ex crapula.

Passim adorientes torre conterebrabimus præusto.

K. *Rursum & ego Circen, noxio quæ poculo Corinthi,*

Mirum reformatos hominum ex facie in sues repente

Fimo coegit sordido

A se subacto vescier, Philonide sodales,

Imitabor omnibus modis

Vos grunientes ergo præ lasciuia,

Insequimini parentem.

Ch. *Te deinde Circen, noxias miscere potiones*

Solitam, & reformantem in sues præstigijs sodales

 Vlys-

Vlyssis exemplo prehen-
sum testibus, appendemus e lasciuia, caprorum
que, vt asolent, merdabimus
Nares: tu Aristillus subbianti ore occines,
Insequimini parentem.
K. *Verum, agite ridicularijs adinuicem iam omissis,*
Aliam rem agite de cetero: hinc
Ego me intro confero, carnium,
Et panis, vt si hero queam
Quid clanculum expiscarier,
Id mandam, eoque me subinde exerceam labore.
Ch. *Saluere vos iubere, populares viri,*
Merito esset oppido absoletum, & putidum.
Saluto vero rite vos, recto ordine
Qui pote alacres in tempore adestis: vt mihi
Hucusque qui consocij vbique in omnibus,
Seruando etiam nunc sitis auxilio, deo.
Ch. *Bono animo es: ipsum te videre putes vide*
Me, Martem. ain? Plutum pateremur cui rapi?
Tantas qui ob vnicum mouemus publica
In concione triobolum, tragœdias.
Ch. *Et video recta Blepsidemum huc tendere,*
Qui quantum ego ex gestu, atque adeo gressu pro-
pero
Conijcio, de re non dubium est, quin rescierit.
Bl. *Quid hoc negotij sit, vnde, & quomodo,*
Sic de repente Chremylus, inquam, diues est
Factus, sat intelligere nequeo, næ tamen
Multus de eo sedentium ad Kuræa erat
Iam sermo: ditatum repente videlicet

Quen-

Quendam; sed & mirum id mihi est (factum bene)
Quod olim amicos diues accersit suos.
Facit ille sane more minime patrio.
Ch. *Rem totam aperiam, nec dolo dicam tibi*
O Blepsideme, viuimus melius quàm heri,
Licetq. participes, amicus vt pote.
B. *Factusq. ne vere, vt fertur, es diues Chremyle?*
Ch. *Equidem fore iam iam spero, si deus velit.*
Sane nam inest, in re, inquam, inest periculum.
B. *Quod?* Ch. *quod rogas?* B. *at effer id, age, perfice.*
Ch. *Nam gesserimus si bene nos, nobis bene erit*
Quoque: sin minus, mactabimur infortunio.
B. *Id onus minime probum videtur, nec mihi*
Sane placet, post namque tantas tam subito
Natas opes, animo esse rursum ita pauido,
Prodit facinoris, nescio quid, sani parum.
Ch. *Hem, quid tu ais sani parum?* B. *quid si dei*
Post forte fanum depeculatum, modo
Admissi agit te conscientia sceleris?
Ch. *Malorum Apollo auersor? haud quidquam horum ego.*
B. *Agape o bone nugas, rem teneo equidem omnem ego.*
Ch. *Nil quæso suspicere de me tale.* B. *vah,*
Vt ne inuenire prorsus est bonum virum,
Omnes sed vni inseruiunt misere lucro.
Ch. *Sanus equidem sat esse non videre mihi.*
B. *Quàm a pristinis mutatus olim moribus?*
Ch. *Tu minime es apud te homo satis.* B. *verum vide,*

Vt ipse nec aspectus loco maneat suo,
Et facinus admissum manifeste comprobet.
Ch. *Scio quam rem agas, quasi quidpiam furatus ego*
Te participem vis faciam. B. *ego men' tu vt participem?*
Ch. *Longe alia alia hæc res est, secus ac putas habet.*
B. *Furatus haud es, at rapuisti.* Ch. *inquam furis.*
B. *At neque quidem quemquam spoliasti, te obsecro?*
Ch. *Minime aio ego.* B. *o magne Hercules, quo te igitur age*
Vertas rogo? verum obstinate qui abnegas?
Ch. *Me namque criminis vocas, rei inscius.*
B. *Amice, ego hoc a minimo adeo expediam tibi,*
Fiat priusquam ciuitati propalam,
Nummo, videlicet, ora rhetorum obstruens.
Ch. *Isthoc mihi videare amicus oppido,*
Minas vbi erogaueris tres, duodecim
Dixis. B. *Tribunal iam hinc ego te ad publicum*
Cum vxore liberisq. sisti supplicem
Prouideo. quales Herculis olim liberi
Populo dedere supplicium, apud Pamphilum.
Ch. *Erras homo miser: optimos quin quosque ego*
Comes, modestos quosque fecero viros
Ad facietatem diuites vsque. B. *quid ais?*
Adeone grande, quæso, furtum est? Ch. *Heu mali.*
Impendio peribis. B. *immo tu hercule,*
Ipse arbitror. Ch. *vero minime scelus habeo*
Nam Plutũ ego. B. *tu Plutum? age quem tandẽ?* Ch. *deum?*
Ipsum ipsum. B. *vbi ille?* Ch. *intus.* B. *vbinam?* Ch. *apud*

apud me. B. *apud te?* Ch.*equidem.*

B. *Non ad* Koracas *? Plutusne apud te?*Ch.*per deos Omnes.* B. *ain tu?* Ch.*aio,inquam,ego.*B.*per Cererem ais?*

Ch. *Magnum immo Neptunum.* B.*marinum deieras?*

Ch. *Quin, siquis alius est adhuc Neptunus, alium.* B. *deinde non mittes amicos ad tuos?*

Ch. *Non est in isto dum negotium.* B. *quid ais,*

Non dare potest? Ch.*sane minime. vnā enim prius.*

B. *Quid?* Ch.*lumen oportet restituamus.* B.*cui cedo?*

Ch. *Pluto, quod erat, videlicet, illi pristinum.*

B. *Num est cæcus obsecro?*Ch.*per Iouē Fidiū vtique.*

B. *Mirum nihil, si ad me ille numquam venerit.*

Ch. *Verum, modo si dij voluerint, nunc venerit.*

B. *Medicum igitur introducere quempiam est opus.*

Ch.*Age, quis in vrbe medicus est hoc tempore?*

Merces nam vbi nulla est, nulla nimirum quoque ars.

B. *Isthuc agamus.* Ch.*nullus est.* B.*ita arbitror.*

Ch. *At certe ea demum sanior sententia est,*

Quam verso iamdudum, illum ad ædem Asclepij

Deducere, scilicet. B.*sapienter consulis,*

Nil des moræ amplius: propere vnum hoc expedi.

Ch.*Eo.*B.*gradū quàm pote moue.*Ch.*hoc ipsum facio.*

I. *O facinus insolens, callidum inceptum, & nefas,*

Homunculi audent quod miserrimi duo.

Quo. quo fugitis? quin sistitis? Ch. *magne Hercules?*

I. *Deperdam ego vos pessimos hodie male,*

Qui audetis ausum non ferendum: quale non

Vmquam eſt hominum auſus, aut deorum quiſpiã
Antehac, vt vt ſcelera periÿſtis oppido.
Ch. *Quæ tu mulier es? nam videre pallida.*
B. *Erinnys eſt fortaſſis ex tragœdia.*
Vt quæ furioſum quid tuetur, & tragicum.
Ch. *At non habet vero faces.* B. *flebit igitur.*
I. *Quam vos putatis eſſe me?* Ch. *ſtabulariam*
Næ ego, ouiuendiamve: non alioqui enim
Sic eiulaſſes læſa nulla iniuria.
I. *Veron'? an hoc non eſt facinus grauiſſimum,*
Me, ſcilicet, orbe velle toto expellere?
Ch. *Ergo reliquum fiet barathrum ſane tibi:*
At dixe dudum oportuit quis tu ſies.
I. *Quæ fecero dignum dare ſupplicium hodie*
Vos hoc ſtudio, qui me hinc ſtudetis abigere.
B. *Caupona num hæc è proxima eſt vicinia?*
Quæ me puſillis vſque ſugit heminis?
I. *Inopia ego ſum, olim quæ ab annis plurimis*
Conuiuo vobiſcum. B. *dij, Apollo ſumme, quò*
Fugias? Ch. *quid agis hem meticuloſa bellua?*
Non tu reſiſtis? B. *oppido non.* Ch. *non manes*
Inquam? duo viri fugimus vnam feminam?
B. *Quia eſt inopia, qua miſerrime vſpiam*
Eſt procreatum perniciosius nihil.
Ch. *Siste obſecro, ſiſte.* B. *haud ego per Dium Fidium.*
Ch. *Iſthuc ſic aio facinus enimuero facino-*
roſiſſimum, omnia vt facinora non ſient
Adeo, deum arrepta fuga relinquere,
Nec iſtius timore pugnam inſiſtere.
B. *Id nos quibus armis? quove freti robore?*

Nam

Nam quem illa clypeum pignori fœdissima,
Thoraca quem non noxium dat pignori?
Ch. *Bono es animo; huius, sat scio, de moribus*
Insigne trophæum hic vnus excitauerit.
I. *Hiscere etiam num audetis ò piacula?*
In ipso in ipso deprehensi crimine?
Ch. *Verum scelesta, sedit vnde tibi hisce nos*
Conuitijs incessceres iniuria?
I. *An non, amabo, iniuriam arbitramini*
Mihi facere vos, dum Plutus vt rursum videat,
Agitis? Ch. *tibi tu iniurium fieri id putas?*
Quod omnium mortalium facimus bono?
I. *Quid vos queatis inuenire boni?* Ch. *quid ais?*
Te nempe primum exterminare Græcia.
I. *Me exterminare? at quodnam hominibus creditis*
Posse grauius malum dari? Ch. *quodnam rogas?*
Si nempe quod facere instituimus, efflueret.
I. *Eius rei primum rationem reddere.*
Volo, siquidemq. permanifeste ostendero,
Vobis bonorum vnam esse me causam omnium,
Vos viuere per me, mittite hoc. quòd si minus,
Fuerit quod animo collubitum vestro facite.
Ch. *Proferre tu audes istud ò fœdissima?*
I. *Audi obsecro, mihi fuerit facillimum,*
Errorem in hac re tibi facere palam tuum.
At, si bonos facturum ais te diuites,
B. *O tympana, o & compedes, non vestram opem?*
I. *Minime eiulare decet, priusquam rem teneas.*
B. *Quis continere se queat mortalium,*
Hæc si audiat, quin eboet? I. *modo qui sapiet.*

Ch. *Quæ pœna vis fiet tibi, si criminis*
Conuicero? I. *Quæ? quæ videbitur.* Ch. *æquum ais.*
I. *Nam victi eandem vos rei subibitis.*
B. *Sat esse viginti putas mortes, rogo?*
Ch. *Isthuic puto: at nobis duæ multæ fuant.*
I. *Non his minis effeceritis quo modo,*
Quin, quod habeat de iure quis dicat suo.
Ch. *Quin vos, quod oportuit dudum, stringens quid dicite, quo isthanc*
Dicto certãtes conuincatis, nec quid prodite molle.
Ch. *Arbitror ego sane, pernotum illud penitus omnibus esse:*
Aeque nihil esse æquum, quàm iustis suppetere omnia abunde,
Hominum qui & impij, & mali sint, ægre viuere contra.
Illud igitur affectantes nos, vix tandem inuenimus, apte
Qui consilium pulchrum, atque insigne, atque vtile ad omnia perstet.
Etenim si iterum videat Plutus, nec cæcus amplius erret,
Futurum, vt quosque bonos frequentet, illisq. assiduus sit,
Fugiatq. malos de cetero, & impios, subindeq. fiant
Boni omnes, omnes diuites, & numinum reuerentes.
Ast hoc quis maius inueniat bonum mortalibus vmquam?

Nullus

B. *Nullus equidem, nemo hanc roga. hoc ipsum in primis ego tester.*

Ch. *Nam quis non furijs, aut si mauis, quopiam inauspice casu*
Res mortalium agier dicat, quæ nunc sunt, cum videat, qui
Horum sint pessimi, abundare opibus, hisq. scilicet vndecunque, & quacunque immensis contractis: horumq. fient qui
Boni, quibuscũ vt plurimum verseris, ducere vitã
In summa inopia. esse aio igitur qua hæc cessent omnia, Plutus
Si rursum videat, beneficium quàm maximum hominibus, inquam.

I. *O duo, queis insanire adeo nihili est, silicernia, queisq.*
Deliramenta partiario placent, socinugi.
Equidem si id quod agitis obtineat, non è re ego fore vestra
Prædico vobis. nam si videat, seq. præstet eundem
Hic omnibus, non artem vllam vllus, sed nec vllam homo curet
Scientiam dehinc: queis demptis duobus, quis corium, aut æs
Exerceat, qui naues? quis rotas fabricet? faciat quis
Fullonicam? quis sarciat de eo? quis ædificet? quis
Pelles poliat? cultisq. ex agris legat in tempore fruges?
Vobis si diuitibus viuere licet horum sollicitis nil.

Nugas.

Ch. *Nugas. expediet famulitium hæc, quæ narras omnia nobis.*

I. *At ipsum isthuc vero nobis obsecro famulitium vnde?*

Ch. *Pecunia sane suggeret.* I. *ac quis quæso huiuscemodi det*

Operam mercaturæ, perinde diues? Ch. *lucrum animo cui*

Sit, nimirum a plagiariis quis nactus Thessalicis. I. *at*

Hercle argumento hoc vestro nec mercaturam faciat, nec

Plagiariam quis posthac: nam quis tam exmens fuat homo, qui cum

Domi habeat satis, isthoc velit facto periculũ adire

Capitis? cogere vt tandem ipse fodere, ipse arare, subire

Ipse reliqua tu munia: ita vt acerbior longe tibi vita hac,

Sit illa futura. Ch. *tuum in caput omen eat.* I. *iam lectuli erunt, in*

Quibus cubes nulli, non stragula: nam quis texere diues

Velit illa? non vnguenta, quibus sponsam cum duxeris, vngas:

Non vlli uariæ uestis sumptuosi denique cultus.

Quæ uero sunt diuitiæ, isthæc cum desint omnia? uobis

Tamen horum est, quæ usui sunt, omnium abundans copia per me.

Ego

Ego namq. desidem, veluti imperio, cogo artificem per

Inopiam, & egestatem, quopote pacto sibi quærere victum.

B. *Quid tu queas præstare boni? sane oppido maculas ex*

Thermis, subesurientum puerorum, atque adeo vetularum

Rixas: adde pedum præterea, atque pulicum, culicumque

Numerum innumerum, moleste qui caput circum streperi vsque

Infestant, & subinde esuriës occinunt, age, surge.

Quin etiam ad hæc pro pallio centunclum, cimicibus pro lecto refertum iunceum thorum, somnium excutiat qui

Vel dormienti, putrem pro stragulo insuper stoream, pro

Puluinari ad caput, pergrande saxum: frondibus vti,

Maluæ pro pane: tum pro crustulo, folijs raphani: pro

Scamno vero, fractæ vti capite vrnæ: fracti insuper vti

Pro mactra latere dolij. bonorum vero age multorum ostendon' auctorem te ego mortalibus omnibus esse?

I. *Mendici narrasti vitam: facit ad meam nihil horum.*

Ch. *Nos inopiæ mendicitatem dicimus esse sororem.*

I. *Vos*

I. *Vos hoc nimirum, qui & similem Dionysiũ Thrasibulo.*

Non talem vnquam vixi ego vitam, nec spero per Fidium vnquam

Viuam: mendici est, quem narras, proprium, prorsus vt habeat nil.

Eius, qui fiet inops, contra operi intentum viuere parce:

Cui desit ad communem vsum nil, cui supersit itẽ nil.

Ch. *Beatam hominis narras vitam, post fraudatum genium, post*

Labores tantos, sibi nil demum qui ad iusta relinquat.

I. *Studes cauillo, & scõmatis, nec rẽ ipsam expendere vis serio, qui ignoras quàm Plutum viros longe meliores*

Me facere, & specie, & ingenio. per illum namque podagri

Fiunt, & ventricosi, suripingues, & nimio plus

Obesi: ego iunceos reddo, reddo acres, hostibus infensos. Ch. *illos nil mirum si longa iunceos fame reddis.*

I. *Quin de modestia mea iam vobis expediam, ostẽderoq; adeo, mihi conuiuere honestum, contraria Pluto.*

Ch. *Furari sane, honestum est, parietes effringere, honestum.*

B. *Perhonestum vero est facinus hercle, lateas ob quod oportet.*

Hoc

I. Hoc age; vides in publicis passim vt rebus tenui
dum:
Re oratores quæ facto optima sunt, consulunt populo:
Qui ditati e publico, cum re mores repente priores
Mutant, & ciuibus non secus ac hostes, insidiantur.

Ch. *Horum omnino nil mentita es, quamq. nequam in genio sis.*
At nec minus flebis, ne eo superbias mage: quã isthuc
Nobis coneris suadere, inopiam; præstare opulentiæ. I. *verum tu de eo nondum me coarguere potuisti.*
At garris oppido, gesticularisq. Ch. *Cur igitur te*
Euitant omnes obsecro? I. *quia scilicet meliores*
Reddo, idq. vel in pueris uideas, licet optima quæque docentes
Qui patres fugiunt. odiosum est adeò dignoscere rectum.

Ch. *Isthucne Iouem tu nosse neges rectum quæso? ille tamen diuitias habet in primis, istamq. nobis mandat habere.*

I. *O nimium veteribus excæcati fabulis, homines: iam*
Iouem ipsum egere maxime, vobis fecero ego palam. Cur
Diues ita ille, instituturus certamẽ olympiacũ, quo

Quin-

Quinto quoque anno ex tota congregaret hellade
mortales, victorem proclamari iussit athletis
oleastrum?

At qui in abundantia tanta, aurum potius opor-
tuit, inquam.

Ch. *Hoc magnopere ipso ostendit, quanti diuitias fa-*
cit ille,

Olympiacam qui dignatus victoriam nihili re,

Illas sibi quàm parcissime sanctas, subinde reser-
uat.

I. *Multo sane quia inopem, est hoc compellare tur-*
pius illum

Qui diuitem vsque adeo dicas illiberalem, & a-
uarum.

Ch. *At te Iuppiter isthic coronans oleastro male*
perdat.

I. *Immo vestram hanc audaciam, negare qui bona*
cuncta

Per vnam esse inopiam vobis audetis. Ch. *hoc do*
ceat vel

Hecate, praestet vtrum illorum diuitem magis,
an inopem esse.

Nam diuitibus per menses singulos proponere cae-
nam

Iubet illa, inopesq. qui sint, vix apposita absu-
mere contra.

At iam peri, ne quid muti

Vel tantulum.

Nam & si suasis, non persuasis.

I. *Argiui, obsecro, quae isthic profert*

B. *Conuictorem Pausona inuoca.*
I. *Quid agam misera?*
Ch. *Ad Koracas quamprimum a nobis.*
I. *Quo me gentium?*
Ch. *Hinc ad Kyphonem: at ne differ,*
Quin propera ocyus.
I. *Vos certe rursum me huc scio*
accersetis.
Ch. *Tunc redeas licet, at disperi:*
Nunc: sedet hercle mage ditescere
Mihi, & tibi fletum mandare.
B. *Id volo ego, nimirum diues*
Cum liberis & vxore
Comessari, lotusq. probe
A balneo nitidis rediens.
Operarijs,
Paupertatiq. oppedere dura
Ch. *Abit illa condigna affici a nobis male.*
Nos ambo rite ipsum ocyus porro deum
Ducamus acclinatum ad ædem Asclepij.
B. *Quin nil moremur, obuiam ne quis fuat*
Rursum impedimento forte, quo hæc fiant minus.
Ch. *Heus tu kario, isthæc stragula huc foras opus,*
Ceteraq. quæ intus sunt parata, efferrier:
Ipsumq. Plutum, vt moris est, deducier.
K. *O o beatos vos senes impendio,*
Qui pulte conuiuarier panis inopia,
Thesea soliti dum celebrantur sacra,
Omnesq. adeo qui moribus sient probis.

Ch. *Quid id est cedo amicorum o tuorum tu optime?*
Nam nunc ij quid nescio præfers boni,
K. *Bene prospereq. res hero cessit hodie,*
Plutoq. multo melius, ex cæco vt pote qui
Est exoculatus in nitidissima lumina:
Asclepium Pæonæ nactus beneuolum.
Ch. *Ain gaudeam tu? ain tu eiulem?*
K. *Lætitia nolitis velitis sane adest:*
Ch. *Celebrabo magnis ingenuum encomijs,*
Et grande hominibus lumen Asclepium.
Mu. *Quis clamor hic est? ecquid apportat boni?*
Hoc nanque auido iam dudum ego desidero,
Huc intus expectans sedentaria animo.
K. *Age ocyus, vinum affer hera, vt & tu bibas.*
Nanque est, scio, id valde ingenitum ingenium tibi.
Vnus bona affero simul tibi omnia.
Mu. *Vbi illa quæso?* K. *ex his scies quæ dixero.*
Mu. *Ea igitur actutum istud effer, quidquid est.*
K. *Audi ergo: totam totam ego rem, est acta vti,*
Aedibus in caput vsque deducam tibi.
Mu. *Apage in caput mihi.* K. *ain? amabo, non bona*
Quæ nuncio euenisse? Mu. *at ego malam aio rem:*
K. *Primum omnium ergo ad ædem vbi ventum est dei,*
Virum quidem tunc temporis miserrimum,
At iam beatum, si quis alius est homo,
Quicunque ducebamus, ac mare appulimus,
Ibi lauimus. Mu. *nimis ædepol felicem ais,*

Qui

Qui frigida narres hominem lotum senem.
K. *Post inde ad ædem rediimus rursum dei:*
Vbi & placentæ, & liba ad altera omnia:
Et igne consecrata mola est Vulcanio:
Plutum, vt fuit par, omnium acclinauimus.
Primum, reliqui vnde pote stoream sibi consuit
Quisque. Mu. *fuit & ad vos quispiam, qui nu-*
men? K. *&*
Cæcus aderat quidam Neocledes, quo tamen
Oculatus ad furtum magis nemo fuit.
Multi insuper morbis aderant, omni genere,
Affecti: vbi extinxisset ergo lampadas,
Denunciat de cetero somnum omnibus
Dei sacerdos, admonens silentium,
Vt audiat quis strepitum, ita rite omnes cuba-
mus: ego pacto lumina somno euincier
Nullo poteram, olla me excitabat pultium,
Cuiusdam anus a capite non longe adiacens,
Obrepere gestibam ad quam ego mirum in mo-
dum.
Cum respiciens subinde, sacrificulum video
Placentulas subcolligentem, libaq.
Videlicet a mensa sacra; quin ex eo
Altaria circuncirca oberrantem omnia,
Sicubi reliquisset placentam quampiam,
Quæ in sacculum demum sacrauit omnia.
Isthuc licere mihi perinde existimans,
In illam ego ollam pultium insurgo quoque.
Mu. *Hominum miserrime, obsecra, non tu deum?*
K. *Quin per deos illud timebam maxime,*

Ne præueniret forte ad ollam me deus.
Præmonitus ab eius ante fueram sacrificulo.
Sane igitur ipsa vbi strepitum persensit anus,
Profert manum: ast ego sublato sibilo,
Prehendo mordicus, anguis ac si essem Pareias, illico iterum complicat illa dexteram.
Deinde insoriam continuit vsque præ metu.
Et acre, mustella vt minime æque, subcrepuit.
De cetero me pulte ego probe exercui.
Stetiq. tandem fartus ex sententia.
Mu. *Quid? ipse nondum ad vos deus?* K. *minime dum, at illud ridiculum multo mage, quod feci ex eo,*
Ipso deo aduentante pepedi grandius.
Meus intumuerat, scilicet, venter mihi.
Mu. *Non te ille factum ob istud aduersatus illico?* K. *nihil minus. suberubuit tamen,*
Quæ aderat Iaso, auersa nares pressit &
Panacæa. nec mirum id vtique, sane thura non
Pedo. Mu. *quid ille?* K. *ne minimum curauit hercle.* Mu. *ain tu inurbanum deum?* K. *minime equidem:*
At merdiuorum aio. Mu. *væ tibi misero homini.*
K. *Ego me subinde pallio cooperui,*
Mihi metuens, iam scilicet, omnes ex eo
Circum ille morbos, ordine curiosius
Rimat: lapideum interea ei mortarium,
Et cocleare, & thecium apponit puer.
Mu. *Isthuc lapideum ais?* K. *minime, inquã, thecium.*

Mu. *At tu videre qui pote isthæc o scelus?*
Narras qui adopertum pallio te? K. *luminum*
In pallio probe fenestrato satis.
Primum ergo pharmacum Neocledi omnium
Emplastricum occipit: aliorum Tenium
Iniecta pote in mortarium capitula tria
Contundit, indit insuper lentiscinum-
que, Silphicumq. liquorem: aceto diluit-
que Sphettio: inuersas, eo quin amplius,
Inducit ei quod mage doleret, palpebras.
Graue ineiulans ille, effugit. obridens deus,
Isthic ego, inquit, oblitus sedeas iubeo,
In concionibus sies abstemius
Periurio vt de hac. Mu. *quam sapiens & propitium*
Numen? K. *tum ab hoc Plutonem ad ipsum deuenit,*
Illius ergo primum vbi attigit caput:
Sudarium nactus ibi purum, commodum,
Elixat inde palpebras, nubit caput,
Totamq. adeo faciem Panacæa fascia
Purpurea ab ipsius dei poppismate,
Cum ecce e penetralibus duo, immensum, exeunt
Magni dracones. M. *diuum amica numina?*
K. *Qui & fasciam sensim subeuntes, palpebras*
Hi rursum oblamberunt, meo vt tu iudicio
Vini decem vix dum ebibisses heminas,
Cum oculatus ille denuo exurxat probe.
Applaudo manibus ego illico præ gaudio,

Et hero excutio somnum: dracones, ipseq.
Penetralia templi in ima concessit deus,
At qui iacebant propter, amplexarier
Mirum in modum Plutum: vigilatumq. ex eo
Est, usque clarum donec illuxit dies.
Merito ergo cumulatissime unum Asclepium
Tunc extuli, Pluto qui ita lumina reddiderit.
Digneq. Neoclidi tenebras offuderit.

Mu. *Vah, quanta, summe rex, potentia est tua?*
Verum cedo, ipse Plutus ubi nunc? K. *Iam hic aderit.*
Turba esse quanta maxima potest, circum eum,
Vitam trahebant qui miserrimam, probis
Tamen viri olim moribus amplexarier, &
Præ gaudio omnes copulare dexteras.
Queis contra abunde supererat rei antea,
Quod undecunque iniuria congesserant:
Ferre grauius, superciliaq. contrahere.
Plutum insecuti illi redimiti floribus,
Lætum occinebant, insonabat & senum
Collisa musicis solea progressibus.
Sed ea agite, una omnes simul sententia;
Saltate, & exultate, choreas ducite,
Esse otiosis queis licet, ingressis domum
Ne dehinc quis haustum nunciet panarium.

Mu. *Eccere equidem te isthoc lepidum ego ob nuncium.*
Donare torque clibanarium volo,

K. *Fac igitur illhuic nulla sit rei mora:*
En ipsa nostras turba propinquat iam fores.

Ego

Mu. *Ego introeo hinc, vt efferam bellaria,*
Veluti noue emptis quæ refundam luminibus.
K. *Procedo ego aduenientibus illis obuiam.*

CHOR.

P. *Primo nitentem Phœbi adoro lampada,*
Casta subinde Palladis clarum solum.
Excepit & quæ me, regionem Cecropis:
Olimq. me pudet meorum errorum, hominum
Qui tale frequentabam genus, quique assiduum
Queis me esse par erat, fugiebam maxime:
Id, omnium ante prorsus inscius miser.
Vt horum, & horum, sane ego nil quidpiam:
At deintegro inuersis penitus his omnibus,
Omnes deinceps faxo homines intelligant,
Errore factum quòd malos quondam adierim.
Ch. *Vale in malam. importuni amici quàm, obsecro,*
Sunt, qui repente, cum re oboriuntur tibi,
Vsque obterunt, franguntq. genua, gestiunt,
Dum quisque beneuolum affatim se ostendere.
Nam quis me apud forum, genus quoduis, homo
Nunc non salutauit? senum circunstetit
Quæ turba? Mu. *hominum amicissimi saluete duo*
Concede, amabo, te his ego bellarijs
De more perfundam. P. *minime isthuc gentium.*
Nam primum oculato me ingrediente familiam,
Decet equidem nil minus, quàm efferrier
Quidquam domo, nil magis, quàm inferrier.
Mu. *Non tu igitur isthæc excipies bellaria?*

P. *De more, vt assolet, domi hoc fiet melius.*
Tum certum, adhæc, effugerimus opprobrium.
Nam Comico nihil magistro indignius.
Sit, a theatro quàm graui risum elcere
Bellariorum velle congiario.

Mu. *Verum ædepol? recte mones: at vt hic citus*
Exurgat hospes oppidò ad bellaria.

K. *O quàm est suaue diuitem esse, maxime*
Paruo rei si sit tuæ dispendio.
Grandis bonorum influxit in nostram domum
Aceruus, vlla vllius haud iniuria.
Isthocce demum sunt modo pergratæ opes.
Polline redundat copiosum arthecium:
Sunt amphoræ vino graues anthosmio:
Argento, & auro vascula nobis omnia,
Mirere vt adeo, plena passim proiacent.
Plenus oleo est puteus, scatentq. lecythi
Vnguento, inundat contabulatum caricis:
Omnes & ollæ, & ollulæ, & cetabula
Facta ærea: piscinarias olim putres
Quadrulas, operæ precium est videre argenteas:
Ex cornea subito laterna eburnea:
Seruis abunde suppetunt ludo aurei
Stateres, olim qui lapide, durum, soliti:
De cetero, volupe, alijs iam tergimus.
Redimitus interea quidem corona herus
Sacrificat intus arietem, caprum, & suem.
Me fumus abegit, haud manere ibi potui:
Male vellicabat palpebras meas mihi.

Heus sequere me puerule, age eamus ad deum.
K. *Heo? quis est homo iste, qui huc profert gradum?*
D. *Vir nunc beatus, ante qui fui miser.*
K. *Vnus bonorum es e numero videlicet.*
D. *Sum nempe.* K. *quid vero petis nunc?* D. *ad deum*
Contendo, fecit innumera qui in me bona.
Ego namque bona, quæ acceperam à patre plurima,
Inopes in amicos erogabam commodum.
K. *Et te illa defecere nimirum illico.*
D. *Sane quidem* K. *tuq. ex eo factus miser.*
D. *Factum vtique: putabam stultus ego, quos beneficijs*
Deuinxeram meis, fore amicos similibus
In casibus fidos mihi, at hi me podice
Ne ducere dignum, quem aspicerent quidem, dato.
K. *Ridere te, inquam, illi insuper.* D. *dubio procul.*
Me reddiderat nullum suppellex arida.
K. *Inuersa ceterum omnia isthæc.* D. *deo igitur*
Vt pro hisce dignas gratias meritis agam
Huc propero. P. *Verum pallium quid vult sibi,*
Isthic puer quod portat a tergo, cedo?
D. *Et hoc venio donarium ponere Deo.*
K. *Num, quæso, eo initiatus es maioribus?*
D. *Immo oppido totos decem & tres obrigui*
Annos. K. *quid & crepida?* D. *cohiemabant simul.*

K. *Isthæcce tu vt reponere?* D. *sane quidem.*
K. *Perpulchra porro affers Deo donaria.*
Sy. *O me quater, o me quinquies, o me duo-*
deciesq., milliesq. hominum infelicem: io.
Vt vt perij miser, malas res plurimas
Fortuna in exitium astruit meum, malis.
K. *Apollo fautor, propitia diuum numina?*
Quid illud est, quod ille passus est mali?
Sy. *An non scelera ego pertuli nefaria?*
Cui totam adeo deus hic familiam exhauserit:
Qui faxo iam fiet oculos cæcus iterum.
Sicubi mihi lites modo in mundo sient.
D. *Ego prorsus ipsam rem tenere mihi videor:*
Hic mercis, arbitror, malæ vir quispiam
Est, cui minime affatim domi res suppetit.
K. *Suo merito ille maximo ergo perditur.*
Sy. *Vbi ille? qui statim omnes diuites*
Nos pollicebatur per vnum se fore,
Ex integro lumen redhiberet si suum?
Qui plurimos potius eo ipse perdidit.
K. *Quos ille perdidit obsecro?* Sy. *me scilicet.*
K. *Effossor hercle parietum eras ex improbis.*
Sy. *Est nullius vestrum nihil sanum hercule,*
Certoq. totam vos tenetis rem meam.
K. *Amabo, vt vt superbus animi prodijt*
Huc sycophanta? D. *illa oppido, arbitror, esurit.*
Sy. *Sublimis hunc faxo ad forum rapiare ego.*
Ibi alligatus ad rotam vt probe, palam
Flagitia facias tu tua K. *fleas impero.*
D. *Ita sospitator Iuppiter me amet, vt bene*

Hic

Hic meritus est de Græcia tota deus,
Qui sycophantas disperimet omnes male.

Sy. *Væ mihi misero, men' & tu etiam ludos facis*
Fur partiario? at vnde tibi isthuc pallium?
Quem semiamictum vidi ego centunclo, & heri.

D. *Apage, facio te tanti ego, quanti nihil,*
Vt qui drachma, gesto anulum hunc ab Eudama.

k. *Ictus at hic ad sycophanticos nihil.*

Sy. *Hæc summa non iniuria est? sic luditis?*
At dum haud locuti estis, quid isthic vos rei:
Non sistere, aio, vos boni hic cuiuspiam
Causa. K. *minime Hercle, certo habe minimè tui.*

Sy. *Sane, quia per Iouem ex meo cœnabitis.*

D. *Faxint vtinam dij repente cum tuo*
Rumpare teste, ventrem & exhaustus adeo.

Sy. *Audetis hoc negare vos fœdissimi?*
Queis piscium tanta intus, atque carnium
Est copia? hy hy hy hy hy hy hy hy hy.

k. *Num quid suboles miserrime?* D. *trigus forsitan,*
Indutus isthoc nempe qui sit pallij

Sy. *Hæccine ferenda flagitia sunt Iuppiter,*
Dijq. alij? hæc conuitia in me, quàm doleo
Probum hisce hominem, & politicon accipi modis

D. *Ain? Probus tu, & politicus?* Sy. *nullus magis*
Est homo. D. *age, respondere mihi, quod rogo,*
potin?

Sy. *Quid tandem?* D. *agricola es tu?* Sy. *me adeo insanum putas?*

D. *Mercator?* Sy. *id, si quando commodum est, simulo.*

D. *Ve-*

D. *Verum quid igitur? num artem aliquam tenes?*
Sy. *minime*
D. *Sic otiosus vndenam ergo victitas?*
Sy. *Negotia scilicet ego curo publica,*
Priuataq. omnia. D. *tu?* *quid edoctus?* Sy. *mihi ita*
Lubet. D. *qui igitur, effractor, esse bonus pote tu?*
Qui ex rebus, ad te quæ nihil, conflas odium.
Tibi. Sy. *illud ad me, te obsecro, nihil lare? demererier, queis maxime possim officijs,*
Patriam meam. D. *calumnias ain officia?*
Sy. *Positas iuuare ciuium leges ego,*
Impune adhæc peccata nulli sint facere.
D. *Ab re admodum ergo; iudices sibi ciuitas*
Constituit. Sy. *at quis persequetur crimina?*
D. *Quicumque volet.* Sy. *videlicet ipsus ille ego sum.*
Ea vrbis ad me cura nimirum redit.
D. *Hercle illa curatorem habet quàm pessimum,*
Potin cedo illud? otiosus viuere
Vitam in silentio. Sy. *ratio isthæc est pecudis.*
Cui nulla penitus adsit humana actio.
D. *Non hosce mores quomodo?* Sy. *non des si etiam*
Plutum mihi ipsum, ipsumq. Batti silphium.
D. *Depone pallium istud actutum.* K. *heus? tibi*
Dicit. D. *subinde & calceos.* K. *isthæc tibi,*
Inquam, omnia. Sy. *e vobis eodum accedito*
Huc quis, fuat qui mage volet. K. *ipsus ille ego sum.*

Sy. *Heu me miserum, qui dispolior luci arbitræ.*
k. *Aequum te alienis viuere ex negotijs?*
Sy. *Vide quid agas, istud ego testatum volo.*
k. *At testis ipsus aufugit, quem adduxeras.*
Sy. *Hei mihi, teneor miser manifesto.* k. *scilicet.*
Nunc eiulas? Sy. *inquam, hei mihi.* k. *isthunc*
mihi, cedo,
Quo sycophantam hunc induam centunculum.
D. *Pluto ille dudum consecratus est, agape.*
k. *Donarium illud censeo dignum magis*
Deo esse ego, quam operculum pessimo homini,
Ornare pulchris vestibus Plutum decet.
D. *At cui fuant, dic quæso, talcei vsui?*
k. *Quin præterea & hos, ad faciem iamiam oppido*
Huic, id quod oleastro solent, suspendero.
Sy. *Abeo, sat vtpote qui videam, non esse me*
Vobis duobus auxiliarem, ceterum
Si quempiam asciuero, deus ficulnus hic
Et præpotens, pœnas hodie faxo duit,
Vnus rei qui publicæ totum statum
Dissoluit, auctore neque senatu ciuium,
Quin ipsa fiat cum nec auctor concio.
D. *Accinctus armatura agedum iam qui sies*
Mea, adpropera hinc ad balneum, statusq; ibi
Tu ceteros inter Coryphæus concale,
Namque olim & hæc erat mihi quoque statio.
k. *Verum prehensum testibus, domo foras*
Subinde durus balneator extrahet,
De commate esse prauo vbi cognouerit.
Nos hinc eamus intro adores vt deum.

An. *Certe iam amici consenes in familiam*
Deuentum oportet huius esse noui dei,
Aut sane aberrasse penitus tota via.
Ch. *Venisse ad ipsas te scias certo fores*
Mea pupula, quæ ita interrogasti in tempore.
An. *Nunc ergo ego intus euocabo quempiam.*
Ch. *Minime opus est, en ipsus exeo tibi.*
Verum quid isthuc sit cedo, cur huc veneris.
An. *Sum grauia passa amice ego, atque iniuria,*
Isthocce cui nouo deus cum lumine
Vitam peracerbam effecerit meam mihi.
Ch. *Amabo, num & tu Sycophantria mulier*
Eras mulieres inter? An. *edepol minime.*
Ch. *At hercule isthæc forte non tibi inopia.*
An. *Me ludis, at ego virgine misera vellicor.*
Ch. *Quin igitur effers id quid est virginis?*
An. *Da operam. erat adolescentulus quidam mihi*
Pauperculus, alioqui honestis moribus,
Et facie honesta: is, ad aliquam si quando rem
Fortasse opus fuisset, aderat præsto mihi,
Illiq. abunde suppetebant omnia
Per me. Ch. *quid ille a te expetebat maxime?*
An. *Non multa vero: namque me supra modum*
Reuereri solitus, drachmas in pallium
Viginti, & octo corrogasset insuper
In calceos, sororibus subuculam
Emerem, suæ & matri subinde operculum,
Tum forte tritici medimnus quattuor.
Ch. *Minime per Apollinem refers multa admodum,*
Manifeste ut ipso quàm fiet te reueritus.

Pro-

Prodat. An. *nec illud dictitabat se quidem*
Propter coitum petere, sed amoris gratia
Gestaret vt mei memoriam, pallium.

Ch. *Narras amantem perditissime hercle hominem.*

A. *At non eodem & nunc animo in me est pessimus:*
Sed sunt ab olim penitus inuersa omnia.
Cum nuper illi hanc mitterem placentulam,
Nonnullaq., ad hæc, quæ quadrulæ imposueram alia,
Venturam item sub vesperum mandarem. Ch. *age*
Quid ille? A. *remisit, ad mea illa, crustulum*
Hoc amplius mihi, neve quando ad se ex eo
Venirem ego, tum & illud ad hæc auctarium.
Fuisse quondam strenuos Milesios.

Ch. *Significat haud vulgare eo ipso ille ingenium,*
Cui diuiti lens displicet, promiscue
Cibos cum haberet pauper omnes antea.

An. *Atqui ædepol solitus erat, antehac ostium*
Adire meum ille quotidie. Ch. *vt quid extraheret*
Sane. A. *minime Medius Fidius: mire ast meam*
Gestibat ad vocem. Ch. *ipsum & hoc vt acciperet*
Videlicet. A. *tum conspiceret siquando me*
Tristem, batium occinebat, & Nitarium.

Ch. *Atque inde nimirum erogabat calceos.*

A. *Maiora quin me nuper ad mysteria*
Vectam essedo, quidam quòd inuidisset, vnam vapulaui ego misera solidam diem,

Erat

Erat vsque adeo Zelotypus adolescentulus.
Ch.*Volebat, vt videtur, vnus omnia.*
A. *Me aiebat habere subinde perpulchras manus.*
Ch.*Cum nempe viginti sibi porgerent drachmas.*
A. *Odorem etiam suauem cutis aiebat meæ.*
Ch.*Merito illud ille Pol, Thasium cum funderes.*
A. *Tum & esse pulchrum, & molliculum aspectum mihi.*
Ch.*Næ homo haud erat bardus, qui ita exugere vetulæ*
Virginosæ nouerat peculium.
A. *Hoc factum ab illo non bene, qui promiserit*
Cuiquam, nihil quidquam fore per se iniurium.
Ch.*Dic tu modo, quidnam vis fieri, factum dabo.*
A. *Puto optimum, atque æquissimum esse, cogere*
A me bene affectum, rependere gratiam,
Nec æquum alioqui, vt ei rei quidquam fuat.
Ch.*Hanc singulis tibi noctibus ille gratiam?*
A. *At affore mihi spoponderat, quoad viuerem.*
Ch.*Probe, at ille te minime putat iam viuere.*
A. *Vt quæ dolore scilicet contabui.*
Ch.*Immo oppido Hercle emarcuisti, vt arbitror.*
A. *Ita vt per anulum facile me traxeris.*
Ch.*Incernicula fuat anulus si istbic modo.*
A. *Sed optime, eccum ad me ipsus incedit iuuenis,*
Quem accuso iamdudum tibi, ad conuiuium
Videtur ire ceterum. Ch. *sane oppido,*
Progreditur vt qui cum corona, & lampade.
Ad.*Saluto plurimum.* A. *quid ait?* Ad. *canos equidem*

Con-

Contraxti amasia, nimio tu celerius.
A. *Hei mihi miseræ, quibus afficior iniurijs.*
Ch. *Longo, arbitror, te haud vidit ille a tempore.*
A. *Hem, quid tu ais longo? qui apud me & heri fuit.*
Ch. *Huic forte secus, ac vulgo hominibus accidit,*
Cui & ebrio adeo, rectius vident oculi.
A. *Minime, sed est ita ingenio procax homo,*
Ad. *Neptune magne? senum auxiliaria numina?*
Quot illa rugis complicatam habet faciem?
A. *Hau hau*
A me hinc procul tædam obsecro. Ch. *recte monet.*
In hanc enim fauilla si minima incidat,
Perinde fit, ac si in æresionem aridam.
Ad. *Tantisper agedum ludere mecum vin?* A. *vbinam?*
Ad. *Isthac, nuces nacta modo.* A. *quem ludum, rogo?*
Ad. *Quot sunt tibi dentes?* Ch. *& ipsum experiar ego*
Quoque, illi igitur esse aio, tres, aut quattuor.
Ad. *Hercle oppido amisti, vnicum molarem habet.*
A. *Miserrime hominum, sanus haud es, qui lotio*
Me viliorem, tot viris coram, efficias.
Ad. *Iuuaret at si te ellueret nunc quispiam.*
Ch. *Immo minime. nam cui facies offucijs*
Mentita sit, si nempe cerussam elluas,
Sint vitia vultus caricati propalam.
A. *Tu pol sapis minus, quàm hominem deceat senem,*

 Per-

Ad. *Pertentat ille forte te, me clam ratus,*
Papillulas subinde contrectans tibi.
A. *Ita me Venus alma, vt iste nil quidquam mei.*
Ch. *Eccere minime, namque furerem sane oppido.*
At vero adolescens hanc odio numquam patiar
Habere te puellulam. Ad. *amo ego illam vnice.*
Ch. *At qui illa de te conqueritur.* Ad. *qui vero ita?*
Ch. *Te iniuriosum, illudq. dictitare, ait:*
Fuisse quondam strenuos Milesios.
Ad. *Tecum nihil contendero de illa.* Ch. *cur ita?*
Ad. *Reueritus ætatem, videlicet tuam,*
Quod non homini, te excepto, ego vnquam cuiquam alij
Lætus igitur iam abi, tibiq. puellam habe.
Ch. *At at scio quid mente agas, iam displicet*
Consortium illius. A. *eius haud sino fiet*
Id arbitratu. Ad. *colloqui haud quirem cum anu,*
Per millies mille exfututa secula.
Ch. *At concedet fæcem ebibas ipsam quoque,*
Cui gratum & olim scilicet fuit merum.
Ad. *Verum est enimuero vetus hæc, & rancida.*
Ch. *Curabit ista ceterum colum omnia,*
Ad. *Sed iam ingredere intro: isthasce corollas nam volo,*
Quas attuli, donarium ponere deo.
A. *Est & mihi quid nescio, quòd illum velim*
Ad. *Haud quaquam ego Pol ingrediar.* Ch. *nil time, animo es*
Bono, satis promitte, nullam illa tibi vim.
Ad. *Ais probe, vt quam suppicabam olim affatim*

Ego. A. *ea igitur præi, te ingedientem ſubſequar.*
Ch. *Vt vt tenaciter, bone Iuppicer, vetula*
Tamquam patella, adhæret adoleſcentulo.
K. *Noſtras quis hic pulſat fores? quid hoc rei eſt?*
Non vſquam homo quiſquam eſt, at hercule increpuit
Pulſata ianua. Me. *tibi dico, tibi kario*
Dico reſiſte paululum. K. *heus? iſthaſce nunc*
Tun' obſecro, tam vaſto impete pulſabas fores?
Me. *Id ſcilicet, facturus eram, ni tu meum*
Factum anteueniſſes. at herum, quantum poteſt,
Accerſe, & vxorem, ſubinde & liberos,
Totumq. adeo famulitium, quin & canem
Ipſum, te & ipſum cum ſue denique. K. *quid cedo*
Subeſt negotij? M. *ſtabile illud eſt Ioui,*
Vos nempe conſutos, quot eſtis, culeo
Omnes ſimul, omnes in barathrum trudere.
K. *Huiuſmodi præconibus linguam ſolent?*
Amabo, cur in nos id illi conſilium
Nnnc ceſſit? Me. *vt quia facinus grauiſſimum*
Auſi eſtis omnium facinorum, ex quo videt
Plutus, neque thura quis, neque quis offert daphnem,
Non hoſtiam quis amplius, neque libum, aliudue quidpiam nobis ſacrificat. K. *neque faciet*
Hercle vt quibus olim & nos fuimus curæ parum.
M. *Et ceteros ego ne minimum quidem moror*
Deos, at oppido ipſe perij. k. *vtique ſapis.*
M. *Antehac mihi ſummo mane ſtatim reponere*

Caupona genus omne, mendicatum crustulum,
Mel, caricas, & quæ decent Mercurium alia,
Nunc præ fame obiaceo resupinus in caput.
K. *Merito id tuo, qui damnum & his, qui isthæc tibi,*
Inferre nonnumquam solitus. M. *heu me miserum.*
Subit quaternaria animo placentula.
K. *Desideras absentem & in cassum vocas.*
M. *Inquam, hei mihi ab armis, queis ergo vescier solitus.*
K. *Nunc sub dio hic te exerceas, quantum libet,*
M. *Vbi calida nunc quæ edebam ego tomacula?*
K. *Te habet male intestinus, arbitror, dolor.*
M. *Me miserum, vbi illa temperata pocula?*
K. *Ne quo amplius illa consequere, sat scio.*
M. *At vero, amicum num iuuare quid potes?*
k. *Sane, modo isthuc, quod roges in me fuat.*
M. *Panis mihi, videlicet, quid sufficere,*
Et carnium recentium nonnil etiam
Ex sacrificio. k. *non illa fas efferrier.*
M. *At tua ego furta clam faciebam essent herum,*
Si quando quid fortasse conuasaueras.
k. *Isthoc tu vt esses nempe particeps, scelus,*
Ad quem inde nimirum redibat crustulum,
M. *Quod tu subinde deuorabas attamen.*
k. *Sane hercule, vt quia nec mea partiario*
Tibi verbera erant, cum in crimine deprehenderer.
M. *Ne præterita refrices mala, iam Phylen tenes,*

At

At me, obsecro, confamiliarem recipite
Vobis. k. *ain? deis relictis hic maneas?*
M. *Vtique ego, habent nam vestra, quàm illorum*
melius.
k. *Ciuile videtur, quæso, trasfugere tibi?*
M. *Vbique patria est, agas modo vbi bene*.
k. *At, aio, nobis cui fuat vsui opera tua?*
M. *Ego scilicet versator astabo ostio*.
k. *Versator, ais? haud dehinc opus versutijs*.
M. *Negociator ero*. k. *at neque isthoc est opus,*
Diuitibus vtpote nihili institorem alere.
M. *Sin a dolis mauis*. k. *dolis nihil, inquam, opus,*
De hac simplicibus tantummodo agendum est moribus.
M. *Ducis officio fungar*. k. *videt at Plutus probe,*
Vt illi opus nihil amplius siet duce.
M. *Certaminibus præero, an quid etiam adhuc habes?*
At diuitibus incumbit hercle maxime,
Certamina instituere musica, gymnicaq.
k. *Quàm commodum, denominatio varia*.
Hoc aio ideo, hic inuenit vnde viueret.
Næ iure fit, quod iudices vulgo solent,
Ambire littora magistratum varia.
M. *Iamne ingredi tandem licet?* k. *eodum ad puteũ*
Primum extra lixa isthæcce, mihi ministerij
Vt præbeas vel iam tui specimen aliquod.
Sac. *Quis nunc mihi certum faciet, Chremylus vbinam sit*. K. *quid id vero rei est?* S. *malum oppido*.

Est namque lumen perspicuum postquam deo
Isthuicce, dispereo fame, nec quod edam habeo,
Ego sospitatoris sacrificulus Iouis,
Inquam. K. *quid in causa est per ego te oro deos?*
Sa. *Quia nempe curat nemo iam sacrificia.*
K. *Quid isthuc ita?* S. *quia res abunde est omnibus.*
At olim in inopia; immolabat hostiam
Mercator incolumis, & ille effugerat
Qui iudicium, litabat & quisquam sacer-
dotemq. participabat: at de cetero
Nihil penitus nullus, nec accedit quidem,
Sane cacatum grandis influit numerus.
K. *Horum ergo tu, videlicet, iusta accipis.*
Sac. *Næ ego satius duco Ioui suspendium*
Mandare, vobiscumq. commorarier.
K. *Bono es animo, bene omnia erunt, si dijs placet.*
Est sospitator ipse apud nos Iuppiter
Et inuocatus adeo. S. *benefacta omnia.*
K. *Verum mane, ipsum collocemus Plutum opus,*
Solennis olim vbi illi erat statio deæ,
Penetralis imi perpetuam custodiam.
K. *Huc intro succensas faces afferto aliquis,*
Quas ipse luceas deo. S. *ita facto est opus.*
K. *Agite foras Plutum euocate quispiam.*
A. *Ceterum ego quid agam*. L. *tu ollulas, quæ cum deo*
De more præferentur, impositas capiti
Fer commodum quæ veneris induta varie.
A. *Quid de meis?* K. *fient tibi ex sententia,*
Inuiset adolescentulus te vesperi.

Spon-

A. *Spondes futurum sed siquidem certo mihi,*
Ille vt adeat me hodie, id subeo oneris lubens.
K. *Secus accidit ollis hisce, quàm quod assolet*
Vulgo. in alijs videmus etenim, vt plurimum,
Summo recrementum ollæ in ore insidere.
His attamen illud subsidet contrario.
Ch. *Nos vero haud amplius condecet hic immorarier.*
illos
Sed insequamur a tergo festum subinde canentes.


AD IOACHIMVM HOPPERIVM
M. Cabedius.

MORES *nescio quos mihi sinistros*
Sæcli commemorans subinde nostri
Nasos, auriculas, ciconiasque,
Et vulgus rude, lubricamq. famam,
Solos viuere qui latent fateris,
Nec immittere tam macrum libellum,
Nec vere mea dicta continentem
Nobis tutius Hopperi suades,
Sunt hæc, sunt ita; quis queat negare?
Sed rhonchos hominum maligniorum,
Nasi terriculum, cachinulosq.,
Et morsus auidos ciconiarum
Non assis facit Hopperi poeta,
Qui quærit dare verba, non libellum

MICHAEL CABEDIVS SENATOR REGIVS

In nuptias sereniſſimorum principum IOANNIS ET IOANNAE Regis Sebaſtiani primi, parentum.

AD INVICTISSIMVM IOANNEM III. Auguſtum Luſitanorum Regem.



OTERAT, Ioannes Auguſte, mea ab hoc munere ſe excuſare Muſa, & iuris ſtudium prætendere, cuius in incultis teſquis, a ſuis amœniſſimis ſaltibus, iam dudum exulat: quin & vereri, ne velut ruſtica, & pagana, longo iam interuallo ad vrbem accedens, pueris, quod fieri ſolet, eſſet ioco, & aſtutorum naſum incurreret. Verum in tanta omnium ordinum lætitia, reipublicæ tuæ, quæ, tuo maximo merito, Cæſaris Ioannis filij tui nuptias has, multis retro annis, effuſiſſimis ſtudijs, & expectatione proſequitur, vacationem donauit, &, vt verius dicam, non potuit ſibi temperare. De illo nihil ſollicita, ſi inter ſapientiores, paulo audacior videretur, dum, quod propoſuerat,

nutu,

nutu, saltem, vel gestu, mutorum more, pro-
deret, quo in te esset animo, tuaq. omnia.
Haud ignara, etiam inter doctiores deos, si
quando raucis faucibus Sylenus in conuiuio
crocitet; hilaritatem, & lætitiam augere.
Scio, minimum esse locum Musis, vixq. exau-
diri citharam inter tubas, & aulæ strepitus:
magisq. ad regalem paratum facere Cata-
phractorum exercitationes, velitumq. discur
sus, & taurorum spectacula: sed, vt hæc ma-
xime vera sint, tamen par est, vt in tanta re-
rum celebritate, aliquid etiam sonent Musæ,
quarum, tu primus in his regionibus, magni-
ficentia tua inflasti calamos. Vellem equi-
dem, Rex inuictißime, materiæ opus respon-
deret: haberemus vtique dignam lectione
poesim, quæ dicendi suppetit leges. Sed quan
do infra tantarum rerum molem, omnia sunt
omnino ingenia, facimus quod dijs mortales
solebant, qui thure, & farre vilißimis rebus,
optima maxima colebant (vt ipsi putabant)
numina. Reliquum est, Deum omnipoten-
tem precemur, faustum, & felix hoc sit con-
iugium serenißimis Principibus, tibiq. & Au
gustæ vxori, regni dulcissimos det successo-
res, natos natorum, & qui nascentur ab illis.
Vlixb. iiij. Calend. Octobr. Anno Domini
M. D. LII.

In

In nuptias serenissimorum principum IOANNIS ET IOANNAE.

ROmanos fasces, decantatumq. curulis
Sedis ebur, Latioq. orbem seruire coa-
ctum, (reges,
Atque triumphatos alta ad Capitolia
Quosque dedit mundo dominos Byzantia tellus,
Et Macedum quæsita alio sub sidere regna,
Magniloquumq. adeo quidquid mentita priorū est
Vatum musa loquax, mirari desine, quisquis
Prouidus exacti renouas obliuia sæcli.
En noua, coniugio, coeunt in fœdera gentes,
Quæ Rhenum, Eridanumq. bibunt, Gangisq. liquorē
Epotant, Niliq. ortum, pallentiaq. auro
Flumina, cognatum præter labentia Iberum:
Fitq. vnum imperium, qua nigros lampade prima
Illustrat populos, & qua iam fessus anhelos
Oceano sol mergit equos, qua cardine cælum
Vertitur ignoto: non istis fabula verbis
Luditur; historias quisquam, figmentaq. vatum,
Vanaq. mendacis credat ludibria linguæ.
Martia Romani Germania nominis heres,
Macte viris, opibusq. potens: sibi vendicat huius
Imperij, primas, sacrato numine, partes.
Cuius in arbitrium rigidæ cum iure securis
Augustus concessit honos, mandandaq. fastis
Nomina Cæsareis titulos Hispana superbos.
Addunt regna, suis euictaq. mœnia Mauris:
Atque amandatas gentes longe Herculis vltra

Am-

Amphitryoniadæ metas: chalibysq. metallo
Imperium durat: non est fæcundior auri,
Argenti non vlla magis, non vlla virorum,
Armentive ferax regio. Subit Itala tellus
Continuo diuisa iugo, & quo spectat in æquor
Tyrrhenum, quoque Hadriacis se fluctibus infert
Adseruit latere. illa licet data gentibus olim
Iura canat, iactetq. suo se Roma senatu:
Roma sacerdotij moderatrix, sidere magno
In totum fatata æuum, præscribere mundo
Parenti leges. Hinc longo Gallia tractu
In partem accedit, qua canas transiacet Alpes
Putris gleba soli, mercesq. accersere suetus
Toto Belga mari. Siculis cum messibus adde
Sardiniam, & quæ multa iacet lato insula ponto,
Quin & barbarici sitientem littoris oram
Vltima quid mundi referam? testata vetustis
Quæ quondam reor esse libris, quos docta Platonis
Pagina commendat regio latissima, vtrumque
Ad cæli deducta polum, iacet, æquore magno
Seiuncta, Hesperiam contra nimioq. calentes
Sole plagas Libyæ, priscis incognita sæclis.
Hic auro constare solum, mirabile dictu,
Argentoq. ferunt, & viles gentis in vsus
Indigenæ, nobis sanctum, prostare metallum:
Mutariq. adeo ferro, quod scilicet aptum
Esse magis credunt, humanæ ad commoda vitæ.
Felices animi, quos tot per sæcula, mendax
Non tetigit splendor, non sollicitauit habendi
Auri sacra fames, quæ vos afflauit anhelo

Ore,

Ore,simul mundi,nostis commercia nostri,
Augustus quæ,iure suo,tenet omnia Cæsar
Carolus, Arctoæ rarissima gloria gentis;
Parte alia, magni se Lusitania iungit
Oceani domitrix,& toto clara colonis
Orbe suis, alienigeno depauperat auro
Te Tage, & extremo deuectis mercibus Indo
Natiuas obscurat opes, licet obuia passim
Vena sequax auri,multo vertatur aratro:
Seq. nitor glebæ prodat, stat,scilicet, olim
Propositi,dum fama tenax, a fontibus ipsis
Ditia flauentem deuoluere flumina limum,
Historiæ nec vana fides,a flante parente,
Quadrupedum volitare greges,& iura beatos,
Mollia,felici producere cespite fructus.
Non tamen his opibus virtus contenta, suiq.
Prodiga,non Boream, nimbosumq. horruit Austrũ,
Non ponti,cælive minas,dum fortibus ausis
Attestata suæ clareret gloria gentis.
Ausaq. ab ignoto commercia quærere mundo,
Suppositisque,manu, terris dare iura, parentis
Auspicijs,Auguste,tui, vestigia cuius,
Tu gressu maiore premens, victricibus orbem
Lustrasti signis. Nam quid tua sub iuga missos
Tot referam reges, & facta,tyrannide pulsa,
Arbitrij,tot regna,tui? quid barbara, parua
Profligata manu,narrem tot millia, & illos
Turcarum ad Diu congestos mœnia aceruos?
Quæ terra, quæ gesta mari sol luce iacere
Non patitur priuata sua, sed nescia noctis,

Assi-

Assiduis donat flammis, & milite cernit
Omnia plena tuo, quocumque libretur ab axe.
O telluris inops, & nostris inuida fatis
Parca nimis Natura sui, quæ finibus arctans
Angustis terras, sua desperare coegit
Præmia virtutem. tanti ergo pondera regni
Diuino commissa tibi se numine credunt,
Ioannes inuicte, ligas qui pacis vtrumque
Legibus imperium, priuatis publica tædis
Commoda concilians, primis quas Cæsar in annis,
Ioannes, spes nostra, tuus prælucet, & alto
Coniugij varias connectit fœdere gentes.
Dic Erato quis tanta deus connubia terris
Mandauit? geminos fasces quæ causa maritat?
Magna peto, scis ipsa tamen, quæ carmine blando
Fouisti teneros ignes, dum iussa parentis
Exequeris chari, iuuenumq. accendis amores.
Vere nouo canis tellus nudata pruinis,
Et pigro resoluta gelu, noua gramina campis,
Atque suos pratis induxerat alma colores,
Ad solitos ridens, Zephyris spirantibus, æther
Inuitabat aues cantus, austroq. tumentis
Hyberno fluuij, lenis successerat aruis
Lentus aquæ, venis tractus sitientibus, humor.
Vnde agris natiuus honos, pede Gratia nudo
Surgentes calcare herbas, ductare choreas
&usa, leui saltu, torpentia frigore membra
Excutit, atque hiemis sordes, & prouocat omnes
Ad nectar geniale deos. id nescia fræni,
Illic, & laxis volat indulgentia habenis.

Ipse deum genitor, vultus grauitate verendi
Seposita, læta discussit nubila fronte.
Ire diem Phœbus flamma meliore serenum
Iussit, & auratis emolliit aera pennis
Auctori natura suo. Tunc Iupiter aureo
Desiliens solio, traxit subsellia diuum
Cetera magnorum, lætoq. ex ore cachinans,
Ad Venerem properemus, ait, lasciuaq. Cypri
Numina, & assiduas subeamus amoribus vmbras.
Non vllus genio toto est, magis aptus in orbe,
Lætitiæq. locus, votis, ea templa, voluptas
Delegit secura suis, sic fatus, ab alto
Progreditur tota superum comitante caterua.
Et super herbosas valles, molliq. virentes
Gramine, diuorum sistit socia agmina, campos.
Venerat, interea, Cyllenius ab Ioue missus
Ad Venerem mandata ferens, sua regna pararet
Cælicolum hospitio, pennatum ad classica amorum
Illa ministerium ciet, & sua munera cuique
Distribuit, tunc turba procax factura parentis
Imperium volat, ille thoros è gramine molles
Componit certis spatiis, hic aggerat herbas
In tumulum mensis, & olenti nectit amomo,
Ille solum violis, & multo flore coronat,
At virides alius siluam contorquet in arcus,
Distinguens connexa rosis, atque arboris altæ
Quærit adoptiuas, propriis superaddere, frondes,
Et ditare nemus, riuos hic flumen in vnum
Cogit, & aspectum præterlabentibus vndis
Exhilarare loci, naturamq. arte decorans,

Et studet adpositis, immurmuret vnda, salebris;
Solliciti certant studio, dum sedulus ambit.
Quisque deæ placuisse magis, queis rite peractis,
Illa iubet, qua quisque valet, se formet in artem.
Subsultim sudat Risus, blandisq. voluptas
Pertentet digitis animos; confidat in omni
Arbore Amor, dulcesq. super destillet amores,
Mellitisq. Lepos euentilet aëra pennis.
Ipsa Venus multo comitata Cupidine, patris
Obuia se genibus prouoluit; ad oscula natæ
Iupiter inclinat sese, tum pectine doctus
Ad Citharam admoto, festos præludit Apollo
Congressus, duxere choros ad carmina diui,
Ausus & alterno iactare tripudia gressu
Lemnius. Aeternis posthæc conuiuia mensis
Imperat induci Saturnius, illicet, aurum
Immortale dapes onerant, fœcunda refundit
Quas largo Natura sinu, quas Copia pleno
Cornu infert, quin & Satyri, rurisq. beati
Numina textilibus calathis sua munera portant,
Officijsq. colunt cælestia numina priscis.
Hic iocus, & Risus regnant, innoxia grati
Acquirunt cauilla Sales, multusq. liæum
Circum miscet amor. niueisq. ad pocula palmis
Nympha suas præsentat aquas, magnoq. Tonanti
Dat puer Iliacus, rorantem nectare gemmam,
Applaudit sua turba Ioui, sequiturq. bibentem
Festiuo clamore deum. conduplicat Echo
Emissas voces, auditaq. verba retorquet.
Excipit omne nemus diualis gaudia Pompæ.

At Paphie obstipo defigens lumine terram
Sola tacet, tristisq. suos suspirat amores,
Totaq. demisso damnat conuiuia vultu,
Mars aberat, dum Pannonico pro limite certat
In diros hostes, & forti pectore curat.
Austriacæ inconcussa domus stent sceptra, suoq.
Imperium constet Charlo, communibus armis.
Quem simul ac mensis, sensit Cytheræa deesse,
Deposuit lætos vultus, & lumine toruo
Triste supercilium contraxit, causa Tonantem
Non latet, ergo citas Cyllenion ire per auras
Imperat, Arctoo qui Martem accersat ab orbe,
Adsit, & vmbrosæ subeat iuga nota Cythæres;
Impleat & diuum numerum, sua gaudia reddat
Offensæ veneri, positisq. interserat armis,
Mutua quæ fractas confirment otia vires.
Peruolat ille Argos, Agamemnoniasq. Mycenas,
Et bellatricis claras Tritonidos arces,
Transit & Illyricos fines, celeriq. volatu.
Dannubij supra virides vestigia ripas
Sistit, vbi inuento reddit mandata Gradiuo.
Scallentes sudore manus, galeamq. cruore
Fædatam diro, puro tum forte lauabat
Flumine Bellipotens, ergo opportuna Tonantis
Imperia excipiens, etiamnum a cæde madentem
Deponit thoraca humeris, & casside crines
Liberat impexos, validos nec hasta lacertos
Aggrauat, at pulchris, pro pilo, pampinus uvis
Sumitur, & Paphies armat sua tempora flore,
Ab se bellifremos longe iubet ire Furores,

Mœror abest, absunt miscentes prœlia diræ,
Scænaque sanguinem quatiens Bellona flagellum,
Et Pauor, & dubio trepidans insania vultu.
Sic placido Cypriæ subit ore palatia diuæ,
Conuictumq. deum, festiuo tota tumultu
Assurgit cognata cohors: Venus ipsa serenum
Erubuit, trucibus dum figitur vndiq. diuum
Luminibus; claudoq. procax suspecta marito
Soluitur in risum, cæli quo temperat æthram.
Hic post sermones, & post libata vicissim
Pocula, post crebros diuini nectaris haustus,
Per ludum, alternis studijs, dicteria plausus
Insequitur, festoq. diem clamore celebrat.
Vt nimiæ tandem subiere silentia voces:
Mars stetit ante Iouem, maiestatisq. verendæ
Numine adorato, tales dedit ore querelas:
Magne parens superum, cuius sua stamina voluunt
Ad nutum Parcæ, series seque explicat æui,
Fatorumque ordo: memini cum sidera Charli
Exciperent ortum, mandasti ingenia nostri,
Et totus primis, seruiret partubus æther
Ioannæ: tunc effusis dotauit Olympus
Nascentem studijs Charlum, suaque astra benigna
Luce dedit fulgere vni, mortalia supra
Ingenia; & Solyma felicem ex vrbe triumphum
Promisit quondam, libertatisq. futurum
Auctorem Græcæ fatali incidit in auro.
Illum ego in his vlnis, augusta a matre rubentem
Excipiens, pueri tractaui mollia dura
Mēbra manu, & primas formaui ad classica voces.

 Dura-

Durauiq. ad bella animos, & robore vires
Germano pepigi patrias comes vnguibus vsque
A teneris, rerum semper felice tenore
Continuans annos, dubiæ discrimina, & omnes
Vitæ vna subij casus. Sub pellibus ijsdem
Heu quoties transactæ hiemes, anniq. rigentis
Frigora, quæ clausus non vllis Sarmata tectis,
Non Scytha ferre queat: gelida cui creta pruina
Canities, nudosq. pedes nix, verberat alta
Perpetuum, quoties nullus dum militis vsus,
Vixq. alij admotis, animarent ignibus artus,
Me comite, ille super frænata binominis Histri
Flumina, & astrictum brumali frigore Rhenum
Raptus equo, spatium solidarum emensus aquarum
Terruit hostiles oculos. a fluctibus illum:
Ipse ego barbaricis, iratoq. Aenosigæo
Eripui ad Zelan, & nostri numinis, vndis
Opposuit fatum tandem ergo parta tot armis
Post decora, atque actos tot iam sub pellibus annos,
Tempus adesse suum rebar, quo numine certo
Præclarum erigeret Charlus, solyma arce trophæum.
Et fædo, Græcas vrbes, Thracenq. tyranni
Seruitio assereret: quæ versis lapsa referri
Cuncta vides retro factis nam Turcica vastant
Agmina Pannonicos fines, lateq. minantur
Imperij iuga sæua sui: sub cassibus æquor
Tirrhenum, siculumq. latet: feralia tristem:
Insultant vellixa mari, tendentia Phæben.
Quin & ciuili flagrat Germania flamma,
Atque intestino, tellus tremit Itala, motu.

Aeter·

Aeterni si stat leges infringere fati.
Summe pater, si iura poli, quid stultus, inanem
Curam alo? quid tantos iuuat exhaurire labores
In cassum? & vano intentas eludere vires
Conatu? quod si dum eadem sententia durat;
Atque operis tanti est, tot regna inuertere, & istud
Transigere imperium, magnoq. æterna paratur
Gloria, quæ pennis, victura, immunibus æui
Orbe volet toto, quanam ratione, docebo,
Id possis, numenq. suis absoluere votis,
Atque obluctantes rerum componere causas.
Est tibi Lysiadum, Ioannes Cæsar, in aula,
Vnica spes regni: matris, patrisq. Ioannes.
Augustum pignus, quo se plaga iactat alumno
Vltima terrarum, flammæ, dum nescia primo
Ludit flore ætas, votiq. ignara tenacis
Mens fluitat: sed & Hesperijs nutritur in oris,
Pulchra mei Charli soboles, Ioanna, marito
Apta dari, sua maturum connubia tempus
Poscit, & angustæ patitur dispendia prolis.
Quam licet hinc Hister, Rhenusq. hinc iure paterno
Vendicet, Arctoos repetens ab origine reges,
Communes sed Iberus, auos, dat matris ab ortu.
Ambobus: quos cum series iunctissima nectat
Sanguinis, adde iugum, maioraq. vincula vtrumq.
Fac regnum, iuuenesq. ligent, fac surgat vt vnum
Viribus imperium iunctis, quod Charlus, & orbis.
Clara quod occidui moderantur sceptra Ioannis
Hos mihi coniugio, si das committere fasces,
Obstabit nil inde meis conatibus, vllas

Accipient non fata moras: quis robora stare
Tanta queat contra? coeat cum regna tot, vnum
In regnum, pugnetq. mihi coniunctus Eoo
Hesperus, & gelidam regio diffusa sub Arcton:
Dicentem audierat prompta Saturnius aure.
Ergo vbi consedit Mauors, finemq. loquendi
Fecit consilij certus, sermone Cytheram
Hæc vltro aggreditur: non has tibi nata futuras
Ingratas tædas, atque hæc connubia credo,
Quæ tuus, ingenti studio, Mars anxius ambit,
Nec tua me fallit, tacito vt suffragia voto
Hærebant dictis, & mens ardebat easdem
Voce iuuare preces, sed noti iusta pudoris
Causa vetat, Lemnijq. decens reuerentia vultus,
Quæ tamen ille petit, patronæ haud indiga vocis
Stant mundo promißa olim, nec torquet inanis
Vos labor iste; Themis dudum hoc consulta manere
Dixerat antiqua fatorum in lege repostum,
Et venisse diem, thalamis quo talibus, astri
Explicet obscuri nodos, & limina pandat
Venturo tandem auspicijs melioribus, æno,
Hocq. adeo eiusdem doceat vel nominis omen.
Quare age, festinus Hymenæum mitte per auras,
Qui iuuenum casto, perfundens pectora, amore
Nectat, & æterno firmet connubia vinclo.
Mutuaq. absentes pictura infundat amores,
Gratia quam geminis coniuncta sororibus, auro
Lineet, & veros ab imagine concitet ignes.
Accedes tu sola thori, tædæq. iugalis
Diua potens, clarosq. animos amoribus indes,

Totaq.

Totaq. frenabis resolutis corda medullis,
Vnde orbi secura quies, terrasq. ligabit
Felici posthac concordia longa metallo.
Hæc vbi dicta dedit placido Saturnius ore
Assensere Dei, lætoque extrema secuti
Murmure, conceptos dant ad noua gaudia cantus.
Haud inuita facit Paphie mandata, suumq.
Protinus occiduas iubet ire Hymenæon ad oras:
Et comites de plebe duos, quibus ille ministris
Sanciat augustum fœdus, superaddit amores.
Ipsa Cupidineis vectata per æquora pennis,
Et Cyprica multum cicumuallata caterua
Euolat, Hesperiaq. simul se sistit in aula,
Aduentante dea, toto mala numina late
Concessere loco: Mæror, tristisq. futuræ
Pendula spes sortis, macieque insignis, & ore
Liuor edax, duplexq. sui Mens improba sensus,
Et personato grauis assentatio vultu.
Flammarat iam pectus amor, iuuenumq. tabellis
Mutua condiderat pictis, corde ora sub alto:
Accusant iam sæua suis, dare tempora tædis,
Tarda moras, solisq. pigros, sua damna meatus.
Ergo ingressa Venus, sic est affata Ioannam:
(Mollibus hæc stratis, regali fulta paratu
Quærit acu frustra vigiles depellere curas)
En tibi præsentes, lex immortalis, amores
Præcipit esse tuos, tanto condigna marito
O formosa ante alias virgo, tibi numina Cypri
Adsumus, ad sacrum pompam ductura Cubile,
Tu mihi te facilem præbe, nec gaudia, vani

Plena metus, mæsto temera solemnia vultu,
Vosq. mei comites, lætum componite carmen,
Quale Iouis summi thalamis coeuntibus olim
Mnemosynes cecinit soboles arguta, datisq.
Instaurate choros manibus, citharæq. canoræ
Ad numeros, festæ procedant agmina pompæ.
Ducitur augusto augurio Ioanna Ioanni.
Desine iam longi suspiria ducere voti
Lysiadum spes, vota diem meruere: videbis
Mox oculis, quam mente prius, totosq. per artus
Præsens ibit amor titulis insignis auorum
In thalamos noua nupta tuos deducitur. olim
Hos quoque magnorum series exornat auorum,
Hic tibi barbarico viuunt annalia in auro,
Phidiacæq. manus referunt ex ordine reges.
Limina prima tenet, qui fortibus expulit armis
Hispanum ceruice iugum, regnoq. parentis
Priuatas, mutauit opes, & regibus vnus
Tot simul est ausus campo confligere aperto.
Nominis inde tui stant prima exordia, regni
Certa salus, nostras impune aliena per vrbes,
Qui ferri non sceptra tulit, qui primus, adepta
Pace domi bellum Lybiæ traduxit in oras,
Infidoq. fretum Mauro, Septæq. tributis
Asseruit. Subit Emmanuel, ad proxima lecti,
Qui noto ante polo victricia signa
Intulit, & nostras in leges ire coegit
Oceanum, mora sit totum numerare tenorem
Gentis, & ornatos multo diademate postes.
Quæ tibi maiorum præclara exempla reponit


Do-

Docta manus, falsis generosum accendere fucis
Ad virtutem animum, variosq. animare colores,
Argumenta æui, celsæ quòd acumine mentis
Cum tu percurres facies, intelligat orbis,
Accessisse tibi cumulum virtutis auitæ.
O virgo, quam tanta viri fortuna manebat,
Viue diu felix, & cum felice marito
Imperij rege frena ampli, da publica vota,
Da dulces patri natos, socerisq. nepotes,
Occiduo dominos orbi, qui regibus olim
Cum consanguineis, regnorum mutua sacris
Fœdera coniugijs, in sæcula longa propagent.

MICHAEL CABEDIVS SENATOR REGIVS

In partum Ioannę serenissimæ Lusitaniæ Principis, Sororis potentissimi & inuictissimi Catholici Philippi, Lusitaniæ Regis.

AD INVICTISSIMVM IOANNEM III. Lusitanorum Regem.



AXIME, Rex Auguste, Deo immortali habendæ sunt gratiæ, quòd & successore tibi, & populo Lusitano regni herede cauerit, a quo certe hæc publici infortunij solatia, tuæ solius pietati donata credimus: vt etiam priuatis populi cri-

minibus ſpem regni vnicam, & omnium oculos Ioannem tuum ereptum nobis deflemus: cuius eo vſque omnium animis præſens hærebit memoria, donec familiam iſtam ab vna illius ſtirpe numeroſis nepotibus auctam videamus: (quod ille omnium potens faciet eo magis, quo minus non id meremur miſeri.) Sum equidem proſecutus, Rex Auguſte, publicam meo carmine lætitiam, nullam ſane partem eo aſſecutus, eius gaudij, quod mihi cum omnibus commune fuit, qua die poſthumam hanc prolem, regniq. ſecuritatem ſuſcepimus: ſed iacentem recenti calamitate, & quodammodo torpentem animum ita excitauit optatiſſimus hic partus, vt mihi ſatis non fuerit tantum non intra priuatos parietes gaudio inſanire, niſi etiam in vulgus raptim conſcriptum carmen publicarem. Haud ignarus de re tanta nonniſi valde ſeria, & a præſtantiſſimis componi debere. Scripſi tamen, vt idem mihi de proſperis tuis ſcribendi tenor conſtaret: argumenti dignitate fretus, quod non dubitabam nemini non placiturum, licet omnibus carmen ipſum diſpliceret. Et ſi exultantibus nimia lætitia animis ſiquid excidat minus circumſpecte dictum ignoſcimus, non vereor ne quid auctori in tam effuſo omnium gaudio detrahatur, ſi quid in carmine minus apte poſitum ſit. Certe ſi in eo cuiquam fortaſſe aliquid in au-

re

re bene ſonabit argumenti felicitati debebitur. Faciat, Rex Auguſte, Deus, Opt. Max. vt huius nepotis tui nuptiæ, & plurimorum filiorum natales magno cum tuo, populiq. Luſitani gaudio, multorum doctorum ingenia, & eruditionem varie olim exerceant. Vlix. VII. Kalend. Februa. Anno Domini. M.D.LIIII.

MICHAEL CABEDIVS

In partum Ioannæ ſereniſſimæ Luſitaniæ Principis.

DII, quibus imperium hoc ſemper ſtetit, ortaq. paruis
Principijs victo ſe Luſitania Gangi
Impoſuit, domitoq. polum per vtrũq. profundo
Signa tulit, poſtquam Heſperias Eoa carinas
Littora, Pelei prolem indignata tyranni,
Ignotis vexere vadis, Luſiq. potentem
Progeniem per tot, qua venerat, aſpera ponti
Aequora gemmiferum tandem duxiſtis ad Indum:
Qui res Lyſiadum nunc, & fundata tot annis
Regna, armis, opibusq. ſuo ſancire paratis
Herede, & magnos Auguſtæ munere prolis
Continuatis auos, clarumq. in ſæcula nomen,
Dicite Ioannæ fauſtum, quæ ſidera partum

Excepere nouum, vel qua Lucina resoluit
Lege puerperium, celsi cui tota laboret
Aula poli, magniq. domus desudet Olympi,
Et septem gemini numen deseruiat orbis.
Nam si vestra humiles hominum se fundit in ortus,
Cura nec exiguos est aspernata penates,
Priuatiq. lares nonnumquam vestra fatigant
Numina, par certe est coluisse frequentibus omnes
Certatim studijs hæc incunabula diuos.
O felix, niueoq. dies signanda lapillo!
Occiduis quæ tot populis, tot gaudia mundo
Contulit Eoo, medioq. iacentibus axe
Gentibus, imperij fines qua sidera tanti,
Et phœbus, cælumq. regunt, pars optima nostri,
Vna dies sæcli, quæ longum fulsit in æuum,
Nutantes herede domos, nostriq. malignæ
Eripit arbitrium sorti, nec casibus vllum
Fortunæ dedit esse locum, maturaq. regum
Consilia asseruit vulgi a sermonibus olim,
Et sacra priuatis quid distent pectora curis
Edocet Hesperiæ geminis innixa columnis.
Aula domus stabat, Lysi fundauerat orbem
Prole Deus bina, sexu complexus vtroque,
Et regnum firmare suis heredibus orbi,
Et dare venturas in publica commoda tædas,
Quas alias donaret opes, aut munera Olympus
Pro meritis Auguste tuis? en contulit æther
Quod fuit in primis tibi rex sanctissime curis.
Nempe affectatis, non tu ambitiosa superbi
Imperij monumenta paras, non crimina regum

In populum tædis, nec triste minantia factis
Præsidia accersis crudelibus, at tua postquam
Regna Deo pietas sat commendasset, & alti
Relligio secura animi, dare fædera terris,
Et proprijs statuisti etiam firmare quietem
Pignoribus nostram, mundoq. reponere pacem
Per consanguinei commercia mutua iuris,
Infremit, & tacito connubia murmure damnat
Vulgus, & imperium thalamis peregrina subire
Sceptra nouis clamat, nataq. in dote locatæ
Occiduæ ius isse domus, & pignore ab vno
Iam prope casuri pendere cacumina regni:
At tibi fixa Deo constat sententia recti,
Quæ valido fundata piæ munimine mentis
Securos nos esse iubet, quo pectore cumque
Inclines tractura deos, votiq. potentem
Te factura tui: plebis non vana moratus
Quo sit vt incautæ deliria, fædera mundi
Muneris eße tui velles, natamq. locares
Externam in gentem, nato spei certus ab vno
Innumeram sobolem dominos in regna daturam.
Continuos, tua qui digni diademata quondam
Excipiant, tradentq. nepotibus aucta nepotes.
Viderat ex alto Saturnius æthere quondam
Res hominum, postquam Hesperijs cessere carinis
Aequora, nascentem quæ primum Hyperiona tor-
Et dominas sensere rates, quæ numina tanti (quēt,
Imperij rubrum nabant secura profundum:
Scilicet occiduas Ganges felice cohortes
Flumine, & a primis potauit fontibus Indus:

Gemmiferis exinde vadis Orientis ab vsque
Vecta plagis solem ditauit gaza cadentem:
Mollia pacifica donarunt vellera dextra
Seres, odoriferas felix Panchaïa nubes
Contulit, & nostros pretioso cortice Ganges
Irriguis arbusta vndis confouit in vsus.
Cinnamma miserunt Arabes, & thura Sabæi,
Diuitias misere suas, Cilicumq. remoto
Limite nota dromas portauit vela camelus,
Et rude Idumææ sudauit balsama vitis
Vulnus, & ignotas nobis ventura medellas.
Macte animi Emmanuel, & tanti muneris auctor.
Gentibus, Eoos cui fas vulgare recessus:
Qui dum Lysiadum seruire pericula mundo,
Atque orbis statuis communes omnibus vsus
Asseruit te fama polo, quæ gesta per orbem
Virtutis testata tuæ venerabile tandem,
Ardua quod decuit nomen super astra locauit,
Viderat & regno, Rex inuictissime, per te
Addita regna tua tot barbara, totque per orbem
Commoda tantum non patris superantia curas:
Tum reputans quanta in primis incesserit vno
Te pietas regnante homines, quo numina cultu
Exemplis edocta tuis obseruet, & ætas.
Quos templis, arisq. deum tua reddat honores:
Cogat vt infandi gentis ludibria ritus,
Et proprios nescire deos, verumq. secutas
Numen sponte sua pro libertate pacisci
Doctores diuum dominos. Quæ commoda vestris
Auspicijs quæsita orbi, Saturnius æquo

Consi-

Consilij putat esse Deum quo munere penset.
Fraternum depasta iubar. sic lætior ergo
Lysiadum genti partus prænuntia magni
Cynthia protulerat, cornu non ante sereno
Illa magis luxit mortalibus, astraq. pressit
Insueto signans noua gaudia lumine, quam cum
Augustum Ioannæ vterum iam nona grauaret
Signa polo factura; diuos venisse beatum
Qua studijs cumularet onus, conceptaq. quondam
Munere pro tanto qua vota reponeret orbis.
Tunc ad se superos proprijs e sedibus omnes
Iuppiter Atlantis iubet accersire nepotem:
Esse quod in medium communi restet agendum
Consilio, & tanto dignam rem consule cœtu:
Est locus in medio cœli pellucidus axe,
Perpetuo qui sole nitet, zephyroque perennis
Flante tepet vernum, non illic frigida cogit
Bruma niues, gelidoue rigent Aquilone pruinæ,
Et vicina licet nimio tamen ipse calori
Frena tenet Phœbus, molliq. attemperat astro
Aethera flammiferis illustrans: cetera habenis
Sidera diuorum gemmata palatia parte
Ex omni fulgent, proprijsq. accensa coruscant
Luminibus: multa æthereas hinc inde frequentat
Stella domos passim, postesq. domesticus ignis
Distinguit sacros, hominum prælucet Olympus
Quem factis, cuiusq. deos vt mandet in ortum:
At in secessu magni meliore metallo
Stat sedes augusta Iouis, quam plurimus ambit
Circum adamas, totusq. suis quam ditat Hydaspes

 Diui-

Diuitijs, cui donat opes prælargus Eoas
Indus, & Oceani spumant vada rubra Pyropum.
Quin & adoptiui peregrinam emblematis artem
Natiuus commendat honos, numenq. benigni
Sideris, & toto non æthere mitius astrum.
Hanc primo Natura parens fabricauit ab æuo
Arte sua rectori orbis, stant atria cætu
Digna deum, & princeps nitet æthere curia toto.
Excitos Atlantiades huc duxit ab omni
Parte poli Superos: solio consedit eburno
Altitonans, varijs quod sæcula multa figuris
Distinxere patri: violatus Iaspide candor
Assiduo niueus, flammamq. æquante Pyropo
Intentos in honorem oculos præstringit, & ora
Aduersi feriunt radij, numenq. sedentis
Defendit vis multa loci: pater ipse laborat
Lumina sæpe loquens in se conuertere diuum,
Nec potis interdum sese minor esse, suaq.
Maiestate cupit, disponitur ordine deinde
Cetera turba Deum, stataq. ab honore curuli
Quisque sedet: vario sermone immurmurat aula,
Inque vicem quærunt dubij tractanda repente.
Quæ tanti res arbitrij? quæ postulat omnes
Causa deos? magni num decernenda triumphi
Pompa siet regum meritis ingentibus vlli?
Rursum alius, grandisne rei num causa feratur
Iudicio cessura deum? quique impius orbem
Communiq. simul qui crimine læserit astra.
An noua iura paret terris imponere mundi
Rector, & efferens hominum compescere motus?

Non

Non alias fas ob causas indicere Olympo
Concilium toti, tantumq. excire senatum,
Non nisi magnarum fas est ob pondera rerum.
Dum dubij fluitant animi, sic ore locutus
Dimouit toto Saturnius æthere nubes:
Si mea vulgares versarent pectora curæ,
O superi, si res animum priuata subiret,
Cuiusuis de plebe hominum, defungier ipse
Arbitrio potui nostro, vilemq. cateruam
Solus, & obscuræ tractare negocia turbæ.
Nunc quia sollicitam grauioribus anxia mentem
Cura tenet, sacrosq. lares, maioraq. pulsat
Limina, de magnis vos consultatio rebus
In partem vocat, & toto deducit Olympo.
Scitis vt immensi lustratis finibus orbis
Lysiadum rex Emmanuel sua sidera mundo
Reddidit, & rubris pia signa infixit arenis.
Primus ab occiduo permensus littore, quidquid
Fluctibus Eoum lambit spumantibus æquor,
Europæq. dedit septem nescire Triones
Atque alium spectare diem, vulgataq. sæui
Oceani post iura orbi peregrina per astra
Insuetum direxit iter, quo mutua rerum
Transigerent inter sese commercia gentes,
Nauitaq. indigenas accerseret vndiq. merces,
Cumq. foret rerum, statuit quas optima nasci
Diuerso Natura solo, mortalibus ægris
Vsus inops, multa inter se tellure remotis,
Nec dum notus honos alieni cespitis esset,
Hesperias hic primus opes commisit Eois

Quæ matutinis enutrit roribus Eos
Cassama, quos nardi, messis concinnat odores
Vesper habet, mittit Costumq.; & Xylon amomi
Gentibus Arctois vicina ad frigora Ganges,
Et piper, & patria permutat Cinnama veste.
Atria quin totis hebeni suffulta columnis,
Atque opera illustrat rutili quæ massa metalli
A medio deuecta die, & quos tessela conchæ
Sectilis artifici distinguit fœdera pesles.
Obstupet extremo Phœbus dum mergitur axe,
Lysiadumq. iugis eductum Parthica Bacchum
Pensat, & infecto Babylonia vellere pellis;
Et fluidæ Persæ gentiles vestis in vsus,
Itala Carbaseis mutant holoserica peplis.
Quid notum sibi sero orbem, qui sidera cœli
Altera ab antiquis æui fulsisse tenebris:
Totaq. quid referam tandem mortalibus, huius
Auspicijs, nostri patuisse palatia regni,
Et totos vix tanta deos post sæcula demum
Scire homines? nec vos castæ reuerentia mentis
Ioannis latet in superos; qui regna paternis
Atque suis quamuis sudata laboribus olim
Ampla tenet per vos, late sparsumq. per orbem
Possidet imperium, celsi tamen ille sagaci
Despectant ex arce animi mortalia cura.
Non vano populi plausu, non sanguine auorum
Tot supra regum, blandis luxusue profusi
Intumet illecebris, toto famulantibus orbe
Diuitijs, sed mente Deum complexus, in omne
Numinis obsequium regnat non limite moto

Lon-

Longius imperium censens, sed finibus illud
Terrarum cessisse suis ratus, asserit omne
Relligio quod vera Dei, meliore nefandos
Permutans cultu ritus, & adultera sacra,
Degeneresq: deos; hæc nos data gentibus, æquum est
Cælicolæ, digno pensemus munere, nostra est
Causa orbis: date meritis æqualia tantis
Præmia, quo regnum (si fas est dicere) facta
Ad maiora animos tam grata exempla fatigent:
Horum me certe memorem res ipsa coegit
Vos toto concire polo, nam tempus in ipso
Articulo, & vestrum præceps occasio munus
Deposcit, quo non aliud condignius vllum
Tot mundo penset regum benefacta piorum.
Iam pridem occiduo vobis auctoribus orbi
Ioannæ dedimus thalamos, & fœdera rursum
Icimus Hesperiæ gentis per mutua regum
Pignora: quos populis motus, quæ gaudia Iberis
Lux dedit illa, Tagus qua nullo ditior æuo
Excepit dominum fluuio pallente phasellum,
Augustamq. vrbi flauescens diuite limo
Intulit vnda nurum: tunc maxima scilicet illud
Cura fuit Lysi dominis implere curules,
Et totas ditare domos heredibus olim.
Quæ rata vel primis iuuenum congressibus, vno
Felici Lucina manu præstabit in anno.
Totq. vna, quondam factura ex prole nepotes
Iam nono Ioanna vterum fert mense, suamq.
In lucem iam gestit onus, quo pondera regni
Nituntur, gentisq. salus, & gaudia (quando

Delicias orbis superi voluistis acerbo
Funere, & occiduæ tenebris spem condere gentis)
Illa marem gestat, quem vos communibus æuum
In longum studijs educite, certaq. mundo
Pignora, & hoc meritis seruare parentibus: huius
Omne vacet numen fatis, vacet omnis Olympus:
Ipse ego nascenti studium, nostriq. benignum
Sideris infundam numen, quod regna secundet
Illius, & factis quondam maioribus adsit.
Dixerat assurgens dictis Natura loquentem
Talibus excepit (nutant subsellia tantæ
Maiestate deæ) Pater ò Saturnie diuum
Atque hominum, dudum toto te figere vultu
Me video, & causæ nostrum deposcere nutu
Velle patrocinium. fateor non dignior vnquam
In medium, pro qua starem res venit; & huius
Haud superum incumbit meriti mage gratia cuiquã
Scilicet ipsa minus quondam mihi commoda mũdi
Per varias dispersa plagas ignota manebam
Tot populis, dum quisque mei sibi sumeret vsus,
Natiui quam culta soli modo patria partem
Glebã daret, nec terrarum de corpore tanto
Mutua cognatis seruirent munia membris,
Inque vicem primi nulla esset gratia mundi,
Nesciret cum sese orbis, terrorque minacis
Oceani, nec certa poli lex vlla notati
Sisteret audendos peregrina ad climata cursus:
Nunc post annorum tot sæcula tota per omnes
Nota mei partes feror, & mihi reddita, vanum
Efficiam Emmanuel meritum id non auferat: ergo

Si

Si superi annuitis (te quando auctore monemur
O pater) est animus Ioannæ numine magno
Augustum dotare vterum, mea constet auiti
Gratia cui meriti, partumq. ex omnibus vnum
Eximium præstare orbi: fingam ipsa futurum
Ad regnum molli regalia membra decoro,
Totaque in Augusto componam sidera vultu.
Præterea candorem animi, prælargaq. quantum
Ingenium mortale feret dabo: vos iubar astri
Quisque sui magnis superi prætendite fatis.
Dixerat. assensu nunquam maiore senatus
Lectea stellati sonuerunt atria cœli.
Illicet exultant animis, suffragia primus
In pueri dum quisque cupit permittere fetum,
Et numen conferre suum: tamen ordine vinci
Cogit honos, meliorq. animos reuerentia frenat,
Prima Deum ridens vultu regina sereno
Hoc, inquit, quondam fas sit regnante metallum,
Gentis in Hesperiæ deuoluere commoda, Gangem
Ditius, & medio fœcundius axe sequaces
Ire auri venas, alioq. sub orbe sepultas
Esse palam populis, rutiloq. tumescere tractu,
Præsidium imperio, neruosq. in bella daturas:
Hos neque diuitiæ Crœsi, non Lydia toto
Flumine, & aurifico scallentia balnea rege
Exuperent, vt sit vulgi quoque fabula quondam,
Aurea Saturni regnante hoc sæcla redisse.
Flaua Ceres læto se tunc interserit ore,
Felices nimium queis hoc sub principe nasci
Continget, dabitur terris quod nulla tulerunt

Tempora, quod nullis etiam, ventura videbit
Post ætas annis sterilis non chasmate tellus,
Aut vlla maiore poli vi læsa negabit
Reddere mandatum semen, vitiove peribunt
Eductæ segetes, sed messibus horrea deerunt;
Luxuriabit ager, quæcumque in semina cultus,
Et Flora mandante meus per prata feretur
Aeternum Zephyrus, molli qui germina flatu
Pelliciens glebæ cogat iuuenescere honorem
Putris, & inducto tellurem gramine condat,
Mellaq. iucundos superexudantia rores
Aluea destituent, ibuntq. per arua fluenti
In morem, quin Palladios non uncta trapeta
Accipient fructus, & toto copia cornu
Maior erit, lac sponte fluet, fœcundaq. læti
Armenti pingues distendent vbera pastus.
Candida tunc hedera redimitus tempora Liber
Excipit assueto iactantior, & mihi Lysi
Gens, ait, o superi, curæ est, priuataq. gentis
Contingunt me iura etiam, felicia cuius
Sceptra olim cerno toto clarescere in orbe,
Huic puero possessa, mei si numinis vllæ
Sunt vires: namque Eoo cur cardine cessi
Gentibus occiduis, premeret victoria nomen
Cur aliena meum volui? nostrosq. triumphos
Obscuraturam cur Gangis ad ostia gentem,
Atque Indi penetrare sinus sum passus in imos?
Scilicet hoc nobis duxi accessisse, quod vsquam
Lysiadum sceptris accederet, illa tueri
Ergo mihi curæ, penitusq. imponere Eois

Rebus : vt omittam qualis vindemia per me
Istius imperio fluet, vt nec vina tenebunt
Se lacubus, nec prouentus vrnalia magnos
Dolia non capient, calcandis non satis vuis
Totus ut Autumnus stet, & vindemia ab anno
Vix tandem decimo, populi promatur in vsum.
Regibus inseruit quauis regione feratur,
Phœbus ait, mea flamma pijs dudumq. trophæis
Luximus Eois, & cum pia signa per axem
Duceret occasus medium, maiore refulsit
Luce polus, totaq. dedi tunc libera nube
Lumina : nunc cæli quacumque in parte laborem
Lysiadum per regna feror, quæ purior olim
Hoc domino per me fax illustrabit, vt igne
Aeris infusi vitium depacta salubri
Seruet io magnis populos (sic fata) triumphis.
Præterea ingenium varium, pueroq. sagacem
In commune bonum fingam, quondamq. regendis.
Tot terris aptam mentem lex sideris esto
Hæc nostri Mars deinde fero sic ore profatur :
Huius ego imperio Lybiæ post vasta perustæ
Arua nobis Arabum dudum possessa colonis,
Atque vagos Nomadas, vetiti sacraria Nili
Adiungam, quin Caucaseis obstructa pruinis
Claustra Asiæ vincam, medijq. in viscera mundi
Hac figam pia signa manu, non fabula Pori
Mendaces prætexet opes, nec postera vano
Sæcula Lysiadum ludent annalia versu,
Sed pueri auspicijs huius, nostroq. secundo
Sidere, Caucaseo male defensata rigore

(Virtutem quis enim murus quæ mœnia contra?)
Occiduis magnos reges diademata signis
Submisisse canent, vt vi cessere negato
Gentibus hospitio Synæ, belliq. potentes
Altera vt Hesperios agnouit Iberia Iberos,
Vtque peregrini dominos plaga sideris vllos
Accepit tandem: (prisco pars vltima mundo
Reddita) durabo pueri nascentis in vsus
Ipse meos artus, & membra, animosq. futura
Audaces in bella dabo, quos nubilus Auster,
Quosque cadens phœbus, primoq. exhorreat ortu.
Finierat. Iungunt votis se turba fauentum
Cetera cælicolum, lætoq. in fata feruntur
Carmine, & ingenti resonant subsellia plausu.
At superum consultæ iubet rata Iuppiter esse,
Aeternisq. Themim de more incisa tabellis
In tempus mandare suum, comitataq. parcis,
Et toto petat Augustum Lucina cubile
Aucta polo: varium comitantum munus in vno
Cernere erat partu. meliora hic tempora promptis
Prætendit manibus, præfert hic spicea lassa
Serta manu, huic pulchras promittit pāpinus vuas.
Atque suas parcas agitat labor, illius auri
Massa humeros lassat, captiua hæc flumina, & olim
Mille expugnatas ferat vrbes, pensa laborat
Illa volubilibus connectere gaudia fusis,
Nullaq. tot comitum vacua est a munere dextra.
Felicis macte arbitrij regum optime, & idem
Maxime Ioannes non tu præsaga secutus
Fulmina, non vanos auium captante volatus.
Angu-

Augurio tua das fatis, non omine iniqui
Tardatus vulgi, vinclis nec victima ruptis
Si fugiat, iecoriq. caput neget hostia sacro,
Heres ambiguus rerum, verum auspice mentis
Imperio rectæ statuis dijs nostra secundis
Commoda, & euentus audes spondere futuros.

VOTA XVII.

Auctore Michaele Cabedio Regio senatore, & ciuitatis Olysipponensis gubernandæ triumuiro.

INVICTISSIMO, ATQVE potentissimo Lusitaniæ regi Sebastiano, huius nominis primo, Africo, Aethiopico, Arabico, Persico, Indico, S.P.Q. Olysipponensis perpetuam felicitatem exoptat.



VOTA pro felicissimo natali tuo die libenter suscepta, libentioribus animis, incredibili totius vrbis alacritate, Deo optimo maximo, & diuo Sebastiano, sacratissimo eius martyri persol-

uimus, Rex inuictissime, & tibi votiuæ pompæ, publicæq; lætitiæ signa mittimus: sed & carmen in id argumentum conscriptum, in quo si quid minus apte dictum (vt pote nimia lætitia exultantibus animis) exciderit, tempori condonabis. Faxit Deus opt. max. vt eadem vota complures per annos, te incolumi, persoluantur.

ANnua votiuæ redeunt spectacula pōpæ,
Lætaq; solemnes aris vrbs reddit honores,
Vrbs antiqua, potens, Gradio fundata colono,
Quæ caput occiduis tollit venerabile terris,
Hic vbi se rapidis ponti Tagus inserit vndis,
Publicæ lætitiæ funduntur signa per omnem
Late vrbem, merito, socia cum plebe, senatus
Vota coronati soluunt iustissima patres.
Dic Erato, quæ caussa sacri, cum gaudia festis
Exhilarata choris, celebrant iuuenesq., senesque?
Vnica Lysiadum sceptri, & spes vnica gentis
Hesperiæ, nulli legum pietate secundus,
Ioannes princeps fuit his dilectus in oris,
Quem (licet inuitis fatis) clementia summi
Per tria lustra Dei, totidem & seruauerat annos,
Dum bona coniugio, proli dumq. apta parandæ
Ex vno, magnam in gentem cōtingeret ætas.
Hunc pater, & patriæ, & nati deuinctus amore,

Ad

Ad regnum cura studuit formare sagaci,
Ipse suo exemplo cupiens componere mentem,
Quæ regere imperio populos, quæ lenibus vrbes
Legibus, in tanta quæque æquo viuere iure,
Fortuna sciret, nec duceret vlla licere;
Omnia cum posset, quàm quæ suasisset honesti,
Et virtutis amor. queis altæ munia pacis.
Artibus, & belli tractaret iura, foretq.
Tam ciui charus, quàm formidabilis hosti.
Talis eras pater o patriæ, rex gloria regum,
Ioannes tibi non elusa fugacibus hisce
Imperijs, oblita sui, non Gangis, & Indi
Diuitijs mens intumuit, nec fluxit inertem
In luxum, blandita sibi, tu pectore Olympum
Complexus placido, curis in regna vacabas
Prouidus, hostilis modo ne quis forte tumultus
Ingrueret, modo ne piratica signa rapinis
Assueta, auderent nostrum volitare per æquor.
Adde forum, legesq. tuas te iudice sanctas,
Arbitrij secura sui, cum libera patres
Iudicia, atque sacer sciret consulta senatus.
Qualis eras populis, tumidi quem nulla moueret
Tempestas animi, qui nullis cederet iræ
Fluctibus, haud quisquam melius te iuris, & æqui
Nosse modum, in pœnas tardus, legúmq. seuerus,
Publica si quando caussa id deposceret, vltor.
Largus opum, rectiq. tenax, largitor honorum.
Improba non gestu, nec erat simulata minaci
Terrore imperij species, amor ora, simulq.
Commendabat honos, his ergo adolesceret heres.

Mori-

Moribus, ad regnum natus, curarat, & orbi
Per consanguineas sua fœdera reddere tædas
Occiduo: Arctoi namque ingens gloria Rheni
Carolus, alterno firmarat pignora pacis
Coniugio, vt stabilis multos duraret in annos
Fœdus amicitiæ, & concordia mutua binos
Vinciret populos, serosq. ea cura nepotes
Tangeret, vnanimes vt semper publica rectis
Commoda consilijs agerent. heu nescia veri,
Nesciæ venturæ mortalia pectora sortis.
Mutauit pia vota Deus, natoq. parentes,
Ioannamq. viro, patriam priuauit amico
Principe, sic sontis populi scelera vltus, in vno
Insontis capite, & regni spem sustulit omnem.
Nostraq. confudit tenebrosa lumina nocte,
Complentur clamore viæ, totaq. vagatur
Vrbe furens populus, cælumq. vlulatibus implet,
Femineos auræ quæstus, geminataq. planctu
Lamenta horrisono reddunt tum pectora luctu,
Victus vterq. parens stupet, haud sua pignora tãtũ,
Quantum vrbis casum flentes, regniq. ruinam.
Quæ facies tunc vrbis erat? cum plena tumultu
Per fora lugubri mista plebe, iret amictu
Nobilitas, cultuq. omnes censeret eodem
Mæsta dies, totis templis triste æra sonarent.
Luctifico æra sono casus testantia nostros,
Attonitum huc, illum populum, luctuq. furentem
Cerneret erat; cælo indignas iactare querelas,
Priuatos cuiusq. lares, totamq. videres
Misceri ante oculos magnis clamoribus vrbem.
Quin

Quin etiam ipsa comam, vultum & laniata decorū,
Et laceros conuulsa sinus, ad sidera fertur
Mærenti tales fudisse e pectore voces:
Summe parens hominū, rerum inuiolata potestas,
Qui mare, qui terras, qui cœlum numine comples,
Perque suas statuis (tua dum feret vltima fati
Lex) mundum durare vices, hæc esse futuro,
Si stabilem imperio voluisti mœnia sedem,
Quæ tot ab infidis tetro possessa per annos
Hostibus, Alphonso tandem assertore nefandi
Mutauere tuis ritus, deliria sacris,
Vnde inuicta manus, pulsis trans æquora Mauris,
Herculeiq. angusta freti, fæcunda coegit
Cedere Lysiadum melioribus arua colonis,
Et parere tuis Bocchi penetralia signis.
Si ponti dominis statuisti has gentibus arces
Esse locum, quæ vera polo sub vtroque docerent
Numina, quæ populis, quos Sol primo imbuit ortu,
Iura darent, Libycis ereptaq. sceptra tyrannis,
Lysiadum claris regum ditata trophæis,
Si placuit Gangi, rebusq. imponere Eois,
Quem tanto heredem imperio, Lysiq. potentem
Continuare paras queis successoribus aulam?
Principe de tali spem funere tollere acerbo
Sic visum nostram? pietas id, votaq. patris
Ioannis meruere? fides, reuerentiaq. æqui
Hoc meruit? Quin tu dignis si crimina pœnis
Vlcisci stat nostra, pios solare parentes
Instantis partus successu, & munere prolis,
Vnius ob meritum insontis qui mœnia seruas

Iudi-

Iudicio damnata tuo. sic fata perennes
Effudit lacrymas, rumpens vaga sidera questu,
Auxilioq. vocans, cælestia numina, diuos.
Quos inter surgens, cælo gratissimus Heros;
Dira Sebastianus prætendens spicula, flexis
Ante Deum genibus, procumbit, & ore precatur.
Aeterni genitor nati, qui damna parentum,
Diuinaq. hominum reparasti prole ruinam,
Prole domum reparata labentem, & culmina regni
Cum sceptris, herede suo nutantia fulci.
Si scelus hoc gentis, populiq. hoc crimina forte
Demeruere; pijs concede parentibus, oro
Spem saltem hanc vnam, miseris solatia rebus.
Hoc mihi da, si sæua, tuis dum seruio iussis,
Intrepidus tormenta tuli, cum membra sagittis
Confoderet miseri (quas conspicis) ira tyranni.
Scis pater (omnia enim tibi nota) vt verus in illa
Vrbe tui vigeat cultus, quo numina ritu,
Quàm colat ardenti studio, quos pendat honores
Cælitibus, dum te, omnipotens, veneratur in illis:
Vnde fit, vt nostros cineres, atque ossa Quiritum
Mœnibus exportata, pio amplectatur amore,
Teque sibi nostro deuinctum pignore credat.
Hic ait, adijciunt similes socia agmina voces,
Coniunctisq. fauent meritis, flectuntq. tonantem.
Annuit ille pijs precibus, sparsitq. serena
Luce polum, casus vrbis miseratus acerbos,
At Ioanna vterum nono iam mense gerebat,
Inciderarq. dies natali festa Sebasti:
Tunc aras, & templa adeunt, & numina fusis

Solli-

Sollicitant lacrymis ciues, totamq. per vrbem
It clamor, diuiq. sacris penetralibus effert
Ossa, pijs manibus, castus veneranda sacerdos,
Et canit ostenso diuinas pignore laudes.
Agmine composito certatim in verba sequuntur
Cum senibus iuuenes, patribus plebs anxia mistis,
Vno chara vouent patriæ pro pignore cuncti,
Pignora, tunc vnus toto spondente senatu,
Nuncupat ex omni mansurum in sæcula votum,
Si tua felici soluant suffragia partu,
Augustum Ioannæ vterum, fortissime Christi
Miles, & optatam per te Deus annuat vrbi
Sollicitæ sobolem, sacra ad delubra quotannis
Natalem celebrare diem, festisq. frequentes
Indulgere choris, patres, populusq. vouemus.
Dixerat: ecce hilari accurrens Lucina tumultu
Regia tecta subit parcis comitata benignis,
Quas operi intentas tanto iubet esse ministras,
Faustaq. nascenti puero qua sede morentur
Sidera, quo felix Getici se stella receptet
Martis, & astrigeros Iouis indulgentia vultus
Conuertat, vel quos Cyllenius erret in orbes
Obseruent, donec cœli sublimior axis
Prospera promittat, dum spondeat optima Phœbus,
Et Phœbi soror, atque astro Cytherea decoro,
Iussa deæ faciunt, fixosq. ad sidera vultus
Intendunt, ergo apta videns iam tempora Iuno,
Pertentans facili felicia pondera dextra
In lucem diffundit onus, roseo ore cadentem
Excipiant puerum parcæ, cælumq. benigni

Continuo inspirat vim sideris, illicet auri
Visuram Lysi regnante hoc sæcula gentem,
Tum fore, qui Lybiæ gentes, quas maximus Atlas,
Ambit, & Oceanus rapidis circumtonat vndis,
Marte premat duro, cuius victricia signa
Campestres metuant Numidæ, Mauriq. feroces,
Quiq. etiam placido populos in pace gubernet,
Et rabidos iustis concedere legibus enses
Cogat, & antiquo sua sæcula viuere more,
Securo vt maneant connubia casta marito,
Nec mala virginei deceptus damna pudoris
Sentiat, ad thalamos veniens cum coniuge primos.
Cumq. fide pietas, virtus, concordia, & alta
Relligio sincera Dei, ceruice vagentur.
Quod simul ac tota rumor vulgauit in vrbe,
Omnia cœlicolum fusi per templa, per aras
Lætitiæ dant signa noua, populusq., patresque,
Protinus vrbana stipatur curia turba,
Et procerum quod in vrbe fuit, conuenit in vnum,
Seq. reos voti statuunt, festosq. frequentes
Instaurant cœtus, quæ pompa nepotibus olim
Solemnis maneat, sua quisque ad signa recurrunt
Artificum numerosa cohors, prælataq. longis
Ordinibus, de more, omnes vexilla sequuntur.
Demulcent teneras vario modulamine mentes.
Hinc tuba concentu rauco, non qualis ad arma
Instructas acuit turmas, sed mollis, & inter
Quæ deceat ludos, grata & spectacula Circi.
Inde choros iuuenum mediato fistula cantu
Excitat, alterno respondet tibia flatu,

Tibia,

Tibia, quæ superum templis, & amica theatris,
Nec lautis regum, procerumq. incognita mensis,
Permiſtos amat ære ſonos, cantusq. tubarum
Prouocat, æratasq. ciet toto æquore claſſes.
Parte alia gemmis, & molli ſtamine Serum
Ornatas ducit mater ſtudioſa puellas,
Et monet ad cytharam, pulſataq. cymbala greſſus
Compoſitis glomerare modis, ſuperantia fulgent
Colla niues, auro incluſæ ſpectantur Eoi
Diuitiæ maris, hic Adamas pretioſus, & ignes
Ardentes referens Opalus, viridiaq. Smaragdus,
Gaudet Onyx maculis, niueæ prælata colori
Sardonychis, reddit violas Amethyſtus, & auri
Pallores Hyacinthus amat, miſcetur in vnum
Quidquid Erythreis Arabes miſiſtis ab oris,
Decolor aurifera quod colligit Indus arena,
Quærit & extremis Gangeticus accola ripis.
Flore viæ, viridiq. fores, & limina Myrto
Velantur, ſurgunt extructæ floribus aræ.
Maſcula thura focis adolent, & nube Sabæa
Caligat confuſa dies, ſparguntur odores,
Quos Oriens, quos Auſter habet, quos vltima mũdi
Nutrit odoratis regio ditiſſima lucis.
Femineus quæ vela labor varia arte figurat,
Parietibus tendunt, & molli retia textu.
Hinc, atque hinc actus veterum referentia patrum.
Bellica continuo poſtes aulæa tenore
Obducunt, celſis pendent depicta feneſtris
Stragula, quæ Babylon mittit, quæ Perſia diues.
Viſendi cupidæ matres, e turribus altis

Prospectant, funduntq. Citri de flore liquorem.
Hinc deuota Deo sequitur manus, vndiq. sacri
Conuenere viri, iungit sub paupere tecto,
Quos veræ pietatis amor, quos legibus arctis
Astrinxit curis cœlestibus æmula virtus;
Scire nec humanæ patitur contagia vitæ,
Quisque salutiferæ crucis aurea signa sequentes,
Alternis recinunt modulatos vocibus hymnos:
Emicat aurata, niueaq. in veste sacerdos,
Et pia pontificum turba, stipante senatu.
Progreditur, sertis redimiti tempora ciues,
Relliquias bone Diue tuas, venerabile pignus,
Præsidiumq. vrbis certum, nostræq. salutis,
Antiqui ad templi veneranda sacraria sistunt.
Non aliter quondam lætos duxere triumphos
Romulidæ, cum post captas Carthaginis arces,
Aut post edomitos, superato Tygride, Parthos,
Gentibus aut victis, quas flauus perluit Ister,
Laurigeræ peterent Capitolia celsa quadrigæ,
Postq. ducem fremeret geniali carmine miles,
Martiaq. insolito resonarent mœnia plausu.
Macte Dei nobis date munere, rex date diuum
Macte patrocinio, cui mollis inertia primos,
Nec luxus deles, nec mentis praua libido,
Sed studium veri, virtusq. exercuit annos,
Cui nec per segnes horas transacta fugaci
Decursu, nec per somnos eluditur ætas,
Noxia non vires hebetant, non otia sensus,
Sed vel in armorum lustris, vel horrida sæuis
Tesqua feris, durum firmat patientia corpus,

Ne

Ne desueta graui concedant membra labori,
Vel prisci impendis doctis annalibus æui,
Quæ curis erepta vacant momenta, legendis,
Vnde, vel antiquos exemplo iudice mores
Induis, aut fluidæ depromis frena iuuentæ,
Doctus, vt arbitrij permissa procacibus, altum
Caligat mens cæca sui, fucisq. malignæ
Capta voluptatis, Circæis certius herbis,
Horrendas facies, & tetra in monstra fatiscit.
Viue diu felix, & auis da sera nepotes
Natorum natos, stirpemq. in sæcula longam.
O o si liceat thalamis præludere carmen
Connubiale tuis, quales per compita plausus
Maiestate patres, socia cum plebe, remissa,
Attollent? pulchra faciet te prole subinde
Tanto digna thoro, cum virgo augusta parentem,
Gaudia quis lætæ, quis motus temperet vrbis?
Munera tunc alacres, noua tunc spectacula, regni
Securi ciues, votis maioribus edent.

Ad Senatores collegas, Michael Cabedius de tempore feriarum.

EGimus o. longum decursi pulueris annū,
Et quos lēta graues duxit arena dies.
Namq. prius nostris male depulsata lacernis,
Pertulimus Brumæ frigora sæua pigræ.
Vere nouo mox cum lætos lasciua per agros
Indulget festis cetera turba iocis,

Nos populi ad lites, trepidorum ad iura reorum
Detinuit tristes Curia clausa patres.
Nunc fureret totis cum saeua canicula campis
Tectaq., & vrbanas vreret ardor arquas,
Palluit obstipo defixus ad acta Senator
Ore, & anhelantes pulueris vsque moras,
Et simul ardenti nos vssit Syrius astro
Actaq. & aethaeo, quae magis igne calent.
Vix demum exangues & censos aere molesto
Autumnus soluit laetifer officio:
At vos o socij tantillae carpite lucis
gaudia, & hos hilari ducite fronte dies.
Quos, nec Hydaspaeo, digne de gurgite, sed nec
digne ab Erythraeo littore gemma notet.
Nam mox litifero velox redit orbe Nouember,
Atque eadem rursum damna mouent miseros,
Queis Pelopis genitor sua non mutauerit, aut quem
Iam lapsura super territat atra si lex
Quae neque Sisyphij superent incommoda saxi,
Vanaq. non Danai qua piat vrna scelus.

AD STAGNVM AQVARVM in villa Michaelis Cabedij Regij senatoris, quae ad radices montis Palmellae sita est.

HAec agite o Nymphae de monte ad stagna Dianam
Ducite; nulla dea balnea digna magis.
Hic faciunt virides, & arundo, & populus vmbras,
Et tener in molli piscis oberrat aqua.

DE

DE SERPENTE AENEO Arbori adhærente & ore aquam eiaculante, in eadem villa.

NOn fallax auctorue mali, velut antea, serpens
Ore, sed hic gratas præbet amicus aquas.

DE VIRIDARIO EIVSDEM villæ vitibus cooperto, vbi depictus est Bacchus requiescens curru deposito.

HIc dat, & hibernos nudato palmite soles
Vitis, & æstiuos frondibus aucta negat.
Queis Semeles fruitur lassa iam Tygride natus,
Et geniale iubet numen habere locum.

AD CLARISSIMVM VIRVM Michaelem Cabedium iuris vtriusq. consultissimum, Regij Vlysseiq. Senatus senatorum grauissimum Guterrij carmen.

MVsa bonis auibus Michaelis tecta Cabedi,
I, pete, vade volans, & celer inde veni.
Quamuis multa tibi pateat domus hospita, nusquã
Hospitio tamen est aptior vlla tuo.
Hic colitur vario fæcunda poetica vultu,

Hac nitor eloquij priscus in æde viget.
Ambulat hic recto pede ius, nec claudicat vnquam,
Cui comes est puræ relligionis amor.
Cum tamen illius limen penetraueris ædis
Tum loca totius cuncta require domus.
Occurret Michael clarissimus ille Cabedus
Gloria vlyssei magna, decusq. soli.
Cui tulit esse parem nullum natura, bonisq;
Artibus excoluit diues alumna suis.
Ingenium cui grande dedit dea vertice patris
Orta, fouet castus quem chorus ille tuus,
Quique regit clauum nostræ sapientèr, agitq;
Vrbis, onusq. humeris sustinet ille suis.
Multa geri mandata caue, quodq. expedit illi
Pande, nec in dictis sit mora longa tuis.
Cumq. introgressæ fuerit data copia fandi,
Sola tibi noster cura libelus erit.
Quo petimus recte taxari munera Bacchi,
Temporis vt ratio, conditioq. sinit.
Ignoscatq. roga si quid peccauimus, error
Si fuit, at menti crimen inesse nega.
Nec præstare velit confictis vocibus aures
Cuncta sciat falsis esse relata viris.
Vt solet ille animo componere cuncta benigno,
Sic conferre velit verba, precesq. tuas.
Sic tibi Nestoreæ finem superare senectæ
Dent superi, longos, & sine labe dies.
Hæc illi tandem referes notissima cunctis
Carmina, quæ fertur Naso tulisse tuus.
Iudicis officium est, vt res, ita tempora rerum

Quæ-

Quærere, quæsito tempore certus erit.
Sic quidquam refert contra; sat iuris & æqui
Satq. bonam causam, quam tuearis, habes.
Denique ne nimium longis ambagibus vtar,
Proxima mandati summa sit ista mei,
Nunc prece, vel monitis, seu qua potes arte Thalia,
(Nec grauis hic labor est) conciliare para,
Scilicet est facilis, nec inexorabilis vlli,
Non cadit in mores torua repulsa suos,
Hoc age, quod fuerit magni mihi muneris instar,
Quod tamen vt perages, officiosa redi.

ANTONIVS PINARIVS Episcopus Mirandensis, Michaeli Cabedio regio senatori. S.

SCRIPTA EST HAEC EPISTOLA anno 1571. quo tempore Michael Cabedius, cum alijs senatoribus iussu regis Sebastiani, cum suprema iurisdictione, Cistaganam regionem visitarunt.



TENEOR incredibili desiderio tui Michael mi τῶν φίλων φίλτατε, sed distineor Pastoralis huius oneris sarcinis, & ita impedior, vt nisi illis vtcumq. compositis hinc me explicare non possim, sed vereor nedum occasionem visendi tui capto, ea

euolet ex manibus,& ea me cura angit,& distrahit. Non audeo esse auctor tibi, & collegis, vt hoc æstu prope intolerabili, & imminente canicula isthinc huc demigretis,non sine magno valetudinis incommodo, quam tibi ceterisq. summæ curæ esse cupio. Non deerunt isthic oppidula arboribus opaca, fontibus scaturientia, aquis irrigua, commeatu abunde instructa, domicilijs pro regionis cōditione satis ornata, vbi per hos ęstiuos menses Quintilem, & Sextilem satis commode degere possitis, cuiusmodi ego vnum Kacinū esse existimo,quod Sintræ cōpares, nec enim illi cedit amœnitate, vbertate, cæli clementia; nec ad rem parum facit,quòd inde ad omnia huius prouincię oppida,& pagos pari cōpendio itineris par est, idque exiguum interstitium. Illuc si collectis, & conclamatis vasis, militari more,(quoniam sagatos,non togatos vos esse audio) properetis,non dubitēte; celeriter inuisere:quòd si vel isthic vos negotia huius vrbis,priuatis magis dissensionibus,quā ciuiū offensionibus, afflictæ, diutius detinebunt, nō potero ipse me cōtinere,quin illuc me conferam,partim vt nostro desiderio satisfaciam, partim vt in obducendis,curandisq. huius ægræ Reipublicę vulneribus,qualem qualem operam vobis offeram. Neque enim sapientior fuit Ietro quàm Moyses, sed quia regionis anfractus, & viarum compen-
dia

dia melius nouerat, vt pote, indigena, ideo eum Moyses ducem sui esse itineris voluit, sic ego vt vos medicinam adhibere exulceratæ prouinciæ melius possitis, fortasse ero vobis non spernendus monitor, quem & ætas, & assidua cum ouibus consuetudo diu exercuit, & docuit. Sed quid ego te sus Mineruam, aut quid ego hęc ad vos? nempe γλαῦκας εἰς Ἀθήνας. Vale.

ANTONIO PINARIO EPISCOPO Mirandensi Michael Cabedius. S.


DICI non potest, quantopere me tuæ delectarunt litteræ, Pontifex obseruandissime, vir amicissime, præsertim in hoc genere scriptæ, quas vel de elegantia tuas esse quis intelligat, qui vel inter Callaicos Scythas, Athenas colis, & pōtificales curas musarum otio attemperas, & me quidem Bartolis, Baldisq. iampridem assuetum, & fori puluere squallentem, ad antiquum ludum tuæ litteræ excitarunt, vt quoquo modo possem isthoc me genere etiam nunc delectari tibi significarem. Quod mones de minus commoda isthinc, per hoc tempus habitatione, & Kacini vmbris, mihi collegisq. gratissimum fuit, tantiq. valetudinem esse suam, vt tibi curæ sit, ceterum & id nobis cōsilium erat, simul ac per negotia liceret, ad

aquas flauias mouere, ibiq. Iunio transacto ad Interamnem regionē contendere, Vimariq. & alijs opportunis locis, caniculam & illos duos graues menses agere: at sub Autumnum inde, ad vestram istam Scythięthiopiam (sic enim verè licet vocare, cui tanta frigoris & æstus sit intemperies) redeamus, nā ad Kacini vmbras desidere, nec nostri muneris ratio, nec oppiduli tenuitas patitur, quibus id in mandatis sit, vt totam oppidatim circūeamus Prouinciā, quanta maxima possimus diligentia, nec nisi in maioribus oppidis conuē tum faciamus. Sed Deus bone, vt ego hos paucos, quibus a te abero menses, annū Saturninum putabo, & quæ mei desiderij tam longas moras vsura tui sarciet? Nec enim etiā si centessimā præstes homini tui auarissimo facies satis, nec vereor ne agentē meo in eam rem tecum iure, tu tuo, me insolētis vocabulis dānes, agnoscis, & rides verba forensia, in quæ me etiam inuitum mala fori consuetudo trahit. Quod scribis de afflicta priuatis inimicitijs vrbe, curatum id summo studio a Cypriano tuo, vt compositis nonnullorum ciuium dissensionibus, de abolitione delationum, & criminum quorundam priuatorum remissione, cum principe ageretur, idq. hoc auctore senatu, a præside actum per litteras est, vt spes sit eo facto multum profecturum iri in his vrbis negotijs, quæ te pro pastora-

lis

lis muneris officio merito angunt, qua te molestia liberatum summopere gaudeo, tibique gratulor. Vale.

HIERONYMO OSORIO Episcopo Siluensi doctissimo Michael Cabedius. S.



Onstat, Præsul amicissime, tam in iuris ciuilis libris, quàm alijs latinæ linguæ auctoribus honorarium magistratum, siue alium quéuis actum, ab ordinario eo differre, quòd honorarius, nomen tantum quodammodo inane præferat, sine vllo muneris exercitio, aut actus, de quo agitur reali, vt ita dicam, significatione. Vlpianus de administratione & periculo tutorum: "Si parens quem velit tutelam administrare declarauit, ille solus administrét, ceteri ergo tutores non administrabunt, sed erunt hi, quos vulgo honorarios appellamus. Adeo vt in tutore Papinianus, de testaméntaria tutela dicat: Honoris causa tutoré datum non videri, quem pater a ceteris tutoribus, quibus negotia gerenda mandauit, rationes accipere noluit, quòd huic non honorarium tantum tutoris nomen sed rei pupillaris gerendæ munus sit impositum. Vlpia-

L. si plures in princ. ff. de admi. & per tuto.

L. iure nostro §. 1. ff. de testam. tutel.

L. quod si forte. §. 1. ff. de solut. ,, pianus de solutionibus: Sunt quidam (inquit) ,, tutores qui honorarij appellantur, sunt qui ,, rei notitiæ gratia dantur, sunt qni ad hoc dã-
L. 3. C. de consulibus lib. 12. ,, tur, vt gerant. Iustinianus de Consulibus in ,, Codice lib. duodecimo: Vniuersos, qui post- ,, hac honorarij consulatus insignibus, principali munificentia decorantur. Et rectè Cicero de optimo genere oratorum, dum de tribus orationis muneribus loquitur (delectare scilicet) honorarium dicit, quòd ad orationis ornamentum tantummodo faciat, non quòd vllo in oratione necessario munere fungatur. Idem Cicero de Fato: Honorarius arbiter accessit Chrysippus: Et eo quem citasti loco, quinto Tusculanarum quæstionũ: Quorum controuersiam solebat tanquam hono- ,, rarius arbiter iudicare Carneades. Quo loco ,, non de iuris controuersi arbitrio agit, sed de eo, qui per honorem quasi arbiter sermonibus adhibetur. controuersi enim iuris arbitrum, siquis honorarium dixerit, non bene dixerit. Apud Seruium in tertium Aeneidos de honorario Polydoro sepulchro videre est, quod his ponitur, quibus alioqui mortuis iusta aut persoluta non sunt, aut anniuersarij ,, honoris gratia erigitur. Quos postea ait Mœstos, & mortis honore carentes: qualem tumulum Andromacha Hectori ponebat ter- ,, tio Aeneidos, Et Suetonius, Druso positum ,, ab exercitu ait in Germania. Is in Claudio

ita

ita ait : Ceterum exercitus honorarium ei tumulum excitauit,circa quem deinceps stato die quotannis miles decurreret, Galliarumq. ciuitates supplicarent.Hæc ego ita accipio,nisi tu aliud velis doceasq. cujus auctoritati tantum tribuo, vt quod modo tu dixeris, satis sit. Vale.

EPISTOLA

AD PIVM V. PONT. MAX. Henrici Cardinalis Portugalliæ in commendationem cuiusdam Episcopi Hiberni: quam conscripsit Michael Cabedius iussu prædicti Cardinalis Henrici.



Eatissime Pater, Aldensis apud Hibernos Episcopus Orthodoxæ fidei, ac proinde Ecclesiæ Romanæ sedisq. istius sanctissimę probatissimus cultor, irruente Hæreticorum hominum tempestate perculsus; Diœceseos suæ finibus fugatus,nostram hanc Lusitaniæ oram appulit ab hinc annos plus minus duos, simul primum per rationes suas valitudinemq. (quam sæpius toto hoc tempore aduersam sensit) liceret ad sanctitatis tuæ pedes debitiq. præstandi obsequij officium perrecturus, in quo obeundo ne quid segnius fecisse videretur, præmise-

miserat ad sanctitatem tuam fugæ suæ sociũ, eius Ecclesiæ canonicum, per quem & exilij sui, & moræ causas significabat, sed illum in itinere morbo correptũ mors impedijt, quominus Episcopum suum officio apud te solueret; id quod homini (sat scio) & apostolicæ sedis studioso, & in officio apprime diligenti perquam moleste accidit, cui simul huc appulit illud in primis fuit, vt negotij, rerumq. suarum pro eo ac debuit sibi omnino ratio constaret. Iuui ego toto hoc tempore, quo hic moratus est, hominis sumptus, & nũc ad te proficiscentẽ suo viatico prosecutus, eo magis quod & erga apostolicam Sedem & sanctitatis tuæ studium eximie propenso esse animo intellexerim. Dignus est de fidei constantia, & Romanæ catholicæq. Ecclesiæ studio, vitæq. ac morum inculpatorũ dum apud hos fuit haud dubia significatione, qui sanctitatis tuæ fauorem sentiat, omniumq. qui recta fide censentur. id ego de homine ad te scribere satis esse duxi, vt eum (quæ tuæ sanctitatis est cura) ea benignitate, excipias, foueasq. qua similes omnes soles: cuius sanctissimam personam Deus optimus maximus, quam diutissime Ecclesiæ suæ, nobisq. conseruet.

IN

IN RIVVM, QVO AQVA in Pomarium ducitur.

RIuule frigidulis Nympharum e fontibus orte,
Qui properas liquido per nemora alta pede,
Si formosa venis formosam ad Phillidis hortum,
Arentiq. leuas aurea mala siti:
Illa tibi centum dabit oscula, queis tua fiet
Dulcior Hyblæis unda beata fauis.

IN VMBRAM OLIVAE IN medio Pomarij, Vinetiq.

HAnc Nymphis, Pallas doctisq. sororibus umbram,
Quæque legant circum dulcia poma dedit.

IN VITEM, QVAE PRO FORIBVS est domus Cabediæ.

HAnc vitem, maiorum opus, atque insigne repertum
Cuius adhuc frondes, vmbraq. limen amant,
Kebedius, Lenææ pater, tibi consecrat, at tu,
Perpetuo decora frondis honore, fores.

AD SEBASTIANVM Lusitanorum Regem Augustum.

De libro legum extrauagantium Senatus supplicationis collecto, ab Eduardo nonio de Leaõ.

MICHAEL CABEDIVS Regius Senator.

INdigesta olim, multisq. incognita iuris
Scita sacri, in varios exoluere libros,
Quæ non Vrbani, quæ non prouincia norant
Vtraque nec totis curia cum patribus
Indoluit Rector Laurentius, ipsa senatus
Consulta, & medio iura latere foro.
Antiquata ergo chartis oracula priscis
Eruit, atque sua luce nitere dedit,
Inque vnum congesta librum, Rex magne, reponit,
Et vetera oblitis iura refert patribus
Composuit Docte Nonius, Rectore quidem illo
Digna; sed o omnium tempore digna tuo,
Quo non Cimmerijs virtus offunditur umbris
Nec ratio obscuro delitet æqua loco.
Sed tecum elato regnant securius ore
Metatæ in medio castra ucrenda foro.

AD CLARISSIMVM VIRVM D.Gregoriũ Cabedium Regium ſenatorem, Michaelis Cabedij quondam Regij etiam ſenatoris filium, Petri Mendez Cetobricenſis publici Grammaticæ profeſſoris, Carmen.

QVid me, Cabedi, rapis in Pæana? quid arma
Priſca iterum Phœbæa peto? Quiſnam furor hic eſt?
Quis nouus hic ardor nobis? deſueta reliqui
Tymbræ delubra chori, dulceſq. receſſus,
Antiquaſq. domos Muſarum, & Apollinis arces,
Sponte ego iam pridem faſtidio, vel quia ſæuà
Paupertate premor, vel quòd de millibus vnum
Felicem nunquam potui reperire Poetam
Hæc antiqua lues, & crambe inimica per annos,
Continuo mihi bella gerit, qui nocte dieq.
Erranteis Muſas, agitataq. numina Phœbi
Ipſe veho mecum, & magno comitatus Homero,
Vix poſſum pulſare famem, cui plebe laboro
Indomita, ignaroſq. animos, & ruſtica Muſis
Pectora compono, & fingo meliore Minerua,
Sic tandem implacitas ſine fine exerceo curas,
Tamq. diu id patiar, donec auguſta Philippi

Ma-


Maiestas mihi demat onus, sæuumq. laborem,
Imminuat, curisq. meis sua præmia reddat.
At nunc annorum post tempora lapsa meorum
(Iam pridem musis postquam suspendimus arma)
Tu me quippe rapis nolentem siue volentem
Inclyte Cabedi? quo non præstantior alter,
Aspera nodosi dissoluere iura Lycurgi,
Nec quisquam melior causas tractare senatu
Regifico, aut patriæ, aut hominum seruire saluti.
Huc etiam accedit pietas morumq. tuorum
Blandities: quæ te sublimem ad sidera tollit.
Hæc tua te pietas penitus, stimulante minerua,
In Phœbum trahit. Agnosco vestigia prisca.
Ergo tu tenues, quos ludimus accipe versus.
Ne te pœniteat leuibus descendere donis.
Tu quoque Pierios cœtus & amœna vireta
Sæpe frequentasti quondam, qua gurgite docto
Munda fluit, haustuq. suos fœcundat alumnos.
Hic namque ante alios dulci tua tempora lauro
Cingebas, hederaq. comas redimere solebas.
Inter palladias choreas, interq. palestras
Doctorum insignes tu doctæ frontis honorem
Ausus eras rapere, & laudem tibi marte parabas,
Hos ego non miror titulos, non has ego laudes,
Suspicio, quoniam natiuo iure patrissas
Antiquos animos genitoris, & inclyta auorum
Præ te facta geris, quorum pulcherrima fama
Letheas ignorat aquas, non vlla vetustas
Delere, aut vllis poterit sepelire tenebris.
Tu tanti, & talis genitoris imagine fretus

Ad

Ad summæ tandem venisti insignia laudis.
Hic ille est Michael, quondam qui rostra Togati
Ordinis, & claros qui primus obibat honores.
Ille erat hic Michael, Musarum gloria, Phœbi
Grande decus, Patriæ lampas, dilecta Tonanti
Progenies, cuius nomen per sæcula semper
Viuet, & æternos sine fine virescet in annos.
Huius tu monitis, huius tu imbutus amica
Laude, per insignes cumulos ad claustra togata
Clarus anhelasti, summoq. euectus honore
Regia conspicui sustentas iura Theatri.
Nec tamen idcirco ad fallacia munera sæcli
Tu mentem appellis, nec inania gaudia captas,
Inferiora putans, animo quæcumque volutat
Præcipiti Fortuna rota. Sed pectore toto
Virtutem, & virtutis opes amplecteris: vna
Hæc te nobilitat virtus, hac vincis auiti
Sanguinis insignes titulos, hac Regis honorem
Concilias, hac summa petis stellantia cæli
Sidera, laude potens, atque auctus honore superbo
Inter doctores magnos, Regniq. ministros,
Lusitanorum, sustentas claustra senatus.



D. SYGEVS TOLETANVS Michaeli Cabedio Regio senatori, salutem.



SI procrastinatæ responsionis nunc studeam purgare culpã mihi ipsi certe sim iniurius vtpote bene conscio per me non stetisse, quominus officio fecerim satis: nam nec minus meis obruor munijs, quàm tuorum tute rabularum technis. Dedit tamen hodie velut & foro vestro iustitium, Carnispriuij lupercal, simulq. lienteria, quæ me lumen videre non passa est, vt hæc possem scribere. Commonstraui sane principibus meis ex præscripto tuo, eo ipso die quo ad me misisti, Latina & Græca tua carmina, in quibus & ingenij, & eruditionis, & inuenti rarum specimen demirati sunt. Quòd si ex clamoso prætorio, hæc, inquiunt, dare potis est? quid si ex musæo? quid si vmbrosa tempe incolat, aut Ascræos latices epotus canat? imperarunt e vestigio carminum sibi copiam fieri, quæ a me ipso fuerunt mox exscripta, Græcorum etiam, apposita versione Latina. Ego nec maiore studio, nec diligentiore tibi morem gerere valui, gesturus vbi, voles, quantum-

cumque potero, optime ergo vale his. Dat. Olysippnoen. iiij. Idus Febr. ann. salut. M. D. LXII.

D. GONDISALVO PINARIO Episcopo Visiensi.

Antonius Cabedius. S. P. D.

SVm prosecutus, Domine publicam meo carmine calamitatem, sic enim immaturum tanti Principis obitum non immerito appellari posse arbitror. Id cum ex amicis quamplurimi, vt in publicum emitterem, consuluissent, nefas esse duxi, si tibi cui quidquid id est, debeo, tanquam mearum Camænarum primitias non dedicarem. Accipe igitur exiles neque tanto debito pares meorum laborum vsuras, quas & si adhuc neque expectas, neque repetis, aliquam tamen ex illis voluptatem, quæ tua in nos beneuolentia est, te percepturum existimo. Vale.

IN INTERITVM D. Ioannis Lusitaniæ principis Epicedium.



Nde repentino tacuerũt gaudia luctu?
Irrepsitq. comes funesta cupressus, & albam
Mæstificis hederam video concedere (taxis?
Cui musæ noua plectra, nouosq. haurire paratis
Lugentum de fonte modos? non hæc tua læti
Calliope regina chori prouincia, non his
Carminibus tanti deflenda iniuria damni.
Te tamen hoc, si qua vlla fides, magis omnibus unã
Tangit onus, tuus iste dolor, tua cura Ioannes
Illius infaustos thalamos, tu sola, diuq.
Non duraturas cecinisti carmine tædas.
Ergo age lugubres mecum hac sub rupe querelas
Alcionum meditare: nouam quibus impia prolem
Non expectati maris obruit vnda, gementes
Per scopulos illæ, per saxa, & littora mæstis
Omnia collustrant oculis, sua pignora, si fors
Aut laceri tantum ostendat vestigia nidi.
Nusquã alibi lacrymis locus aptior: hic tibi tristes,
Relliquiæ, nostriq. iacent monumenta doloris.
Hac Tagus auratos non comptus, vt antea, crines
Fert populi, pariterq. suos in funera fletus,
Maioresque inuoluit aquas, vt tristia iungit
Murmura, commiscetq. suos cum marmore questus.
Ipsæ responsant rupes, lacrymabile plangunt
Littora, & horrendis assibilat vnda cauernis.

Non facies erat ista loci, non gaudia quondã hæc,
Nõ strepitus populi, nõ hic sonus: hei mihi quantũ,
Temporibus distant illis hæc tempora: cunctas
Cum terras, magniq. potens regina profundi
Vrbs ostendit opes, socerumq. vnaq. sedentem
Puppe nurum pulchra diues Tagus attulit vndis
Quæ nunc (tanta adeò rerum inconstantia) mæstas,
Vix subeunt mentes; vix somnia credimus, & quæ
Sopitos ludunt vana sub imagine sensus.
Gaudia: quodq. animos magis asperat, illius olim,
Lætitiæ meminisse datum. Si tristia nobis
Inconstans fortuna dabas, sentire negasses.
Non tanti (obijcias nobis licet illa) fuerunt
Gaudia. prætereunt cito nempe, breuemq. relinquũt
Læta sui fructum: dolet, æternumq. dolebit
Quod nocuit. perit exiguo sic tempore rara
Gratia, sed nullis iniuria tollitur annis.
Certa tamen iam tunc (si mens elata secundis
Nosceret ambiguos rerum prædiscere casus)
Signa mali, grandisq. olim prænuncia cladis
Præbebant ostenta Dei, tantoq. cadente
Principe, non dubijs terrebant numina monstris
Attonitas hominum mentes, nostrisque vacarunt
Venturis prius astra malis, atque omnia certas
Turbarunt elementa vices. Quid fulmina toto
Commemorem dimissa polo? tot millia nunquam
Crediderim torsisse Iouem, cum Phlegra deorum
Armauit sæuos in bella nefanda gigantes.
Ipsa caput quondam regni, domus vnica regum
Infensos expertã deos Conimbrica, missos

Nusquam alias plures ex æthere pertulit ignes.
Quid vatum responsa, deûmq. oracula nulli
Intellecta canam? non in Conimbrica vastos
(Fecisses potius) pateris telluris hiatus.
Scilicet ille salus, regni caput ille, per illum
Ceperunt obscura fidem præsagia; quid nunc
Aëris infectos tractus, hominumq. vagatam
Ingenti cum strage luem, qua Vacca profundo
Redditur, & domino summittit flumina ponto.
Ergo non pecudum fibræ, cæloq. micantes
Obliqua per inane faces, non dira ferorum
Vrbibus in medijs noctu exaudita luporum
Murmura, pacatos nusquam velut antea nobis
Ostendere deos. Quid cladis fata pararent,
Clade palam factum est, ideo ter marte sinistro
Pugnatum, tres Lysiadum maurusia pubes
Contudit ingentes getulo in puluere turmas.
Nusquã alias magis infensos tulit India Rumes
Hellespontiaco toties repetita tyranno.
Horret adhuc animus, mæstoq. in pectore mentem
Attonitam subit illa dies, cum tacta profana
Sacra manu, verumq. & non violabile Christi
Corpus ab infando lacerum tulit aula Britanno.
Quæ cunctis quamuis essent incognita, mæstis
Ominibus timuere tamen mortalia iam tunc
Pectora, postremumq. orbi, rebusq. putarunt
Humanis venisse diem, quo terra fretumq.
Ceteraq. antiquam caperent elementa figuram.
Euentus portenta suos habuere, Deûmq.
Non vanæ patuere minæ, manifestaq. tandem
Signa

Signa dedit tantæ mundus prænuncia cladis.
Ergo quod in primis tibi Lusitania votis
Debuit æternum vixisse, tulere maligna
Fata manu. Seu sic nimium cœlestibus olim
Visa potens, mansura tibi hæc, si fata dedissent
Dona diu: Seu sunt mortalibus inuida semper
Numina, fallacis damnosa Promethεos ex quo
Furta haud ignarum circumuenere tonantem
Lysiades, vtcunque tamen, tunc nemo negaret
Infensos habuisse deos, qui tempore tali
Cerneret hanc solam patriæ cecidisse columnam:
Quod nisi fixa animo staret sententia, diuum
Consilio, non sorte regi mortalia, nunquam
Iure magis licuit superos, & nulla putare
Numina, & incerto nobis fluere omnia casu.
Scilicet illa senem, vilemq., & sæcula multa
Indignantem animam, longæuæ tædia vitæ
Ferre adigent: hoc sæua caput Proserpina primis
Hei mihi, tot columen populis, abscindet in annis?
Ergo non virtus illi, non profuit ingens
Lusitanorum claro de sanguine regum
Nobilitas, non Cæsaribus deducta superbis
Stemmata, non magni pietas augusta parentis,
Aspectuq. iras solo mulcere ferarum
Forma potens: iacet ille decor, venerandaq. pul-
Maiestas oris, dulciq. admista lepori, (chri
Iamq. decens grauitas, sanctæq. simillima menti
Siderei species vultus. Huc illa redacta est
Gratia, & imperio vasti dignissimus orbis
Frōtis honos? nec adhuc sua cōmonet ultima cūctos

Hora? repentinis nihil impenetrabile telis
Cum videant, mors sæua tuis, humilesq. superbis
Diuitibusq. addas inopes, ingentiaq. audax
Deijcias vno rerum momenta sub ictu.
Heu spes fallaces, heu magnæ tempora numquam
Virtuti data læta diu, summisq. negata
In terris mora longa viris, seu fraude maligna
Fatorum, seu maturis velocior annis
Crescendi finem probitas, citiusq. peregit
Aetatem, impleuitq. breuis stata tempora vitæ.
Non secus extinctum primo sub flore iuuentæ
Nereidum comitata choris sigeia propter
Littora, magnanimum genitrix Dea fleuit Achillē.
Sic Nasamoniacum Babylon famosa tyrannum
Ante diem mœstas descenderę vidit ad vmbras.
Te quoque, Lysiadum spes, & lux vnica gentis
Ioannes, primis & adhuc florentibus annis
Aequales agitantem alto sub pectore curas
Festino niminm gressu, mors inuida rebus
Eripuit nostris. O si tibi fata parentis
Donassent æquare dies, non Africa nostris
Lætata exuuijs, pia Lusi impune tulisset
Signa diu, ratibusq. obsessam barbarus Ormum
Turca olim toto lueret deiectus Eoo.
Scilicet id præcox iamtunc, & fortior annis
Vis teneris, paruoq. graues sub pectore sensus,
Imperijq. capax virtus sperare iubebant.
Non tibi desidiæ cordi, non mollia luxu
Otia, nil animo puerile, nihilq. caducum
Voluere, maiorum sed enim cognoscere tantum

Facta virum, pulso queis Lusitania Mauro
Creuit, & Hispano tandem victricia soluit
Colla iugo, quibus ignoto sub cardine genti
Magna peragrato statuit commercia ponto.
Iam tunc Nisæo quantum distaret Hydaspe
Cura fuit Gangem inquirere, quantus in æquor
Gemmiferis fluat Indus aquis, Erythræaq. magnis
Oppida Lysiadum numquam pacata carinis
Ludus erat, belli effigiem, simulataq. veris
Cernere cum paribus certamina, qualia ripis
Vidisti Francisce tuis, immania fortem
Lysiadum pubem, medias cum monstra per vndas
Armato vexere vtero, fuluoq. micantes
Expauit Tagus ære viros. Quàm pectore tristis,
Quosue dabas gemitus? quoties sine marte, sine vllo
Sanguine, quæsitas tantis sudoribus olim
Barbarus intrasset (Lusi proh dedecus) arces?
Nempe tibi, Antæi memorat quæ longa vetustas,
Mœnia Lysiades debent, errore, malisq.
Prodita consilijs. Patriam tutore carentem
Excipis, ignauisq. in prælia sedulus enses
Restituis, regnumq. tuum, terrasq. tueris
Qua licet, & nostris auertis sedibus hostem.
Hi tibi erant mores, primis hæc semper ab annis
Cura fuit. Tanta donassent indole dignam
Hisq. animis vitam superi, quod mente parabas
Fecisses: tua Gangaridum, Nomadumq. rebelles
Sceptra perhorrerent posito diademate reges.
Inuidit fortuna tibi, nostrasq. sub vno
Vulnere fregit opes, in te minus aspera, quamuis

Eripuit vitæ crescentia tempora, nobis
Plus æquo instabilis nocuit rota, & inuida magnis
Fata viris, cœptisq. ingentibus obuia semper,
Et tantum Mors fera malis, te Sidera, & ingens
Securum tenet aula Dei, melioraq. nostris
Illic sceptra gerens, fastus & inania lætus
Regna hominum, & fragilis rides ludibria sortis.
Forsitan & proceres illic longo ordine nostros
Perlustrans oculis, priscos per amœna vireta
Lysiadum numerans reges, teq. alta virorum
Maiestas trahit attonitum, gremioq. recentem
Excipit Emmanuel, & cetera turba nepotis
Exultantem animũ, patruosque, & maxima fratrũ
Nomina demonstrant, quos primo in limine vitæ
Abstulit immatura quies, & forsan amorem
Et desiderium sponsæ solantur amatæ.
Inde polo quocumq. tuos agnoscis ab alto
Lysiadas, tua regna vides, infensaq. nobis
Numina concilias, natiq. in pectora confers
Ingenium, moresq. tuos, tristemq. Ioannam
Solaris, quoties terras humentibus vmbris
Nox operit, non porta pios, non vincula manes
Vlla tenent, solis patet exorata puellis
Aspera, difficilis leti via, nocte vagari
Permissum, tristes lux inuida soluit amantes.
Da breue solamen miseræ, da mentis inanem
Lætitiam, prohibe lacrymas, blandoq. soporem
Alloquio resoue, te viuere cogitet illa
Et periisse neget, tantiq. oblita doloris
Transigat optatas dulci sub imagine noctes.

Vosq.

Vosq. malis hominum iam parcite numina, dignas
Iamdudum luimus pœnas, bacchata sit in nos
Hæc fortuna satis, nonq. olim nostra pendendo
Seruitio insontes tollerent delicta nepotes.
Quod si magnorum nondum res funditus omnes
Lysiadum, gentisq. decus, partumq. tot annis
Imperium, & notos vtroq. sub axe triumphos
Destruere est animus; nec adhuc sententia vobis
Versa retro, si nos promissa parentibus olim
Pacta implere iuuat, diuturnum in sæcula nobis
Hoc reliquum seruate caput, tantoq. labantes
Principe res nostras extollite, quæq. parenti
Dempsistis, nato date tempora. Libera semper
Æternumq. potens gens Lusitana subactis
Gentibus, & toti victrix det iura profundo.

Epitaphium.

E Xternis quicunq. venis peregrinus ab oris
Auriferiq. intras ostia magna Tagi,
Siste ratem, mœstiq. vide monumenta doloris,
Si vacat, & nostris fletibus adde tuos,
Hic iacet ereptus primæuo in flore iuuentæ
Ioannes, regni cura dolorq. sui
Si faciem, & mores si quis consideret annos,
Dignior æternum viuere nemo fuit.
Visum aliter superis, quos plus iuuat ardua semper
Casibus, & subitis implicuisse malis.
Si quid amas, nolis nimium placuisse senectam,
Vix vnquam summis fata dedere viris.

Aliud.

Aliud.

HIc vbi consurgit Solymo de nomine templum,
Et medio attollit turris in amne caput,
Progenies iacet inuicti praeclara Ioannis,
Ille nepos magni Caesaris atque gener.
Vix decimum aetatis, sextumq. expleuerat annum
Vix pubertatis tempora transierat.
Iniecit mors saeua manus, tantoq. repente
Priuauit miseros principe Lysiades

Epicedium in milites ad septam occisos.

Antonius Cabedius.



T merito, nec enim geminas sine numine clades
Vidimus, atque vno duo funera fleuimus anno.
Hesperiae sunt haec delicta nocentis, & olim
Grande patrum proauumq. nefas, laesura nepotes
Vltoris vindicta Iouis. Sic pertulit aetas
Postera Tantaleae commissa piacula mensae.
Laomedonteae mala sic periuria fraudis,
Non semel euersae sensistis moenia Troiae.
Ergo haec conditio, saeclis haec debita nostris
Sors erat, vt post tot terraq. mariq. trophaea
Parta, tot ignoto domitas sub sidere gentes.
Lusi-

Lusitana freto & terris gens nata regendis
Proh dolor hanc Lybicis cladem pateretur in oris?
Scilicet idcirco per vtrumq. cucurrimus axem,
Oceaniq. caput, vetitiq. exordia Nili
Vidimus, atque Tago seruire coegimus Indum.
Plus virtus spectata nocet. Sors vltima nostra est,
Quo toties rerum semper felice tenore
Extulit, & totum sparsit fortuna per orbem,
Romanos sic nulla duces infamia maior
Afflixit, quàm quæ deuicto iam probe mundo
Ausonio infaustas maculauit sanguine Carrhas.
Hactenus hæc de te sors impia, tristia quando
Fata, & tantorum stimulat iactura virorum.
Nos alios hinc ad questus oppressa dolose
Aonij reuocat pubes fortissima Lusi.
Heu dolor, heu gemitus? vbi nunc manus illa tro-
Barbaris toties decorata? vbi nobilis illa (phæis
Turma ducum? nec enim illorum mandare cohortes
Cuilibet ingentes dubitasses optime regum
Ioannes Auguste tuas, seu fortibus armis
Turca ferox toto velut olim abigendus ab Indo
Esset, Erythræi seu per vada cærula ponti
Classis Idumæas iterum tua tendat ad arces.
Nempe iacent, quos nulla manus, non cominus ipsa
Pallas, & armisoni premeret vis horrida martis.
Vincunt insidiæ? nec enim licet obuia totis
Viribus, aduersum consurgeret Africa damno
Docta suo, sic continuis expulsa duellis
A proauis tota sua viderat agmina nostris
Hesperia, septemq. simul procumbere reges.

Sic

Sic captas Antæi arces, sic denique nostra
Viderat Herculeis fulgentia signa columnis.
Non multum Lybiæ, quod sub iuga nostra veniret
Deerat adhuc, illata etiam maioribus olim
Damna satis bona posteritas erat vlta, suisq.
Finibus, & toto concesserat Africa ponto.
Adiuuit fortuna dolos, quosq. improba adire
Expauit coram, bello est aggreßa latenti.
Nullus terga dedit, turpißima vulnera nullus
Pertulit; immotis acies stetit inclyta signis,
Seq. probat moriēs, nec tam, quāquam omnis acerba
Conditio leti, dolet interiisse dolosi
Fraude loci, quàm quod meminit post terga potētis
Europæ infidis patefacta repagula Mauris.
Ingenuo sed enim virtus admista pudori
Perualuit, licet ante oculos sua pignora cuique,
Et deserta domus, suspirandiq. penates,
Emeritusq. parens, & amatæ coniugis ardor.
Non aliter (tot enim fuerant) venientibus vna
Occurrit cognata Phalanx, bellum vrbis, onusq.
Susceptura suæ, & simili quoque fraude, doloque,
Nobile funestas fœdauit sanguine ripas.
Non tamen obsessos veluti si turba leones
Pœnorum premat, & telis petat vndiq., inulti
Occubuere viri, iuuat alta in strage superbos
Victores vultu spectare, suoq. grauare
Pondere marmaricæ duo mille cadauera turmæ.
Sed non vlla magis clarorum in cæde virorum,
Quàm ducis eminuit virtus, illum agmina paßim
Barbara formidant, illum fugiuntq. tremuntq.

Hor-

Hortantem socios, strictoq. per arma ruentem
Ense, vnum circa bellum ingruit, omniaq. vnum
Tela vouent. talis gelidę prope flumina thraces
Armipotens sæua populos pater incitat hasta.
Sed quis virtuti locus inter millia? vicit
Quippe dolus, fessusq. magis quàm læsus ab hoste
Occidis Heroum fortissime Petre, tuæq.
Gentis & Hesperiæ decus & tutela caterux.
Heu spes fallaces, heu magnæ tempora numquam
Virtuti data læta diu. Sic fraude maligna
Occubuit primis soboles Ammonis in annis.
Sic & magnanimum genitrix Dea fleuit Achillem.
O diram Hesperiæ lucem, mæstisq. notandam
Omnibus fastisq. diem: grauis illa, nec vllo
Ictu vnquam fraudata manus, Mauroq. rebelli
Nota nimis, Lybicas iacuit (dolor) inter arenas.
Nec fuit indignum vobis o numina, tanti
(Nobilior nec enim tanti Lusitania sanguis)
Effudisse viri getula per arua cruorem?
Non te igitur tua nobilitas, non maxima certe
Subduxit sæuis virtus dux inclyte fatis.
Nempe iaces, sed qualis adhuc virtute retenta
Horridus, & vultus non maiestate remissa
Obrutus ingenti muralis pondere saxi,
Inter Canensis conferta cadauera cladis,
Nobilior Paulus iacuit Varrone: rigenti
Terribiles leto vultus, metuendaq. nondum
Ora viri spectare audent, oculisq., sibiq.
Vix credunt, molemque, & membra ingentia, verũ
Eminus excelso mirantur ab aggere. Postquam

Longa tamen repulit fædum assuetudo timorem,
Paulatim accedunt, vt quisq. audacior, ille
Formidata sibi ducis ora lacessit, & illud
(Dedecus heu Gradiuc tuum) per saxa rubosq.
Nobile corpus agit, generoso in sanguine telà
Inficit hic, natis immania membra, viriq.
Relliquias seruant illi, & madefacta cruore
Spicula coniugibus, senibusq. ostendere charis
Vt possint. iacet ille graues in funere vultus
Toruus adhuc, ceu bella gerat, ceu cuspide sæua
Cædat anhelantes getulo in puluere turmas.
Non secus immanes rictus, & vasta leonis
Ora recludit iners vulgus, quem punica propter
Rura diu, clausiq. greges inclusaq. longo
Torpuerant castella metu. Si forsitan olim
Securum Lybicæ debellauere cohortes
Insidijs, exultat ager, magnoq. per arua
Turba minor clamore ruit, rigidaq. verenda
Præcerpit ceruice iubas, pax reddita tandem
Montibus, & fessi respirauere coloni.
Talis erat facies ducis, hæc ludibria magno
Seruabat fortuna viro, seu præside tanto
Visa potens nimium dijs Lusitania, dona hæc
Inuidere tibi, seu quòd rear, æthera supra
Ipsa suum emeritum rapuerunt numina ciuem.
Mors felix vtcumq. tamen fuit ista decoris
Tantum magne tibi Dux allatura, Latinò
Quantum Marcello peperit sua, flebilis illa,
Et lugenda nimis prima fraudate iuuenta
Antoni, tua nempe fuit, qui pulchra secutus
Ingen-

Ingentis patrui vestigia (proh dolor) iisdem
Auspicijs in bella ruis, quibus inclytus olim
Magnanimum Aeneam Pallas comitatus ouantes
Itala Teucrorum deduxit in arua cateruas:
Sic duro florem ferro succidit arator
Imprudens. Sic getulam comitata leænam
Progenies, cui frontis honos, & gloria nondum
Assurgunt ceruice iubæ, non æqua parenti
Robora, sufficiens nec adhuc venatibus ætas,
Exanimis Lybicos iacuit cum matre per agros.
Heu miserande puer, sinerent modo tristia priscos
Fata duces, magnos & transgreßure parentes,
Lysiadum nec enim antiquo de sanguine quisquam
In tantam spem erexit auos. Præpostera verum
Et festina nimis virtus, diuturnaq. numquam
Maior vbi, & teneris probitas maturior annis
Argumenta dabant tanti non uana doloris:
Quin etiam ingenui mores, animosaq. semper
Nobilitas, & prima licet, non mollibus ætas
Fulta rudimentis, veterumq. ingentia patrum
Facta, infelicem, magniq. cupidine leti
Accensum puerum dudum hæc in bella trahebant.
Ergo satis quamquam proauum virtutibus, atque
Nobilitate potens eßet, licet inclytus ipse
Duceret antiquo genus altum a sanguine regum,
Noluit æquales tamen inter carpere primum
Florem æui, & teneros agitare inglorius annos.
Macte animi non tu primæuo in tempore inanem
Effigiem pugnæ, simulataq. prælia veris
Lusisti infelix, sed protinus arma, tubasque,

Mauortemq. ciere callens, metuenda subisti
Bella viris, patriaq. procul getula petisti
Mœnia, & hostili numquam sine sanguine arenas.
Parrhasium sic nempe nemus, sic roscida liquit
Mænala, & æstiui puer Arcas grata Lycæi
Nobilis aonio mutauit iugera campo.
Te tamen ignaram belli siue impia fata,
Siue egressa modum virtus extinxit, at illum
Detinuit forsan tua mors, euadere namq.
Cum posset sine te puduit miserande reuerti.
Ita decus patriæ, sæcli laus maxima nostri,
Ite piæ fortesq. animæ, loca debita vobis
Elysium, immensiq. implete sedilia cæli.
Non vos horribilis Phlegeton, non atra videbunt
Tartara. sed domus emeritos stellantis Olympi
Excipiet, magnis patet ille Heroibus, & qui
Fuderunt sancta pro relligione cruorem.
Tempus erit (nec enim miseris mortalibus vno
Stat semper fortuna loco) cum sceptra, iugumq.
Lysiadum, hæc vestro loca nobilitate cruore
Accipient, tunc busta sacris imponere templis
Hic colere, & sanctos manes sacrare licebit.
Ipsa quoque antiquæ speciem virtutis adorans
Posteritas, qui magnus honos, ingentia vestris
Ornabit telis superum delubra, suisq.
Maiores clypeos, galeasq. & grandia voluens
Arma manu, angustis venerabitur ossa sepulchris.
Interea (dudum nobis contraria quando
Numina dignantur minus exaudire nocentes)
Sanguine quæsitas vestro defendite terras.

Quòd

Quòd si prisca luunt olim delicta minores
Maiorum, immeritosq. premunt aliena nepotes
Crimina, sunt superi nobis, sunt oppida mille
Capta manu, sunt Eoo sub cardine, quamquam
Ipsa etiam multo sudore & sanguine parta
Mœnia, sunt inuenta nouo modo regna sub orbe,
Regna armis, opibusq. virum florentia, cuncta hæc
Tollite; Lysiadas tanto de culmine quando
Deijcere est animus, liceat retinere potentis
Imperium Lybiæ nobis, & claustra tueri
Hesperiæ, liceat (nihil vltra oramus) auita
Herculis oppositis defendere tecta columnis,
Hac iter est bellis, scitis, perpessa furorem
Barbaricum infelix quoties Hispania, fædum,
Seruitium, & sæuos intra sua pertulit hostes
Tecta, diu certe iura intoleranda, iugumq.
Aeneadum, satis heu miseri tot sæcula diros
Gotthorum tulimus fastus, intraq. penates
Sexcentos dominum Maurum tolerauimus annos.

D. Gondisaluo Pinario Episcopo Visiensi Antonius Cabedius. S. P. D.



CVM superiori anno in speluncam Deiparæ Virgini consecratam, (vulgo de Lapa vocãt) ex voto, cui iam diu me astrixeram proficiscerer, diuerti domine apud tuos in Fontellum, sic enim incolæ vocant amœnissimam, & meo quidem

iudicio pulcherrimam villam. Quamquam multa ex parte incuria & negligentia hominum incultam & deformem tunc dicerent, qui aliquando florentẽ vigentemq. viderant. Quantum tamen ex forma regionis & loci specie conijcere licet, affirmare ausim nihil perfectius, & absolutius ab ipsa rerum natura effingi potuisse. Hanc ego admirationem statim in poeseos argumentum conuerti. Et quia me & tempus, & loci opportunitas, alioqui natura ipsa procliuem ad hoc scribendi genus inuitabant, hoc ex tempore Epigrãma, olim si per otium licuisset, maius aliquid daturus composui.

O Nemus, o fontes, o quæ viret atria iuxta
Non indigna pijs insula semideis?
Vos ne infelices potuere relinquere vestri,
Vos ne vllis domini postposuere bonis?
O sæclum insipiens, ò nescia pectora veri,
Non latium tanti, totaq. Roma fuit.
Rusticus hæc tam culta noualia vinitor, hos ne
Agricola immensos solus habebat agros?
Vsque adeo cernas præpostera cuncta, parantur
Hæc dominis, parent villice rura tibi.

ET hæc tunc quidem, postea vero mense Augusto & Septembri quo tempore de more studia nostra relaxari solent, statui succisiuis horis hoc ipsum latius prosequi. Quod quidem

lemma eò libentius ſumpſi, quo iucundius tibi fore exiſtimabam. In quo non tam carminis grauitati, quàm materiæ, quæ tractabatur, inſeruiendum putaui. Et ideo multa incompte & ſine cultu huic operi inſerui. Non alia præcipue de cauſa, quàm vt obſcuritatem vitarem, quàm cum in omnibus, tum maxime in deſcriptionibus fugiendam ſemper exiſtimaui. Nec enim alia magis luce & nitore indigent, quàm quæ demonſtrare, & quodammodo oculis ſubijcere conamur. Ceterum in tanta rerum varietate, vt omnia perſequi vix poteram, ſic aliqua quæ non videram, audieram tamen fuiſſe, deſcripſi. Abſurdum enim mihi viſum eſt, in eo ſtatu villam celebrare, qui non omni ex parte perfectiſſimus eſſet: præſertim cum plurimi eſſent, qui talem vidiſſent, & ego talem, & multo etiam perfectiorem breui ſperarem. Nec opinione mea deceptus ſum, nam & multa correcta, & pleraq. in melius mutata audio: quod & paucis verſiculis, quos in fine iſtius epiſtolæ poſui, teſtatus ſum. Reliquum eſt, vt Deum Opt. Max. precemur, vt te iſtius villæ delicijs diù multumq. frui velit.

Hoc nemus, hi fontes, hæc culta roſaria, quæq.
Ingens in medijs inſula vernat aquis,
Atriaq. antiquas regum vincentia moles,
Et quæ mille domus clauſa tuetur aues,

Omnia corruerant, & vix vestigia tanti,
Quid non longa terunt sæcula? ruris erant.
Gonçallus vigil hæc Pinarius arua refecit,
Addidit, & priscis plurima dona locis.

Fontellum.

HOrtorum, memorumq. potens Pomona, beatas
Quæ dudum has sedes, & læta vireta relicta
Incolis Ausonia: vosq. o quæ rore perenni
Iugera proluitis viua de rupe Napææ.
Tuq. adeo regina Venus, mitissima frugum
Atque hominum fœcunda parens, cui roscida cordi
Germina, quam diues longo licet obsitus æuo
Spirat adhuc locus, & tanti vestigia ruris,
Testantur spreta quondam incoluisse Cythera.
Huc agite, & studio dum mens vacat, ardua diuum,
Naturæq: mihi miracula pandite, nec vos
Cuncta domus, magniq. decus mirabile luci,
Atque omnes mecum pigeat lustrare recessus.
Vestrum opus hoc diuæ, nec enim iucundius vllum
Parte alias fessas recreat nemus, inter opacos
Seu locos iuuat Ambrosios in gramine somnos
Carpere, seu gelido cælestia membra fouere
Flumine, seu roseis capita exornare corollis,
Et legere æternos per prata virentia flores.
Ergo siue situm spectes, seu munera, nulli
Plus dices natura loco dedit, inuida quamuis
Miratrixq. sui, nimiumq. superba vetustas

Alci-

Alcinoum, & veteres Phæacum concinat hortos.
Quippe soli non bis duo tantum iugera, verum
Dorsum immane iugis complectitur vndique, tales
Hortorum celebres moles, & rura Neronis
Fama canit, cum Reginam, mundiq. capacem
Vna domus miseris exhausit ciuibus vrbem.
Tanta adeo nemorum maiestas, tanta locorum
Gratia. priuatæ non hoc opulentia sortis,
Multorum sed enim series longo ordine ducta
Pontificum decorauit opus. Quos arte Michael
Syluius, ingenioq. omnes superauit, & alta
Ingens innumeris struxit prætoria donis.
Felix ille quidem, si re contentus auita,
Hisq. opibus, maiorum expers vixisset, eumq.
Ambitus, & nimij spes non rapuisset honoris.
Quàm vellet natale solum coluisse, nec vmquam
Nobile purpureo caput exornasse galero.
Heu qualem amisit campum, quæ iugera, quales
Delitias! Non virginibus bacchata lacænis
Taÿgeta, æstiui melior non vmbra Lycæi.
Nunc age fama prior pendentes aere lucos
Persarum miretur opus, vestitaq. multa
Fronde semiramiæ stupeat fastigia molis.
Nil manus, hic dices, nihil hic solertia gessit
Artificum, cunctarum opifex, rerumq. magistra
Quid posset tandem cupiens ostendere, vires
Experta est natura suas, vniq. vacauit
Tota loco. Sic magna nimis, sic omnia vasta,
Sic aptis extructa locis, sic deniq. mira
Cuncta sagax fecit, maiestatemq. decori

Addidit, & varijs dotauit iugera donis.
Haud alios miranda inter primordia mundi,
Ante nefas, primæq. scelus letale parentis,
(Parua nimis magnis componere, sacra profanis
Si licet) æternos nostris genitoribus hortos
Crediderim fecisse Deum, cum quidquid in orbe
Egregium toto sapiens formarat, in vnam
Congessit pariter diuina potentia sedem.
Vsque adeo rerum plena omnia, quidquid vbique
Gignitur, inuenies ibi, seu legisse salubres
Seu tibi odoriferos placeat mage carpere flores.
Non plures fæcunda tibi suffecerit Aetna,
Aetna parens florum, non Attica dulcis Hymethi
Gleba, neque Ausonio quæ subiacet ora Vesæuo.
Hic & pallantes violæ, cyprioq. cruore
Purpureæ per prata rosæ, nigrantia florent,
Parte alia nineis vaccinia mista ligustris.
Hic pueri defleti olim, lugenda deorum
Crimina, nunc veris gratissima germina, mæstis
Infelix Iacynte notis, proprijsq. decoris
Mirator Narcisse iaces, Salaminius heros
Hic gemit, & tragicis suspiria nota cothurnis.
Parte alia mollis consurgit Amaracus, & quæ
Exuperant alios candenti vertice flores
Lilia, tot numquam variata coloribus imbris,
Haud vana exoritur prænuncia. talia propter
Oceanum dites texunt aulæa Britanni.
Quantus honos operis, tanto virgulta decore
Pubescunt, omnisq. in flores, omnis in herbas
Turget humus, varioq. exculta non alia fætu
Luxu-

Luxuriant. Sed enim tanto haud assurgit honori
Vtilitas. Nec enim bacca magis arboris vllus
Palladiæ se vestit ager, Tritonide multa,
Quamuis Cecropijs Conimbrica certet Athenis.
Fæcundum licet, ac vnctis insigne trapetis
Exuperet Cabili Betis iuga pinguia castrum.
Quid totos referam vestitos palmite colles
Lenæo? nullo spatiosius æquore Bacchus
Creuit, & immensos sese diffudit in agros.
Non illum, quem ripa Tagi, quem nobile mittit
Vrbis Vlysseæ littus, non vincat odore
Quem dat Cetobricis vicina salacia prælis.
Adde etiam quæ dona Ceres dedit, adde beati
Delicias ruris, pruna, & genus omne pyrorum,
Castaneasq. nuces, succosq. oblita priores
Persica, defuerint non hic tibi Coctona, non quæ
Cecropio gaudent saturata sydonia melle.
Strata iacent passim sua quisque sub arbore, nec te
Deficient totum mitissima poma per annum.
Scilicet in ficu ficus, malumq. senescit
In malo, totidemq. tibi, si millia carpas,
Non deerunt: simul hæc crescunt, simul illa senescũt.
Talia perpetuo nitidus iuga Corduba fluxu
Humectat, minimus fluuiorum Corduba, sed quo
Pulchrior haud alius, purisque decentior vndis.
Inuideant Tubalis quæ nos genuere vetusti
Mœnia, diuorum hospitium, quæ florida pleno
Fæcundat Pomona sinu, largeq. decoras
Muneribus Vertune tuis, ornatq. superba
Irriguis Omnena iugis: quæ nectare multum

Hyblæo,

Hybleo, pinguiq. beat Polymella Minerua
Assurgens vtroque ferax a vertice, seu qua
Conspicuos fulua prospectat, iaspide muros,
Seu qua pulchra Tagi longe videt ostia, seu qua
Mœnia Romuleas æquantia prospicit arces.
Tale decus faciesq. loci. Neque dispare cultu
Surgit opus, maiori etiam (vera eloquar) illic
Chara domus quamuis, quãuis mihi patria, quãuis
Affectus habet illa meos. Hæc miror, at illam
Et colui a primis annis, & semper amaui.
Cum multis sed enim hæc cõmunia, singula quæque
Nempe alibi quamuis, pariter tamen omnia nusquã
Inuenies, verum mira illa, supraq. capacem
Humani captum ingenij, vix postera credent
Sæcula, vix seri poterunt firmare nepotes.
Hæret adhuc perplexa loci dulcedine, nec se
Mens iterum quamuis, iterumq. hæc ipsa reuisat
Aspexisse putat, iuuat vno a colle fluentes
Tot colles vidisse, tibi decus vnde perenne
Fontellum, egregiumq. æterna in sæcula nomen.
Nempe alias inter Deus has sitientibus aruis
Præsertim donauit opes, multoq. rigauit
Imbre solũ. Credes pressas sub pondere Nymphas
Mille sibi quæsisse vias, studioq. videndi
Excisa pulchras de saxo exisse Napæas.
Hic etiam, quanquam diuersa ab sede profectas,
Congestasq. vno pariter sub fornice Nymphas
Aspicias. Hic dulce sonant, hic dulce susurrant,
Hinc blandos strepitus, & pene loquentia miscent
Murmura, quoque valent se se sermone salutant.

Non

Non alibi faciles, ambrosiosq. sopores
Elicias, non leta magis, non frigida Tempe
Thessala, non alibi melius Iouis igne calentem,
Et patrio multum flagrantem fulmine Bacchum
Restinguas. Non hic iubar exitiale Cometæ
Sanguinei, non astra sitim minitantia, non hic
Pulvereæ Nemees rabidum experiere leonem.
His fauit natura bonis, hæc nobile docti
Protulit ingenium domini, solersq. sagacis
Formauit manus artificis, passimq. cauato
Marmore, palantes per amœna vireta Napæas
Excepit, saxoq. simul conclusit eodem,
Vnde vel excelsos perrupta aspergine ramos
Verberat, & quamuis teneat se culmine, multo
Imbre tamen Dryadas saliēs petit vnda, proculque
Vrget Amadryades credas certare Napæis.
Hæc eadem in cælum iaculatus excipit vndas,
Et cæco rursum percolat turbine moles.
Par operi lapidum maiestas. Non ego saxa
Viribus hæc excisa hominum, non robore credam
Mortali non acta manu. Vix singula gestent
Magnorum iuga mille boum, vix illa mouere
Posset, Auentinum magno conamine montem
Qui repulit, rupesq. auulsit sedibus imis.
Ergo magna nimis sint hæc licet, ardua quanquam
Et per se cunctis satis admiranda, reducunt,
Attamen attonitos alio stagnantia visus
Flumina, quæque decens medijs consurgit in vndis
Insula, Nympharum domus opportuna, suasit
Aestus, & ardentis quoties iniuria Solis.

Huc

Huc trepidæ (festiua cohors) adnare Napææ
Dicuntur. Satyrum quoties lasciuia gratis
Exagitat male sana locis. Hic mollia tritæ
Otia, & ambrosios carpunt in gramine somnos.
Stat montana procul pubes, reuocatq. & agrestes
Nequicquam calamos inflant, nec amantia cessant,
Carmina, & immeritis conuitia fundere ripis.
Crispantur tenui Zephyro vada læta, nec alto
Vnda immota lacu torpet. Sic prima tumescit
Ira maris blandis quoties attollitur Euris.
Hic ego conspexi laceri fragmenta Phaselli.
Siue illum senium, siue olim soluit amœni
Vis inimica lacus, dominis hac insula quondam
Tuppe petebatur, quoties confugerat illuc,
Seq. suis madidus per stagna cuniculus antris
Abdiderat, si quando greges fallacibus escis
Cæruleos, tremulaq. iuuaret arundine pisces
Fallere, captiuasq. ad littora voluere prædas.
Tales Hesperiam iuxta, solemq. cadentem
Heroum campos, & fortunata piorum
Iugera, fluctisono circumuallata profundo,
Semidei Manes habitant. Hic ducere vitam
Mallet postpositis alijs Actias, & quæ
Post infelicem pariter dilexit Vlyssem.
Parte alia cantus auium mirabere, nec tam
Solamen, quàm pinguis opes, neque futile ruris
Subsidium, mensæq. decus, volucrumq. capacem
Cunctarum caueam. Nusquam toto orbe vagandi,
Tanta auibus data libertas, non claustra, sed altis
Esse putes regum pallatia nixa columnis.
Vnde

Vnde neque immensi fastidia carceris horret,
Nec graue sentit onus volucrum grex, seq. teneri
Cum sciat, ingentes euadere nollet in agros.
Tantus amor caueæ, tam dulcia vincla. Sub alis
Implumes fouet hæc natos, nidum illa domumq.
Aedificat, dulces semen hæc suspirat amores,
Ereptumq. gemit comitem viduata, salacem
Illa marem eludit metuens, seseq. sequenti
Surripit, & celeres fallit lasciua volatus.
Incassum studio plures, & amore lauandi
Obiectant vndis humeros, multoq. fluentes
Perturbant fontes, & stagna liquentia lusu.
Cuncta patent, & rara licet sint retia, passim
Admittunt faciles visus, cumq. omnia cernas
Vix species numerare queas, vix nomina, non tot
Ionio fluctus voluuntur in æquore, non tot
Memnonis exequias celebrant, nõ Strymona plures
Delectant clangere graues, tot millia nunquam
Ille senex, cui sunt perituri tradita mundi
Semina, fluctiuaga prudens seruauit in arca.
Par operis facies, caueæ neque maxima surgunt
Dissimili tabulata modo. Licet ergo volantum
Intereat simul omne genus, dispendia rursum
Sarciet hinc natura parens, cunctisq. peremptis,
Tot tibi viuentes reddet domus ista volucres.
Longa quidem series cuncta enumerare, vel ingens
Lucorum senium, vel regum æquantia turres
Atria, dispositaq. vt consitus arbore multa
Præbet Hippodromus gratas currentibus vmbras.
Quid vos auricomæ diuæ, quæ limine primo,

Vestibulū ante ipsum, certis properantia semper
Tempora digeritis spatijs? quid quæ super alta
(Credere quis posset) residet testudo columna?
Peruia sunt dices mortalibus omnia, quæque
Vix fieri potuisse putes, voluentibus annis
Improbus hæc hominum labor, & solertia fecit.
Sis felix, longumq. bonis his vtere, gentis
Laus ingens Goncalle tuæ, quem diues alumnis
Magnanimis domus agnoscit Pinaria, non te
Diuersum rapiant alio maiora, secundas
Res quamuis fortuna tibi promittat, & olim
Purpureo mitram permutet Roma galero,
Vile decus capitis, & inanem frontis honorem
Ignarum quæ vulgus amat, procul effuge, teq.
Inuidia, & lucem minuentibus eripe curis
Hic melius tranquillus ages; & pectore magno
Fortunæ bona despicies fallacia, non te
Auersum trahet ambitio, non luxus, & alta
Præcipue regum penetrans pallatia fastus:
Quodque olim meditaris opus, dissueta reuises
Musarum, iurisq. tui penetralia, cumque
Tithoni, Pylijq. senis superaueris annos,
Debita virtuti conscendens sidera, teq.
Emeritum, varijs functumq. laboribus, inter
Pontifices, quos sæcla pios antiqua tulerunt,
Accipient celsi pretiosa sedilia cæli:

Labor omnia vincit.

QVid valeant pariter labor, & sollertia? quantum
Sudor,

Sudor, & æternis virtus infracta duellis
Aeneadum superis æquata potentia, & armis
Roma potens, belloq. docent tot parta vicissim
Imperia; ac tantis olim superaddita regnis
Regna, & Romulidum tot vtroq. sub axe trophæa?
Illa rudem primum vicino exercuit hoste
Tironem, ac victrix paulatim creuit, & omnes
Finitimas in se quas vicit, transtulit vrbes.
Auctior Hetruscos domat, & caput impetit olim
Ausoniæ: & iustis Danaos vlciscitur armis.
Continuo Siculis bellum manet, inde sagacem
Sidonium iam iam veteranum ducit in hostem.
Hic dudum dubijs victoria substitit alis,
Ambegitq. diu, qua tandem poneret arce
Terrarum fortuna caput: Carthagine demum
Euersa, supplex Hispania, & Africa longum
Aeneadum subiere iugum. Mora nulla Philippo
Tot populos armis victricibus eripit, atque
In libertatem tot Graias aßerit vrbes.
Huc aßuefactum veteranum Marte superbum,
Antiochum petit, ac regnis deturbat auitis
Nec requieuit enim, donec ter Marte subactum
Mithridatem Asia, totoq. oriente Tigranem
Expulit, & vita pariter spoliauit, & armis.
Romanum vario postrema Numantia Marte
Diruta bis denos bellis exercuit annos.
Omnia continuus labor, & vigilantia Romæ
Subdiderat, nec sol præter Romana videbat
Quicquam aliud, neque parta tandem ciuilia bella
Continuere diu, spretoq. labore subactum

Amisit totum Romana potentia mundum.
Namq. vt opes nimias sors vexit, & otia mores
Fregerunt, luxusq. homines inuasit, & illa
Priscorum cessit superis laudata parentum
Virtus, paulatim ex illo Romana referri
Res retro, fractæ vires, partumq. tot annis
Roma breui mundum, rerumq. amisit habenas.
Ergo quàm clarum genus armipotentis Achilli
Pyrrhus, & immanis nequijt deuincere Pœnus,
Orbis Reginam delerunt otia Romam:
Et quæ totius mundi caput omnibus olim
Gentibus in Tanaim a Gadibus imperitabat,
Prodita barbaricis (proh dedecus) ignibus arsit:
Et Romana ferus bis cepit mœnia Gotthus,
Dardanaq. Hispanæ popularunt tecta cohortes.
Nunc etiam (tanta est rerum inconstantia) nemo
Iam sibi non audet captam promittere Romam.
Proh dolor & Turcus (quod Dij prius omẽ in ipsum
Conuertant) flammas vrbi, excidiumq. minatur.
At vos o superi, quibus Itala mœnia, necnon
Ausonius pater, & Romana palatia curæ
Has prohibete minas, pestemq. ac dedecus istud
Vltra anni solisq. vias, vltraq. niualem
Caucason, Europa procul olim auertite tota.
Sit satis (heu proauum pudor ingẽs, atque nepotũ)
Mœnia quod dudum Romanis arcibus olim
Aemula, Achæmenioq. vndantes sangnine cãpos,
Tectaq. Barbaricis toties decorata trophæis,
Et Lacedæmonias premit aduena barbarus arces.
Sit satis ò superi, quod tot decora alta, tot olim

Lusitanorum regumq. ducumq. labores,
Tot partas vrbes veterum sudore, tot annos
Defensum imperium Lybiæ, tantoq. cruore
Quæsitas Antæi arces, num Marte sine vllo
Possidet imbellis (proh Lusi dedecus) hostis.
Causa eadem luxus, comites ignobilis oti
Diuitiæ fortes Lusi fregere nepotes.
Ipsa suis etenim dum Lusitania metis
Contenta est modicis, & quas natura negabat
Non ausit tentare vias, Indiq. nocentes
Imbellis contempsit opes, coluitq. virorum
Fœcundam, ac rigidæ semper virtutis amicam
Pauperiem, pressum caput olim erexit, & armis
Sæpius audacem victrix afflixit Iberum:
Antæasq. arces subijt, Lybiamq. potentem
Fregit, & herculeis posuit sua signa columnis.
At postquam vetitas remis compescuit vndas
Oceani, Gangemq. Tago seruire coegit,
Et mollem placidis Indum frenauit habenis,
Pellæoq. simul sese intulit ardua dio,
Confestim veterum mores abiere, relicta est
Paupertas, cælum virtus petit, improba luxus
Otia, & obscænas pariter suasere rapinas.
Victaq. victorem vinci dedit India Lusum
Delicijs blandita suis. Quos ergo nec audax
Celtiber, aut magnis tulit Africa diues alumnis,
Illecebris, patrioq. emollit India luxu,
Et Lusitanum viles conuertit ad artes,
Ac mercatorem de milite reddidit, atque
Nexuit auratis dominorum colla catenis.

Denique quæ toties bello vexauit Iberum,
Oceanumq. vltra Maurum expulit, atque potentem
Quondam armis Lybiam, maiores vlta ſubegit
(O pudor) vltro vrbes nunc Luſitania victis
Exhibet, vnde ſuis vix iam confidit, & illam
Hinc lacerant, (pudet heu) Celtæ, grauis imminet
Africa, dulichijſq. ignem exitumq. minatur (inde
Arcibus, & noſtros ait iſta manere nepotes.
vos o dij, quorum auſpicijs per cærula vectus
Luſus in extremis ſedem ſibi legit Iberis,
Aeternamq. ſuo dedit de nomine gentem,
Quorum Ithacus monitis, actus, qua nobilis æquor
Intrat, & Oceanum flauis Tagus excipit vndis.
Magna pererrato ſtatuit ſibi mœnia ponto.
Dedecus Heſperia procul hoc arcete, minaſq.
Has prohibete, ſatis iampridem iura iugumq.
Aeneadum, nec non miſeri tot ſæcula, diros
Gottorum tulimus faſtus, intraq. penates
Sexcentos dominum Maurum tolerauimus annos.

Ad Proſperam valetudinem.

INter tot generi humano conceſſa deorum
Munera, nil homini melius tribuere benigni
Cælicolæ, ſanam quàm mentem in corpore ſano.
Quamuis in fuluum redeant vetera illa metallum,
Sæcula, & antiquo nunc palleat orbis ab auro.
Nam cui magnanimo nulli ſub corpore morbi,
Siue armis omnis belliſq. exardeat orbis,
Impia ſeu miſeros fallant ſua rura colonos,
Ipſe

Ipse sibi ac natis victum parat, atque laborem
Exercens, totis exterminat ædibus ægram
Pauperiem: modo pro patria, pro coniuge, & ipsa
Progenie, aduersos fert pectora fortis in hostes.
Venatu nunc inuigilat, nunc alta ferarum
Magnanimo tacitus scrutatur lustra molosso.
At cui vis morbi corpus corrumpit, inerti
Affligens membra æternum torpentia lecto,
Otia non illum, non lusus, nulla voluptas
Demulcent ægrum, nec vina falerna palatum
Oblectant, totove cibus quæsitus in orbe,
Sed mala ieiunas vrgent fastidia fauces,
Et Tyrias vestes, atque æra Corynthia, nec non
Phidiacæ monumenta manus, doctiq. Myronis
Neglígit, & magni Polycleti signa, tuumq.
Admirande opus æternum contemnit Apelles.
Quin etiam ad cantus surdas accommodet aures.
Ingratum quicquid Panchaia diues, & ipsa
Assyria, & molles mittunt de more Sabæi.
Interea decor & formæ, vultusq. venustas
Languescit, veluti flos interceptus aratro.
Attenuat macies artus, color occupat ora
Buxeus, & vires abeunt, vox nulla per arctas
Infirmasq. exit fauces, magnoq. labore
Diuitias partas in nullos possidet vsus.
Ergo cælicolas cum placas thure, salutem
Imprimis supplex votis venerare, tibiq.
Pręcunctis mitem hanc, siquidem sapis, effice diuã.
Nil etenim genus humanum, nil nostra sine illa
Vita potest, nil terra boni, nil vtile totus

Orbis habet, quicquid miseri sumus, hęc dedit. At tu
Magna salus, mentis vigor, ærumnæq. leuamen.
Grata quies rerum, placidissima diua dearum
Magna parens hominum, vitæ decus vnica sortem
Humanam miserata, ades huc, seu sidera, seu te
Aerij campi, seu fortunata piorum,
Rura tenent, nullis hominum damnata querelis
Huc ades, & tristes procul o dea pelle dolores.

Αντίπατρος, ἤδη ἀμέριμνος.

QVid iuuat æternis animum fregisse minorem
Artibus, & paucos diminuisse dies?
Iuris consultis maior licet vsque vetustis
Emineas, mortem non tamen effugies.
Iura quidem nescit, canonas ignorat, & ipsos
Eripuit summos Mors quoque pontifices.
Eripuit vitam primis tibi Nerua sub annis,
Nec studium, nec ius profuit, arsue tibi.
Hæc quoque prudentem sub tartara Papinianum
Misit, quosque mora est longa referre viros.
Non fora, non leges hos protexere, sed omnes
Communi secum mors tulit atra via.
Hæc quoque si nescis quondam tibi meta terendaest,
Sed felix, quem mors sera nimis tulerit.
Felix ille etiam, qui cum hæc cognouerit, annos
Non sinet incassum præterijsse suos.
Ergo procul tristes curæ, procul ite labores,
Et quicquid vacuos, non sinit esse animos.

Mæ-

Mæstities procul hinc, procul hinc mortalia quic-
Sincera priuat pectora lætitia. (quid
Vna mihi nox hæc curis vacet, vna seueris
Imponat studijs frena, modumq. meis.
Omnibus in rebus dulcissima: mellis
Est etiam satias scilicet & Veneris.
O potius pereant artes, sæuiq. Promethei
Inuenta, & tantis vnica causa malis,
Flamma nimis seros, nimis heu læsura nepotes,
Læsura auctorem perniciosa suum.
Atque illam merito mortalibus æthere summo
Prouidus exitium Iuppiter occulerat.
Perniciem donec generiq. sibiq. futuram
Antiqui soboles repperit Iapeti.
Scilicet hoc studium mortales perdidit, hoc nos,
Hoc genus humanum funditus interijt.
Hæc male prudentem mala cura Promethea læsit,
Artificis caput hæc perdidit vnà sui.
Et merito: quid enim attinuit turbare quietos
Et tantis homines implicuisse malis?
Sic pereat quicunque nouas excogitat artes,
Dum cineri quærit nomen inane suo,
Tranquillumq. nihil sinit esse, quietaq. mæstis
Inuentis hominum pectora sollicitat.
Quàm bene maiora firmo degebat in æuo
Illa nimis prudens, & bona simplicitas,
Vita quibus tantum præsens lux, & scelus vnum
Vltra quicquam animis euoluisse diem.
Vita recens lux orta fuit, præsentia quisquis
Carpebat sortis nescius ambiguæ.

Curæ aberant, aberat dolor, ærumnæq. laborq.
Nulla diu terris visa senecta fuit.
Tranquillis bona cuncta aderant, bona cũctaferebat
Terra parens, nullis saucia vomeribus
Aurea tunc ætas vere fuit, aurea vita
Maiorum (si quid credimus) illa fuit.
Ferrea nunc hominum sunt sæcula. Namq. labores,
Nec curas fas est deposuisse graues.
Causa mali tanti, summi contempta Tonantis
Imperia, atque ingens artis & ignis amor.
Nonne fuit satius nil scire? scientia tantis
Si curis nobis vna paranda fuit:
Scire nihil certe dulcissima vita, doloris
Expers simplicitas, atque suaue malum est.
Simplicibus pueris quis non inuidit, & annos
Ad primos cupijt sæpe redire suos?
Prouida nos lædit mens vna. Viatica canis
Hæc docuit primis quærere ab vnguiculis.
Hæc nos præsentis male certos lucis in annos
Mille, iubet vitæ quęrere subsidium.
Hęc pueros premit, & blandum nutricibus æuum
Demit, & ętatis optima quęque rapit:
Hęc intempesta miseros sub nocte molestis
Mortales cogit inuigilare libris.
Hic canonas voluit, legum ius ille, quietos
Hic altercando non sinit esse deos:
Ille potestates herbarum quęrit, hic astris
Inuigilat, summo iura dat ille polo.
Hic animo terras pariter metitur, & ęquor,
Mensurę cum sit nescius ipse suę.

Ergo

Ergo qui nequeat sese cognoscere, qui nec
Metiri exiguam possit vbi hortus humum.
Quæ nostris genitrix oculis natura negauit,
Humano demens subijcit arbitrio.
Quò non mens audax hominũ processit? hoc ipsum
Iratum nobis reddidit ante Iouem,
Hoc mel decussit folijs, lactisq: repressit
Flumina, & ingratum compulit esse solum.
Aureaq. in sæuum mutauit sæcula ferrum,
Hinc scatet innumeris terra fretumq. malis.
Pauca malis tamen his bona cõmiscentur, & aurũ,
Sola refert priscum gentibus vna dies
Hæc est illa dies, quæ magni conscia partus,
Et patrem nobis reddidit, & dominum,
Cernere veridicæ quam tot cupierc sibyllæ,
Optauit vates nobilis Asera, tuus.
Optarunt veteres & sola mente prophetæ
Viderunt nostro pollicitam generi.
Ergo procul fastus, procul hinc mala gaudia, luxus
Ite, nimis dulce, nil nimium esse potest.
Humanum paucis viuit genus. O procul omnis
Ebrietas, hostis maxima lætitiæ,
Et vos o tristes curæ. Mihi sæcula nox hæc
Aurea, & antiquos sola reducat auos.
Sit facilis mihi conuictus, sit mensa sine vlla
Arte, sit exiguus & sine lite cibus.
Sit secura quies, cura semota metuq.
Mens agat, & veris gaudeat illecebris.
Rideat interdum magnũ Sophos, & bona quicquid
Aetatis nostræ tempora prima rapit.

Quidquid abest, spernat, præsentia captet in horam
Ne referat, si quid sors dedit & superi,
Tempora labuntur, sensim fluit hora, renasci
Non datur, elapsos nec reparare dies.

Ecclesiastes. Cap. I.

HAnc occupationem pessimam dedit Deus Filijs hominum, vt occuparentur in ea.

Ex Horatio.

FElix, qui curis veluti gens prisca solutus
Exercet bobus rura paterna suis,
Quem neque tranquillo proturbant classica somno,
Dira nec irati commouet ira freti.
Quique forum vitat, rabiosaq. iurgia, quique
Non assis regum limen, opesq. facit:
Ergo aut proceras adiungit vitibus alnos,
Aut placidos spectat læta per arua boues.
Ille malos ramos secat, & meliora reponit
Germina, & agrestes mella recondit opes:
Aut cum purpureis pomis redimitus ab aruis
Extulit Autumnus ora decora suis.
Vt pyra, purpureosq. iuuat legisse racemos,
Gratia nimis templis dona Priape tuis.
Nunc libet antiqua iacuisse sub ilice molli.

Gra-

Gramine nunc lætos præteriisse dies.
Hæc inter ripis vnde labuntur ab altis,
Arguto teneræ rure queruntur aues.
Fons alio lymphis manantibus obstrepit, & quod
Inuitet somnos murmurat vnda leues.
At cum tristificos Iouis amnis comparat imbres,
Et pater hybernas fundit ab axe niues,
Sæpius hinc atque hinc multo cane callidus apros
Trudit in obstantes, præcipitatq. plagas.
Nunc leporem, laqueoq. gruem, dulcissima captat
Præmia, nunc turdis apparat ille dolos.
Quem non hæc inter curarum obliuia sument,
Quas ferit in nostro pectore sæuus amor?
Quòd si casta domum mulier iuuet, Appula qualis
Quæq. viro iratum conciliauit auum,
Quæ sacrum antiquis paret ignem sedula lignis,
Aduentum lassi coniugis opperiens,
Quæq. pecus cratibus textis includat, & ipsa
Plena suis manibus vbera lacte premat,
Dulce viro vinum cellis depromat, inemptas
Et faciles nulla præparet arte dapes:
Non scarus, & rhombus, non me pretiosa iuuabit
Quæ de Lucrino littore concha venit.
Non auis est nobis iucundior Africa, quàm quæ
Electa est ramis pinguis oliua suis,
Quàm quæ salubres maluæ mortalibus ægris,
Prataq. amans nimium roscida Lopathium.
Agna vel agresti Syluano cæsa, vel hædus,
Quem sæuo eripuit rustica turba lupo.
Has epulas inter pastum iuuat vsque videre

Vt repetat noctu tecta domumq. pecus.
Aut vt aratra iugo referant inuersa iuuenci,
Collaq. vix multo fessa labore trahant,
Vtq. lares circum vernarum turba quiescat,
Examen ditis præsidiumq. Laris,
Hæc ego vix dixi, captator fænoris ecce
Alphius extemplò rusticus esse parat,
Idibus ergo omnes relegit, rursumq. Calendis
Sollicitus quærit ponere diuitias.

Ad Campegium Sanctæ Romanæ Ecclesiæ in Lusitania Legatum, Bononiensem Episcopum.

Q*Vid iuuat exiguos nimio fregisse Labore*
Et curis annos vitæ, dignissime tanto
Munere Campegi? pretij mortalibus ecquid
Tantum erit, æternis condant vt pectora curis,
Hisq. adeo inuigilet noctes, has explicet inde
Alma dies referens miseris opera atque labores?
Numquid opes tanti, num vita prodiga tanti
Sollicitudo rei est? & personatus honoris
Vultus, & heu vanos deludens gloria sensus?
Eccles. 1. *Vanus homo, vanæq. opes, vana omnia, nam quid*
Amplius humanũ assequitur genus. Hoc homini dãt
Haud intermissi noctesq. diesq. labores,
Vtq. vicem subeant populi gentesq. tenacem
Immotamq. suo semper sub pondere terram.

Aspi-

Aspicis exoritur sol & simul occidit, inde
Rursus ad auroram contendit, ibiq. renascens
Flectit iter, mediumq. diem petit, inde citatus
Oblique septem contendit ad vsque Triones,
Seq. ipsum assequitur, dum circuit omnia Ventus,
In pelagus fluuij voluuntur, vasta redundant
Nec maria: hinc fontes hinc exoriuntur, eodem
Mutato rursum redeunt torrentia cursu.
Ardua cognitio est longa experientia rerum,
Quarum difficile est verbis comprehendere causas.
Non satis est oculis, sed nec satis auribus vmquam
Est aliquid dum scire volunt. Sed nil fore certo
Norint, quod iam non fuerit, faciendaq. quondam
Quæ nostri multo fecerunt antea patres.
Nempe nihil sub sole nouum, nec dicere quisquam
Esse recens aliquis potis est, abiere tot olim
Facta, nec antiqui quisquam reminiscitur. Ergo
Et nostræ quondam vix vltima posteritatis
Secula, vix veterum poterunt meminisse parentum.
Olim is, cui Solymæ commissa potentia gentis,
Optauit quæcumq. capax complectitur orbis
Nosse animo, & rerum penitus cognoscere causas.
(Namq. hunc pestiferum mortalibus auxit amorē
Altitonans olim curasq.) intendit in orbe
Quidquid erat, vidit, vana omnia scilicet, & quæ
Innumeris premerent mortalia pectora curis.
Difficile prauum flectas, stultisq. refertus
Orbis, & immensi scatet ingens machina mundi. ex Hom.
Idem honos est, eadem prauis lex atque modestis. & 2. Ec-
Et piger interijt & sedulus, omnia miscent clesiast.

Fata,

Fata, ac magnanimis pariter mors æquat inertes.
Ille sapit vere, qui cum hæc cognouerit, altum
Suspicit, & certa melioris commoda vitæ
Spe signat, sceleris purus, complexus & vnum
Mente Deum, tacitos iucunde transigit annos.
Hoc tu etiam doctus Campegi, dogmate dudum
Te reuocent quamuis, teneantq. ingentia curæ
Pectora, falle animum, vitæq. ad commoda pelle
Otiaq. ingratis interfere mutua curis.

Henrico Lusitaniæ Cardinali S.

VErane magna Iouis Soboles, clarissima diuum
Fama refers? videt ipse suum iam maximus orbis
Pontificem videt? & tacitis sua vota susurris
Testatur? magnarum in te molimina rerum
Exonerans Henrice, tibi iam tradit habenas
Orbis, desertæq. iubet succedere puppi.
Parua loquor, Deus hæc læto Deus omine mundo
Insinuat, tacitisq. suum rumoribus orbi
Conciliat vigilem, nec non de millibus vni
Imperat afflictis hominum succurrere rebus.
Non aliter subitos magni post vatis hiatus
Insignem, sanctumq. aris præfecit Apollo
Thiodamanta suis, terramq. atque astra, sacrosq.
Commisit tripodas, nec vatem Argiua peremptum
Vitta, nec argolicus sensit dispendia rector.
Nil fucus, nihil ambitio, nihil egit in istis
Vis aurumue, procul terrarum in fine latentem
Inuictumq. trahit mundi fauor, Impia quando

Ter-

Terrarum delicta, & bella minantia nullo
Poße videt melius finiri præside. Nam quis
Dignior euersum fuerit qui protegat orbem?
Cuncta licet vertat, stimuletq. ad dira sorores
Tisiphone, licet Enceladus, ruptaq. Typhæus
Mole ruant, visuq. polum, terrasq. nefando
Inficiant, licet insidijs & fraudibus anguis
Humanum genus exagitet, te protinus ista
Opposito custode cadent, tantiq. tumultus
Mollia securæ traducent otia gentes.
Non secus Eugino sacræ commissa carinæ
Cura metu Mynias soluit, tantiq. profundi
Securi fortes somno pelagoq. furenti
Mandauere animas, celsaq. in puppe magister
Peruigil Arcadio solus pendebat ab Astro.
Summe parens hominũq. sator, qui sidera & vndas
Qui terras, & cuncta tuo sub numine torques,
Hunc saltem euerso iuuenem succurrere mundo
Ne prohibe, satis exhausto satis impius orbe
Dux Erebi, tot regna sibi, tot fida sequentes
Signa, tot heu miseras tulit in sua iura cohortes.
Pars quota terrarum capta est Germania, nec non
Diuisit penitus iustoq. pioq. Britannos,
Imminet Ausoniæ, Romæq., orbiq. minatur
Hellespontiacæ dominus (proh dedecus) oræ
Dulichias petit inde arces, animoq. superba
Concipit herculeas inuadere sæpe columnas.

In templo antiquiſſimo fortunæ.

TV quæ Tarpeio coleris vicina Tonanti
Votorum vindex ſemper fortuna meorum
Accipe quæ pietas ponit tibi dona merenti
Effigiem noſtri conſeruatura parentis,
Cuius ne taceat memorandum littera nomen
Cæſius hic idemq. Titus, primusq. vocatur
Qui largæ Cereris meſſes, fructusq. renatos
Dirigit in pretium. Cui conſtat fama fideſque,
Et qui diuitias vincit pudor, ire per illos
Conſuetus portus cura ſtudioq. laboris
Littora qui præſtant feſſis tutiſſima nautis,
Notus in vrbe ſacra, notus quoque finibus illis,
Quos Vmber ſulcare ſolet, quos Thuſcus arator
Omnibus his annis votorum more ſuorum,
Contentas addit numero creſcente coronas,
Fortunæ ſimulacra colens, & Apollinis aras.
Arcanumq. Iouem, quorum conſenſit in illo
Maieſtas longe promittens tempora vitæ.
Accipe poſteritas quod per tua ſæcula narres,
Taurinus chari iuſſus pietate parentis
Hoc poſuit donum, quod nec ſententia mortis
Vincere, nec poterit fatorum ſumma poteſtas,
Sed populi ſaluo ſemper rumore manebit

Aegna-

Ægnatio Morali.

SI meritis donare tuis æqualia vellem
Munera, si donis vellem aperire meis,
Quantum te nostro iam dudum in pectore fixi
Pars animæ Aegnati, dimidiumq. meæ.
Non desiderio quidquid gerit India nostro.
Sufficeret, non quod voluit arena Tagi.
Non mihi Pactolus, non si flat Indus & Hermus
Et si aliud fuluis flumen abundat aquis.
Non si surda meis sors & contraria votis
Donet quas habuit Crœsus auarus opes,
Omnia si dederit, cuncta & tibi largiar, in me
Vix videar meritis digna dedisse tuis.
At nunc quando aliud nil suppetit, accipe versus.
Hæ vatum, hæ sterilis sunt Heliconis opes.
Dona dabunt dites: errant qui mittere vatem
Quidquam aliud præter carmina posse putant.

Aliud.

LOnga sed inuito cunctis Aegnatius optat,
Nil profecturus sæcula Mercurio.
Vos superi ingratis quæcumque rogauerat, illi
Donate, & vati reddite vota suo.

Chariſſimi ac dulciſſimi parentis, nec non fratrum mihi amiciſſimorum.

SAncta mihi tellus, tumuloq. ſacratior omni,
Exoptata domus oſſibus vna meis.
Tu mihi perpetuo venerandas contegis vmbras
Charo germano cum Genitore duos.
Tu mihi ſi quid erat, propter quod viuere vellem
Omnia tu noſtræ gaudia lucis habes.
Ergo age, rumpe moras, meq. excipe, redde parenti
Hæc mea, redde etiam fratribus oſſa meis.
O quàm grata quies, o quam iucunda voluptas,
Cum ſibi chara idem continet oſſa lapis.

Securitati perpetuæ.

AMICA tellus chariſſimorum mihi fratrum, & dilectiſſimi parentis perpetuum hoſpitium: cui laſſum iſtius infelicis vitæ ſpiritum reddere iamdudum geſtio, dum mea cum illis oſſa confundere, & afflicti corporis reliquias miſcere non licet, has lacrymas interim & gemitus benigne excipe, meq. velim ſcias, nihil magis nunc in votis habere, quàm vt in te hanc defeſſi corporis ſarcinam deponere aliquando liceat. Quid enim petendum, cupien-

piendùmue magis est, quàm ibi membra & ossa collocare, vbi sita sunt ea, quæ in vita tibi amantissima & desideratissima fuere?

EMMANVELI CABEDIO charissimo & amantissimo fratri posuit.

Antonius Cabedius.

HOSPES seu virtuti & ætati, diuitijsq. confidis, seu generi & fortitudini, animiq. tui dotibus nimiũ arrogas, asta, & certa instabilis vitæ documẽta perdisce. Hic situs est Emmanuel, qui vt virtute & genere nemini suorum municipalium cedebat, ita fortitudine, diuitijs, & ætate quamplurimis præstabat: vix annum quadragesimum agentem mors eripuit. De tot ac tantis bonis exiguo contentus puluere, benefacta tantum secum detulit, cetera repetenti fortunæ restituit.

Lachrymæ.

HEu crudele nefas, heu importuna, nec vmquã
Inuida mors vlli, nec violenta magis.
Ante diem nobis florentibus occidit annis,
Spes ingens nostri sanguinis Emanuel.

Emanuel mihi mente parens, & sanguine frater,
Subsidium vitæ præsidiumq. meæ.
Ille vices, animumq. Patris, post fata parentis
Continuo, curas gesserat ille pias.
Ille Camænarum fuerat tutela mearum:
Meq. opibus dudum fouerat ille suis.
Quæ nunc, proh votis semper contraria nostris
Fata, repentino mors tulit atra gradu.
Et dubitem chari solatia vestra sodales
Respuere, & monitis non obedisse pijs?
Maius enim accepi, maius medicamine vulnus
Plaga Machaonias non feret ista manus.
Obducenda recens non est cito plaga, medellam
Pauldtim & priscam suscipit illa cutem.
De mærore aliquid forsan longissima tollent
Tempora, nunc nouus est & sine fine dolor.
Ne fletus, & sæpe graues mulcentia curas
Lamenta, & questus ne prohibete meos.
Difficile est animo iustum cohibere dolorem,
Difficile est lachrymas continuisse pias.
Torrentem prius, & properantia flumina sistas,
Quàm miserum flere tristia damna vetes.
Huc agedum luctus, huc o lamenta meisq.
Perpetui fletus, continuiq. malis
Vos lachrymæ, quibus hæc nullo non tēpore abundāt
Lumina, tristitiæ semper aperta meæ.
Iliadum largos imbres, sudataq; truncis
Germina, & æternas vincite frondis aquas.
Par consanguinitas, dolor idem, & casus vterque,
Fratris vterq. sui tristia fata dolet.

Causa

Causa mea est potior, quanto dum lumina vitæ
Cerneret; vtilior pluribus ille fuit.
Debuerant triplices, nec erat iactura, sorores
Fila prius vitæ diminuisse meæ.
Me miserum, nec te suprema affarier hora,
Supremum licuit nec retulisse vale.
Nec tibi cum mœstis germanis iusta parare,
Tristiaq. officij reddere dona mei.
Debita erat nostris hæc pœna miserrima fatis,
Debita peccatis sors erat ista meis.
Scilicet huc vitæ perueni, vt fratre cadente
Maiore inciperem parte carere mei.
O vtinam pensare animas crudelia nobis
Fata darent, fluxos & reparare dies.
Quantulacumq. essent pro te charissime frater,
Pensassem vitæ tempora longa meæ.
At nunc quando pijs nescit mansuescere parca
Fletibus, & rata quæ fecerat illa, manent,
Triste æuũ, tristem hanc peragã, dum vixero, lucem,
Mixtaq. dum tua sint ossibus ossa meis.

QVISQVIS hæc legeris, lachrymas te memento legere: in quibus ordinem & modum seruare non dolẽtis potius existimauerim, quàm suam tristitiam & mœrorem ostendentis: non fletui sed ingenio indulgentis, cui vix potest esse locus, vbi mentem dolor & tristitia occupauit. Quid enim altum, aut egregium tantis calamitatibus depressa vis animi ex-

cogitare, moliriq. poteſt? Satisfeciſſe videri debet, qui ſuam triſtitiam teſtari quoquo modo potuit.

Vita grauis, vitam ſi fas eſt dicere, mortem
Quæ ſuperas, vitæ nec niſi nomen habes.
In terris quid adhuc perſtas, & lenta moraris?
An nondum tantis es ſatiata malis?
Te tot iamdudum decuit fugiſſe dolores,
Et finem Lachrymis impoſuiſſe tuis.
Nonne mori ſatius ſemel eſt, quàm ſæpe timere
Crudelem toties in tua damna necem?
In lucro eſt periiſſe, errat qui viuere vitam
Aeſtimat. eſt ipſis vita carere malis.

QVid lamentaris, & continuo fletu fruſtra cõſumeris? nullus mortalium fata, mortemue exorare lachrymis potuit. Vnumquemq. dies & ineuitabilis fati neceſſitas manet, hæc tibi chariſſima ademit, hæc eadem reddet. Quò plures & amantiores animas illic habueris, eò libentius morieris. Vnum ora, vnum tantum votis omnibus expoſce, vt quàm cito fieri poſſit, eò peruenias. Hoc ſi impetraueris, nihil melius tibi a Deo Opt. Max. donari potuiſſe exiſtima.

IN caſſum noſtros nitor lenire dolores,
In caſſum lachrymas combibere ipſe meas.

Stat

Stat sua cuiq. dies, fateor, nulli impia cedunt
Fata malis prosunt quid ista meis tamen?
Finiet hæc rerum mors vltima, quæ mihi tanto est
Grata minus, quanto serior illa venit.

Aliud.

HIc pater, hic teneris raptus Custodius annis,
Hic etiam frater conditur Emanuel.
Supremos cum grata mihi mors finiet annos,
Accipiat cineres hæc quoque terra meos.

Aliud.

EManuel, quem sæuâ mihi mors abstulit, & nũc
Frigida dilecto cum patre velat humus
Accipe fastosi non saxa superba sepulchri,
Marmoraq. indoctum qualia vulgus amat.
Sed fletus, & scripta meos testantia questus,
Quæq. madent lachrymis carmina mœsta meis.
Hæc tibi sint nostri monimẽtum & pignus amoris,
Hæc tibi sint fratris vltima dona tui.
Nec diuturna manent, nec prosunt cetera, nec sunt
Pyramidum magnis præmia digna viris.

INFELIX anima multis calamitatibus afflicta sæpe, sed numquam victa, tempus erat hanc molem, & tristem corporis carcerem relinquere, & aliquam, si qua tibi parata est, requiem præoccupare. Diu istius vitæ flu-

ctibus ac procellis agitata es: diu nihil tranquillum, & pacatum vidisti: diu fœdas & intolerabiles humanæ conditionis tempestates pertulisti: contrahe vela, portum occupa, quietem & placidæ telluris gremium amplectere. Illa patrem, & fratrem, illa tuas illecebras, & vitæ retinacula possidet. Ibi has exuuias & spolia depone, vt & in sua primordia redigantur, & cognati pulueris consortio fruantur: quod multi optant, pauci vero & felices tantum consequuntur.

Sanctæ Isabellæ Reginæ Antonij Cabedij Carmen.

Diua decus cæli, magniq. Isabella pudoris
Exemplar, cui regali de sanguine quamquã
Nobilitas, & rara æuo concordia nostro
Forma decens vtriusque, & quæ teterrima pestis
Corrumpit nostros damnosa pecunia mores,
Non ideo tibi desidiæ, fastosaq. cordi
Gloria, non regum luxus, aulæq. nocentes,
Et mundi peioris opes, mansuraq. numquam
Sortis dona diu: sed maiestate remissa
Imperij, maiora alio sub rege latura
Sceptra manu, chari post fata suprema mariti
Mentem animumq. Deo vouisti, exutaq. primo
Fœdere, dilecto sacrasti pectora Christo,

Et

Et nunc ille quidem multo cum fœnore, pro se
Depositas tibi reddit opes, alioq. decoros
Numquam casuro cingit diademate crines.
Salue feminei generis decus, ardua quando
Sidera, cælestesq. choros, ipsumq. Tonantem
Totius quæ summa boni, considere iuxta
Diuinoq. frui vultu tibi contigit, illic
Errores quos ægra hominum mens numina contra,
Auctoremq. suum Satana instigante patrauit
Excusa, & veniam peccatis exige nostris.

Epitaphium eiusdem Reginæ.

Nobilitate ingens, probitate ingentior, isto
Regina in tumulo conditur Helisabeth.

In puellam, cuius labia punxit apis.

Quod tua purpureos vincentia Cynthia flores
Labra nimis felix, sed mala punxit apis.
Parce illi, causas prætendit hic error honestas,
Crediderat veras, scilicet illa, rosas.

In interitum Antonij Cabedij celeberrimi poetæ, Ignatij Moralis Elegia.

SVpremum ergo diem Antoni doctissime obisti?
Præsecuitq. annos, parca seuera tuos?
Et vix permisit primam excessisse iuuentam,
Laudiq. inuidit nominis illa tui.
Atque hoc illud erat, quod tanto ardore cupisti,
Dulcia materni visere tecta poli.
Nec miser eualui dictis te auertere amicis,
Susceptâ vt velles abstinuisse via.
Sic inhiat rebus pretiosis semper auara
Mors, atque insidians optima quæq. rapit.
Nam te quis primum vixit moderatior alter?
Quis te candidior, simpliciorue fuit?
Cura tibi in studijs consumere tempora doctis,
Quærereq. eximium lingua ab vtraq. decus.
Et tua grandiloquum musa est imitata Maronem,
Felixq. ingenij, venâq. diues erat.
Sacraq. obumbrabat canonum tua tempora laurus,
Signabatq. sacrum te coma tonsa virum.
Me tibi iunxerunt communi fœdere Musæ,
Et faciles mores, magna fidesq. tua.
Sic amor accreuit paulatim, vt charior alter
Nemo esset prorsus te mihi, meq. tibi.
Qualis enim Pyladem, sociumq. tenebat Orestem,
Talis nos pariter conciliabat amor.
Ipse meos lusus miscebam, & seria tecum,

Tu

Tu mecum lusus, seria & ipse tua.
Ipse legenda tibi mea carmina sæpe ferebam,
Tuq. etiam nobis sæpe legenda tua.
Ferreq. opem lapsis gaudebas rebus amici,
Nec tantum curas voce leuare meas.
Nec tibi opes deerant, sed quanta habuisse decebat
Fortunæ extabant munera lauta tuæ.
De grege paucorum fueras, quibus inclyta virtus
Ipsa sui est pretium, gloriaq. ipsa sui.
Nulla tibi ambitio, nullum captare solebas
Plausum, sed grata delituisse domo.
Felix, si plures annos tibi fata dedissent,
Inficeretq. tuas alba senecta comas.
Tollere pennigeris nuper te cœperat alis,
Fatusq. ingenij fama probare tui.
Nam tua facundos stillabant verba lepores,
Libera seu fluerent, siue ligata pede.
Mortis amice tuæ nostras vt nuntius aures
Contigit, obstupui, diriguiq. gelu.
Tunc quoque cum manes suprema luce petisti,
Iussisses comitem me simul ire tibi.
Nam quoties quali repeto sim orbatus amico,
Dimidia videor parte carere mei.
Ecquis me dulci posthac sermone iuuabit?
Cui credam arcanum pectoris omne mei?
Non ego iam tecum Mondæ spatiabor ad vndas
Amplius? aut versus promet vterq. suos?
Sobria nec fallent nostras conuiuia curas?
Atque oculis numquam conspiciere meis?
Et potero sine te socio tractare Camænas?

Scri-

Scripta nec imponam nostra abolenda rogis?
Quin dolor vsque adeo et mæror mea pectora pulsat,
Squallidaq; assiduis imbribus ora madent:
Vt nunc me certa versus deducere lege,
Inq; suos mirer verba coire pedes.
Ah, quibus humectat mater tua fletibus ora?
Et quo nunc planctu pectora anhela quatit?
Illa tibi ægroto frustra fomenta pararat,
Et frustra ad superos fuderat ore preces.
Ipsa necem fratrum paulo defleuerat ante,
Queis vitæ abstulerat parta senecta dies.
Ecce recens vulnus tua mors miserabilis auget,
Et pariter natos tres gemit illa simul.
In questus frater Michael fœcunda resoluet.
Ora, simulq; pro lumine gutta cadet.
Spiritus Elysios iam iste volauit in agros,
Atque Orcum effugit, tartareasq; domos.
Monstra tibi cessere procul, furiæq; nocentes,
Et tenuit triplices Cerberus ore sonos.
Antoni, has lacrymas tibi mæsto ex ore profundā,
Has fert inferias nostra Thalia tibi.
Postera amicitiam nostram testabitur ætas
(Si modo posteritas carmina nostra leget)
Sed tu mortales quamuis iam liqueris auras,
Ingenio viues, carminibusq; tuis.
Aeternum salue, salue o dulcissime vates,
Atque vale æternum: Sit tibi terra leuis.

Eius-

Eiusdem tumulus.

Morte insperata, nec cano Antonius æuo
Occidit, Aonidum curaq. amorq. gregis.
Nobilibus fuit ortus auis, mitiq. sacerdos
Ingenio, & notæ uir probitatis erat.
Miscebat graio Romanos mille Lepores,
Et sacri iuris laurea serta tulit.
Fundantur tumulo sacri cum thure liquores,
Quasq. Arabum messes mittit odorus ager.
Hos cineres velent violæq. rosæq. rubentes,
Viuenti fuerat qualis in ore color.
Antoni funus plorant lachrymabile Musæ,
Vna sed in primis Calliopæa dolet.

Antonij Cabedij Lusitani Carmen, ad Cetobricam Patriam suam.

O felix nimis, o beata tellus,
O dulcissima pœnia, omnibusq.
Longe pulchrior Vrbibus Cetobrix:
Quascumq. occiduo sub axe, ponto
Neptunus pater æstuante, & ingens
Fluctu perluit hinc, & inde Thetis.
Quàm lætus tua tecta, quàm libenter
Secessus repeto tuos. Et actum
Post annum veteres saluto amicos.
Vix credo mihi te videre, vixq.
Iuga tristia, vix Conimbricenses.

Ingra-

Ingratos nimis, aridosq. colles
Liquisse arbitror. O quid est solutis
Curis lætius? inquieta cum mens
Pondus reijcit, atque onus reponit.
Cum multo studio, & labore fessi
Nostrum venimus ad larem, simulq.
Optato requiescimus Cubili,
Hoc tantum petitur labore, hoc vnum est,
Quod tantis emimus subinde curis.

In laudem Sacratissimæ Virginis Mariæ.

ALma parens, cuius in viscera, labe sine vlla,
Factus homo sese Deus insinuauit, & ingens
Ipse licet, lati quamquam illum mœnia mundi
Non caperent, latebras tamen, indignamq. subire
Haud dedignatus molem. Sanctissima, mirum,
Arcano tua compleuit penetralia verbo:
Scilicet ante mare, & terras, primordia mundi
Ante parens summo iam tunc electa Tonanti:
Femineum scelus vt, primæq. horrenda parentis
Crimina, nil meritos nimis heu læsura parentes,
Ablueres sancti felice propagine ventris.
Ergo velut nostri mulier caput vna doloris,
Principiumq. mali: Tu fons & origo salutis
Humanæ, tu lætitiæ bona Virgo fuisti
Inuentrix, tu delictis occlusa priorum
Siderei nobis reserasti limina cæli:

Epita-

Epitaphium Ioannis Lusitaniæ Principis.

LVsitanorum columen, nostræq. sepultam
Spem libertatis, continet hic tumulus
Hic iacet egregij soboles præclara Ioannis,
Ille nepos magni Cæsaris, atque gener.
Vix decimum ætatis sextumq. expleuerat annum
Vix pubertatis tempora transierat,
Iniecit mors sæua manum, tantoq. repente
Priuauit miseros principe Lysiadas.

Aliud.

HIc ille Lusitaniæ Princeps iacet
Ingens Ioannes, vna quondam maxima
Spes, & columna corruentis patriæ.
Hic ille, quem iam tunc timebat Africa,
Vastiq. longe lata Gangis ostia.
Hic ille gener, & Cæsaris magni nepos,
Ioannis vna chara proles maximi.
Cum sex, decemq. gratus, & in omnes pius
Vixisset annos, pro dolor! quo tempore
Vixisse certe debuit, tunc occidit
Tellure vero subiacens, non coniugem
Dulcissimam, non sceptra sibi spe debita,
Non Regna, non magnas opes, sed patriam
Tanto relictam, plorat, in periculo.

Ioanni III. Lusitanorum Regi.

Rex regum, iurisq. dator, quo principe pulsam
Barbariem tota vidimus Hesperia,
Qui tua diffusas media in penetralia Musas,
Et toto pulsas iam prope ab orbe vocas.
Vtq. olim procerum, Musarum regia nunc sit,
Quaq. olim Reges, nunc ferat aula deas.
Tot bona cum Musis praestes, quò tutius ista
Ingenij fugient pignora prima mei.
Auribus haec indigna tuis, sed debita, sed quae
Commisisse alijs, non leue crimen erat.
Sume igitur placidò, Rex o fortissime, vultu,
Scripsimus auspicijs qualiacumq. tuis.

De Gymnasio in Palatio Conimbricae.

Lysiadũ hanc vobis Princeps rectorque, Camaenae
Sacrat, Ioannes regum in penetralibus, aedem.

De eodem.

Regum olim haec fuerat, Musarũ regia nunc est
Esse vsquam melius non potuere deae.

De Conimbrica.

O Domus, o regum sedes, o dulce Camaenis
Hospitium, magnis o loca digna deis

Vt libet has vidisse tuas Conimbrica moles
Mœniaq. Egnati versibus aucta mei.
Agnosco nunc Pieridum Palatia, quondam
Lusitanorum tecta superba ducum.
Agnosco celsas, ingens opus, Herculis arces,
Et videor Lymphas cernere Munda tuas.
Non me turuati pontis bona semita, non me
Egregium iota quidquid in vrbe, latet.
Omnia miratus Musis, & Apoline dixi.
Non erat in toto dignior orbe locus.

Ad Sanctissimam Virginem Mariam Rosarij.

O Regina Poli diuini Numinis Altrix
Conueniens rosco nomen ab orbe gerens,
Aspice deuotę nunc hęc spectacula turbę,
Quæ tibi continuas fundit ab ore preces.
Te vocat & magnis iterum clamoribus instat,
Anchora sis rebus, auxiliumq. suis.
Ille procellosi, quem iam maris obruit vnda,
Si vocet, in medio littore saluus erit.
Dum putat amissos hominumq. boumq. labores
Agricola in magno fœnore cuncta legit.
Ignotos pastor ducens pecus omne per agros.
Inuius, en lętum te Duce gramen habet.
Qui semel accensis pręsensit maxima tectis
Damna, tui verbo nominis ignis abest.
Ergo age da portum nautę, da grata serenti
Semi-


Semina, pastori gramina læta para.
Extinguas ignes subitos, casusq. secunda,
Aethereas etiam tu mihi pande vias.

Epigramma pro foribus affixum in templo S. Antonio Olysipponēsi Consecrato die Natalitio Romæ Anno M. D. XCVI.

ANtoni nostri generis decus, orbis Hiberi
Gloria, dulichiæ gentis & vrbis honos.
Sæcula te nobis debent, licet vtraque certet
Hesperia, hæc obitus vendicat, illa genus
Adsis Lysiadum rebus, Regiq. Philippo
Cęsareo magni Principis & genio.
Adsis, & clemens nobis, si sępius ipsi
Sincère colimus hęc tua templa, faue.

FINIS.

INDEX RERVM ET VERBORVM, QVÆ IN HIS OPVSCVLIS CONTINENTVR.



A

C

Ele-

in

Lusus

Nilus

O

P

Pro-

Traia-

Vetto-



FINIS.

Errata præcipua sic corrige.

Pag. 2. lin. 1. rabiei, leg. rabiei. p. 74. l. 25. esse, leg. esset. p. 77. l. 21. halicutico, leg. halieutico. p. 85. l. 14. efficie, leg. effigie. p. 88. l. 1. animum, leg. amnium. p. 149. l. 8. Oriosius, leg. Orosius. p. 96. l. 2. agitham, leg. agatham. p. 199. lin. 17. vocant Magnum quod, leg. Magnum quod vlterius erat. p. 300. l. 4. VVG. leg. AVG. p. 323. l. 9. sc, leg. sic. p. 339. l. 17. cum, leg. eum. p. 390. l. 14. Threiciæ. p. 419. l. 22. ex leg. eh. p. 437. l. 4. senessata, leg. senestrata. p. 596. l. 2. quid ista meis tamen, leg. quid tamen ista meis. p. 569. l. 15. fatus, leg. fœtus. p. 570. l. 15. pro, leg. pio.



Pp

Registrum.

† A B C D E F G H I K L M N O P Q R S T V X Y Z.

Aa Bb Cc Dd Ee Ff Gg Hh Ii Kk Ll Mm Nn Oo Pp.

Omnes sunt quaterniones, præter †, quæ est duernio, & Pp, simplex.



ROMÆ,

Apud Bernardum Basam. M. D. XCVII.

SVPERIORVM PERMISSV.

